18020 | 8

N. VI
17/c

DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 354
COLLECTION

[illegible]

[028]

D. GABRIELIS CLAUDERI,

ARCHIATRI QUONDAM ELECTORALIS ET DUCALIS SAXONICI, NEC NON ACADEMIÆ NAT. CURIOSORUM CÆSAREÆ ADJUNCTI CELEBERRIMI

SCHEDIASMA DE TINCTURA UNIVERSALI, VULGO LAPIS PHILOSOPHORUM DICTA,

38
A. Daguin
K 74

CUM

PETRI JOHANNIS FABRI,

MEDICI REGII GALLICI, QUONDAM CELEBERRIMI MANUSCRIPTO

RES ALCHYMICORUM OBSCURAS EXTRAORDINARIA PERSPICUITATE EXPLANANTE,

NEC NON

D. ADAMI GOTTLOB BERLICHII

DISSERTATIONE DE MEDICINA UNIVERSALI

QUIN ET

D. EMANUELIS KOENIGII,

PROFESSORIS ET MEDICI BASILIENSIS CELEBERRIMI

EPISTOLA DE ELIXIRIO SOPHORUM,

EJUSQUE

OBSERVATIONIBUS DE MODO EXALTATIONIS ET VITRIFICATIONE METALLORUM

REVISUM ET HINC INDE AUCTUM,

PRÆMISSO SIMUL BEATI CLAUDERI VITÆ CURRICULO SISTIT

D. GABRIEL FRID. CLAUDERUS NEPOS,

PHYSICUS GUNZENHUSENSIS.

NORIMBERGÆ, APUD WOLFFG. MAUR. ENDTERI FILIAM MAYRIN, EJUSQUE FILIUM. MDCCXXXVI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Benevolo Lectori

Mentis ac corporis ſanitatem.

QUadraginta quinque præteriere anni, cum Beatum Clauderum tumulus claudit; famam vero Ejus adhuc poſt fata vigere, teſtantur Medicamenta ſingulari ab Illo menſtruo elaborata, quæ huc usque cum magno ægrotorum commodo a Medicis Celeberrimis adhibentur, & quædam eorum Diſpenſatoriis Pharmaceuticis illata ſiſtuntur; teſtantur quoque Eruditorum deſideria, ut Beati ſcripta de novo typis ederentur. Quo igitur deſiderantibus ſatisfaciam, & grati mei in Beatum Avum animi tradam documentum, ſiſto Schediasma Ejus de Tinctura Univerſali, reviſum & hinc inde illuſtratum. Multa in laudem hujus Tractatus præfari ſuperfluum judico. Valorem enim ſcripti, Celebritas & candor Autoris augebit, Ejusque Merita in Artem Medicam eximia, Vitæ Hiſtoria, pace Tua, Benevole Lector, Schediasmati præmiſſa, declarabit.

Mundi hujus miſerias Beatus aſpexit Altenburgi, urbe Miſniæ Celebri, Anno MDCXXXIII. die XIIX. Octobris inter armorum ſtrepitus, diræque peſtis ſævitiem; cumque per tres Menſes peſtifera lues cunctas puerperas cum infantibus interfeciſſet, primus infantum Beatus extitit, quem DEI benignitas ſanum ex utero materno eduxit, Sacro baptismate beavit, incolumemque cum matre puerpera ſervavit. Patrem habuit Venerandum M. Joſephum Clauderum, de re literaria æque ac Sacra præclare meritum, per viginti enim annos Illuſtri urbis Altenburgenſis Gymnaſio, & per totidem diverſis Eccleſiæ Altenburgenſis muneribus tanta fide ac dexteritate præfuit, ut præter alias calamitates, ſæviſſimas quoque militum cæſareorum crudelitates, ipſi ad mortem ferme illatas, conſtanti animo, DEO Adjutore, pertulerit. De quibus legi merentur, quæ in funebri concione Ejus reperiuntur. Et noſtra Familia adhuc poſſidet Vocationem Beati, ad Diaconatum Altenburgenſem Anno 1633. illi collatum, hanc cum milites Cæſarei Altenburgum invadentes, coram Altari pedibus calcaverint, veſtigiis calceorum ſtercoreis in ea relictis, ei inſcripſit: *Hæc ſunt Veſtigia inimicorum e quorum manibus DEUS me mire liberavit die Galli 1634. cum Chronoſticho:*

eX hoſtIs rapVIt IoVæ Me DeXtra CatenIs.

Mater Defuncti fuit Barbara, M. Michaelis Neandri Archi-Diaconi Neopolitani ad Orlam filia, quæ octoginta ſex, utriusque ſexus, hæredum mater, avia, proaviaque facta, octogenaria major beate obiit. Hi Parentes a teneris filio ſuo pietate, cæterisque virtutibus prælucentes, illum, creſcentibus annis præclari ingenii radios de ſe ſpargentem, Patrio Lyceo committebant, in quo manuductione Georgii Crauſeri Scholæ Altenburgenſis tunc temporis Rectoris, cum M. Flœſſero &

M.

M. Liſtio Conrectoribus, in ſtudiis, quæ vocant, humanioribus, inprimis Philologicis maximos fecit progreſſus. Anno ætatis ſuæ decimo octavo transacto, juſſu atque conſenſu Patris, Fratrum & Præceptorum in Academiam Jenenſem ſe contulit, ibique naturalium inprimis rerum notitiam incredibili ſectatus eſt ſtudio, Doctiſſimorum Profeſſorum Stahlii, Zeiſoldi, Bechmanni, Olpii, uſus opera, ſub & cum quibus etiam non raro in diſputatoriam deſcendit arenam. Jucundiſſimum ac utiliſſimum Phyſices ſtudium cum Medicina conjunxit, totusque manuductione Beati D. Rolfincii, Mœbii, & Schenckii Theoriæ Medicæ, inprimis Anatomiæ & Botanicæ incumbens, ſub laudati Mœbii Præſidio de uſu Hepatis & Bilis diſſeruit. Integrum Jenæ vixit triennium, manſurus diutius, niſi mirifica Numinis Providentia, illum Lipſiam avocaſſet. Maxima eo tempore Lipſiæ vivebat celebritate, non de chymicis modo experimentis, ſed & reliquis Medicinæ ſtudiis ſumme meritus D. Johannes Michaelis: Ille ut ampliſſimorum negotiorum ingenti copiæ ſufficeret, in Contubernio ſuo duos aut tres Medicinæ Candidatos liberaliter aluit, quibus non tantum ſelectiſſimæ Bibliothecæ in ordinem, locosque communes, ut vocant, redigendæ curam, cum chymicorum laborum cuſtodia, ſed etiam complures ægrotos inviſendi ſolicitudinem commiſit: Cumque eo tempore, non neminis diſceſſus in illorum numero locum cuipiam novitio vacuefeciſſet, Frater Beati D. Joſephus Clauderus Archiater Ducalis Altenburgo-Saxonicus, pro ea, quam cum Celeberrimo Michaele colebat familiaritate, effecit, ut in tanta id ambientium multitudine, dignus judicaretur, qui domeſtica tam magni Viri conſuetudine fruatur, quem etiam Beatus D. Michaelis plus quam paterno proſecutus eſt amore, nihil enim arcanarum tenuit doctrinarum, quas aut multiplici rerum uſu, aut ex aliorum egregiorum Medicorum, literis, undique ad ſe quotidie advolantibus, didicerat quarum notitiam Beato non aperuiſſet. Non vero ab hujus

ſolum ore pependit, ſed & aliorum Medicorum Scholis ſedulo interfuit. Hinc Præſide D. Langio Anno MDCLVI. in conflictu Publico Diſſertationem de Miſcellaneis Curioſis Medicis habuit. Cum quoque peregrinationes Medicos non tantum in Methodi, qua & Exteri morborum frangunt vehementiam, ſed & remediorum, quæ omnia non omnis fert tellus, intimiorem ducant notitiam, Beatum non parva, alio ſole calentes Provincias, viſendi tenuit cupido.

Hinc Anno MDCLIIX. Miſnicas & Bohemicas Metallifodinas cum diverſis Thermis atque Acidulis, quæ ibidem reperiuntur, perluſtravit: Deinde Anno MDCLIX., habita prius Lipſiæ ſub Inclyti Michaelis moderamine de PHTHISI Diſſertatione, incomparabilem Electoris Saxoniæ Sedem, cum incredibili inuſitatarum rerum copia, quibus illa inſpicientium animis ſtuporem incutit, non minore commodo, quam voluptate ſalutavit. Anno MDCLX. illuſtrem Leucoream ut & inclytam Electoris Brandenburgici Aulam petiit, ſingulis in locis perſpiciens, quæ e re ſua fore prudenter judicavit; ſæpius hæc protulit verba: Præcipue in binis illis Auguſtiſſimorum Electorum Sedibus tam multiplices tam utiles, tamque notatu dignas res oculis meis uſurpavi, quas cum ingentium ſumtuum imo Vitæ ipſius jactura, quamplurimi per multorum annorum ſpatium vel in Gallia, vel aliis remotioribus Provinciis conſpiciendi vix nanciſcuntur facultatem. Hiſce Saxoniæ Memorabilibus perluſtratis in fœderati Belgii Provincias & Angliam excurrere conſtituit, quod laude digniſſimum propoſitum, literis commendatitiis ad Medicos, Chymicos, alioſque eruditione inſignes viros D. Michaelis fulſit. Menſe hinc Majo Anno MDCLX. per civitates Saxonicas Magdeburgum, Luneburgum, Hamburgum, in Hollandiam profectus eſt, atque viſitatis pleriſque celebrioribus urbibus, iis præcipue, quas Academiæ nobilitant, Franekera, ſcilicet, Grœninga, atque Trajecto, Leidæ & Amſtelodami per aliquot Menſes commoratus fuit, poſtea reliquis Hollandiæ & Selandiæ

oppidis

oppidis perluſtratis, contendit in Angliam, & ſuperatis cum DEO tempeſtatibus in ſæviſſimi maris æſtu tumultuantibus naufragiumque minantibus, Londini potiſſimum atque Oxoniæ brevi tempore vixit, inſuetus enim maritimorum locorum aer varias corpori intulit ægritudines; hinc Italiam petere decrevit, benignius ſanitati cœlum ibi conjiciens. Viſis itaque Coloniæ Agrippina, Confluentia, Francofurto, Norimberga, Ingolſtadio, Auguſta Vindelicorum, Monaco, per Comitatum Tyrolinenſem in Italiam excurrit, Venetiis præcipue & Patavii ſubſiſtens, ibique ſtudium Anatomico-Chirurgicum cum Lingua Italica excoluit, nec non Noſocomia ſedulo viſitavit. Tandem, non neglectis reliquis Italiæ Civitatibus celebritate perſpicuis, Galliam viſere decrevit, cum vero, ob fervidi nimis harum terrarum aeris temperiem pluribus iisque gravioribus morbis conflictari debuerit, mutavit in Galliam abeundi propoſitum, & Lombardiam cum Liguria peragrans, per Mediolanum, Alpes Helveticas, Baſileam, Argentoratum, Spiram, Francofurtum & Gotham in patriam incolumis rediit. Poſt hæc ſcientiâ ſuâ Medicâ, in Academiis & itineribus per Decennium acquiſitâ, DEO & Proximo inſerviendum eſſe, æquiſſimum judicans, Anno MDCLXI. ad capeſſendos ſummos in arte ſalutifera honores, Lipſiam petiit, quos etiam Brabeutæ iidem, qui ſupra ſeptem annos Ejus Præceptores fuere fideliſſimi, habita de PHILTRIS diſſertatione, lubentiſſime in eum contulerunt. Dignitate Doctorali ornatum, nonnulli, Hamburgum ſe conferre, ibique Praxin Medicam exercere, ſedulo invitarunt; Supremi vero Numinis providentia aliud decrevit: Conſule enim Reipublicæ Altenburgenſis Poliatro, & Polyhiſtore, Thoma Reineſio, Altenburgum cum Lipſia mutante, ſuaſu Fratris D. Joſephi Clauderi, Natalem locum Hamburgo prætulit, Patriæque inprimis ſe natum eſſe judicans, tanta ſolertia illi inſerviit, ut neglecta ſanitatis ſuæ ratione, magnoque cum vitæ periculo, Anno MDCLXII. & MDCLXIII. dira peſte Altenburgi ſæviente, ibi permanſerit.

Hunc

Hunc in Patriam amorem DEI benignitas tanta Praxeos Medicæ beavit felicitate, ut non plebeji minus urbis Altenburgenſis vicinorumque locorum, quam illuſtres Viri, Nobiles, Barones, Comites ac Principes vitæ ſuæ curam ipſi crediderint. Anno MDCLXV. Sereniſſima Princeps MAGDALENA SIBYLLA Dux Saxoniæ, Medicum Ordinarium elegit, & anno MDCLXVII. Patriæ Pater Dux FRIDERICUS WILLHELMUS Archiatri munus clementiſſime ipſi tradidit, Idemque Sereniſſimæ Sobolis ſuæ valetudini cuſtodiendæ Anno MDCLXIX. ipſum præfecit, quam ſpartam, illo pie defuncto, Sereniſſimorum Tutorum Suffragia comprobarunt. Anno MDCLXXII. poſt præmaturum diſceſſum Principis Juventutis FRIDERICI WILLHELMI, ERNESTUS PIUS Saxoniæ Dux Auguſtiſſimus ſui ſuorumque Archiatri titulo Beatum ornavit, & ſæpe Conſiliis Ejus, præſente Medico Ordinario, DANIELE LUDOVICI in curando corpore uſus eſt. Anno MDCLXXIII. Sereniſſimus Marchio Brandenburgicus Dominus CHRISTIANUS ERNESTUS & Anno MDCLXXX. Dux Saxoniæ Sereniſſimus FRIDERICUS in aulas ſuas Beatum pertrahere geſtiere. Valetudinis autem adhibita excuſatione in urbe patria remanere maluit, quam aulæ fluctibus ſe ſe exponere. Ad parilis excuſationis neceſſitatem confugiens, familiam ſuam Dresdam transferre noluit, cum Potentiſſimus Saxoniæ Elector Dominus JOHANNES GEORGIUS III. per Principem Miniſtrum Baronem de HAUGWITZ efflagitaret, ut Archiatri Provinciam ſibi imponi pateretur. Bis autem Anno MDCLXXXII. & MDCLXXXIV. ab Electore valetudinis cauſa Dresdam vocatus, præter alia gratiæ inſignis teſtimonia Archiatri Electoralis reportavit Titulum. Nec aliæ Dignitates ſilentio ſunt prætereundæ, quæ aliunde Beato obtigerunt: Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum Directores Celeberrimi, ipſum tam Illuſtris Collegii Adjunctum conſtituerunt THESEIque titulo inſigniverunt; multi exterorum literis ſæpenumero teſtati fuerunt, quanti illum facerent, Maximi

Prin-

Principes ad illum dedere literas, ſingularem erga illum gratiam ſpirantes, in quibus Cæſarem Inviƈtiſſimum LEOPOLDUM, cum nonnullis Rom. Imper. Electoribus, nec non Eminentiſſimum CARDINALEM COLLONITZIUM colloco, quorum Munificentia, ſi uti voluiſſet, ad ſumma honorum Culmina emergere potuiſſet; ſed prætulit patriæ terræ dulcedinem ſplendidiſſimis aliorum locorum muneribus, maluitque in illa honoris mediocritatem obtinere, quam alibi magnis exſplendeſcere dignitatibus. Interea Veritatem Dicti Syracidis exemplo ſuo ſtabilivit; Artem Medicam extollere cultores ſuos, eisque Magnatum gratiam & admirationem conciliare. Cæterum cum & Divitiarum copia, & matrimonium, tam Conjugis probitate, quam ſobolis progenie beatum, non infima felicitatum humanarum ſint habenda, nec illis deſtitutus vixit Beatus. A teneris quidem maxima ſemper rerum premebatur inopia, DEO vero benedicente, & ſuorum uſibus, & multorum egenorum deſiderio largiter ſatisfacere potuit. Matrimonium Ejus, quod attinet, conceſſit illi Benigniſſimum Numen Anno MDCLXII. Menſe Majo, in re domeſtica non minus, quam ipſa Praxi Medica fideliſſimam ſociam, REGINAM ELISABETHAM, Victorini Gruneri Sereniſſimis Ducibus Gotha-Altenburgicis a Cameræ atque feudorum ſecretis, filiam, ex quo Conjugio, per 24. annos durante, tergeminam lætus aſpexit ſobolem, Filios nimirum duos, cum unica filia. Anno MDCLXIII naſcebatur JOHANNES VICTORINUS, paucis tamen a nativitate diebus iterum moriebatur. Deinde Anno MDCLXV. MARIA ELISABETHA. Anno MDCLXXXVI. D. FRIDERICO WILLHELMO CLAUDERO Medicinæ quondam Practico Altenburgenſi & Natur. Curioſor. THESEO II. Parenti meo poſt fata quoque colendo, in matrimonium collocata. Tandem Anno MDCLXVIII. Menſe Septembri lucem aſpexit Filius JOHANNES CHRISTIANUS Medicinæ Doctor, & Medicus Aulicus Altenburgenſis adhuc vivens. Ex filia binos vidit Nepotes. Unum Anno

 MDC-

MDCLXXXVII. die 8. Septembris in matris utero demortuum, & Anno MDCLXXXIX. die 22. April. me GABRIELEM FRIDERICUM. Hæ ſunt Fortunatæ dictæ Inſulæ, quas Beatus Avus pleniſſimis velis ſine remora appulit. Nec mirum! Sincera enim Pietas & ſolida Eruditio Illi ceu Phari fulgidiſſimi prælucebant. Pietas quaſi hæreditario jure in Illum tranſiit, in ſubſelliis enim adhuc ſcholaſticis, & Theſium ſanioris religionis noſtræ Eccleſiæ, & ſecus ſentientium hypotheſium notitiam accuratiorem ſibi comparavit, hac imbutus inter adverſariorum Scyllas & charybdes in itineribus ſuis tuto navigavit; Familiæ ſuæ Verbi Divini honorem, utque antiquis Chriſtianorum moribus incederent, non ſolum verbis ſedulo inculcavit, ſed & admonitionem paternam parietibus ſacellorum ad audiendas conciones publicas exſtructorum inſcriptam una cum emblematibus devotiſſimis in perpetuam ſuis reliquit memoriam. De Pietate Ejus beneficentia in egenos teſtatur. Quid vota pia Ejus Ephemeridibus & manuſcriptis præfixa? quid meditationes Theologicæ Medicis intermixtæ aliud ſunt, quam radii pietatis, quibus Beatus corruſcavit. Solidæ Ejus & præclaræ in Arte Medica Eruditionis teſtimonia præter ſupra allegatas Diſſertationes Tractatus extant tres curioſi editi, quorum primus agit de TINCTURA UNIVERSALI, contra abuſum Alchymiæ, anno 1678. Altenburgi. Secundus, de BALSAMATIONE CORPORUM SINE EVISCERATIONE. Anno 1679. Altenburgi. Tertius de CINNABARI NATIVA LONGA CIRCULATIONE FIXANDA ET EXALTANDA. Anno 1684. Jenæ impreſſi. De Eruditione Ejus teſtantur EPHEMERIDES Naturæ Curioſorum, quas largiſſimis Obſervationibus illuſtravit; nec literato Orbi aliis Scriptis prodeſſe deſierit niſi ægritudines corporis & præmatura mors finem laboribus impoſuerint. Ægritudines quibuscum conflictatus fuit Beatus,

tus, fuere Diſpoſitio hæreditaria ad calculum renalem, quam tamen, bona diæta, ſelectisve Medicamentis a ſe ipſo inventis, DEO benedicente ſuperavit. Anno MDCLXV. dyſenteriam & Anno MDCLXXIIX. febrim malignisſimam perpeſſus fuit. Creſcentibus annis & laboribus practicis graviſſimis defatigatus, Aſthmate Scorbutico hypochondriaco affligebatur, cui acceſſit initio Novembris MDCLXXXX. tumor abdominis tympaniticus, & die decimo tertio hujus Menſis vehementiſſima Cardialgia, ſingultus, & tuſſis, hæc ſymptomata comitabatur Malum Iſchiadicum cum ſummi ardoris & tenſivi doloris interiorum viſcerum ſenſu. Morbi hujus vehementia indies ingraveſcens, nullisque medicamentis cedens, Beatum ultimam vitæ horam inſtare monebat, quam etiam mira animi conſtantia inter graviſſimos dolores lætus expectabat. „Hæc, inquiebat, eſt Via ſpinis „obſita, Chriſtianis peragranda, Salvatoris mei præeuntis lu„bentiſſime veſtigiis inhærebo. Confidam Domino, quamvis „me interficeret. DEUS genuinus fuit Bonifacius in vitæ meæ „ingreſſu & progreſſu, nec me deſeret in egreſſu.„ Verſiculo primo Pſalmi 31. quem & ſymbolum & textum funebrem ſibi elegit, ſumme delectabatur, hic ſemper in ore Ejus fuit, in hunc aureis literis tabulæ inſcriptum, lectoque affixum, oculos direxit, quousque vigor eorum id permiſit. Nec ſpes Beati DEO confiſa etiam in vitæ clauſula confuſa receſſit, die enim IX. Januarii MDCXCI. placidiſſimam ſubiit mortem, quam tamen Patroni, Patria, Familia, ægroti, nec non Tota Hygiea nimis maturam adhuc lugent. Sufficiant hæcce de Curriculo Vitæ Beati Avi protuliſſe: Laborem hunc meum, Beatis Manibus ſacrum, Benevole Lector, æqui bonique conſulas velim, ſi Divina clementia vires & vitam conceſſerit, animum meum proximo inſerviendi cupidiſſimum, in revidendis & denuo edendis reliquis Beati Avi ſcriptis declarabo. Vale & fave.

Claudat CLAUDERUM tumulus; cumulus meritorum
Panditur hîc, complens Solis utramque Domum.

Hoc Diſticho Deſideratiſſimi Sui Domini Collegæ memoriam coluit.

Academiæ Natur. Curioſ.
CELSUS.

PRÆ-

PRÆFATIO AUTORIS.

NOn *haberi ſed eſſe* : (hoc eſt non nominetenus ſaltem; ſed & realiter ſimus quod ſumus) Celeberrimi Mathematici, Tychonis a Brahe fuit Symbolum. Id quod nunc meum mihi facere licebit. Cum enim Collegio Naturæ Curioſorum me adjunxerim, vel hoc ipſum Collegii Nomen ſtatim indicat, quid moneat, vel quid habeat in receſſu. Proinde Legibus ipſius, quibus naturalia ſcrutari jubemur, obediens, Literato Orbi præſentem communicare Tractatum conſtitui.

Si fortè pruritui legentium Scriptum hoc non ſatisfaciat; (cum omnibus placere ſit impoſſibile) a prudentioribus eò faciliorem veniam me impetraturum confido, quod ſim aggreſſus Materiam, ſi quæ unquam alia inter res publice propoſitas, abſtruſam, confuſam, intricatam, & obſcure ab aliis tractatam, aut minus adcurate ventilatam, imo ſumme arduam.

Sin autem nonnullis diſplicuerit, quod nimium aperte fuerim locutus, atque indignis propalaverim tantum Arcanum, illi ex Ethicæ Chriſtianæ fundamentis, æqua animi lance ponderent, rogo, quid ſit invidia, & quid Chriſtiana Charitas. Nobis enim ſolis nati non ſumus. Nec prætextus ille, quod abuſui anſa detur, & Perlæ ſuibus projiciantur, attendendus; cum notum ſit, abuſus iſtius causâ nihil abrogandum, vel intermittenda eſſe bona, ſi per accidens aliquando inde eveniant mala; alias eidem fato ſubjecta eſſent Pecunia, Vinum, Veſtes; ut nihil dicam, de gladiis, tabaco, pulvere tormentario, & innumeris aliis. Adhæc ſcandalum hoc omnino erit acceptum, nec mihi imputandum, quoniam integro Capite quarto prolixe ſatis demonſtravi, quinam digni ſint, & quibus competat inæſtimabile hoc Myſterium Divinum tangere. Me quoque minime latet, Arcana revelata vileſcere. Sed eſto! vileſcant indignis, modo innoteſcant aliis, commoda promo-

turis

turis publica. Siquidem & Reges & Ruſtici eodem pretioſo CHRISTI ſanguine ſunt redemti.

Quid proderunt igitur tunc demum Arcana, cum extremus adveniet dies? cum fractus illabetur Orbis? Quod ſi etiam nondum inſtaret, veluti tamen plurimi Theologorum ſentiunt, hora diei duodecima, aut ad minimum undecima Magni illius Patrisfamilias; Tuæ tamen vitæ, mi Chriſtiane, ſingulis quaſi momentis ingruit dicta hora duodecima. Quomodo igitur invidiam tuam excuſabis? quem juvabit Theſaurus tuus abſconditus? Novit Cardiognoſtes Cœleſtis piam meam intentionem; hinc recte faciendo neminem timeo; ſed pro amplificando Divino honore, & proximi emolumento, ac ſtimulandis aliis ſagacioribus ingeniis, facio, quæ facio, pede quaſi ſtans in uno, in tranſitu hoc mundano memor æternitatis. Nam juxta Ovvenum, noſtra

Momentum Vita eſt; ſed pendet ab hoc momento,
Sive perenne bonum, ſive perenne malum!

CAPUT

CAPUT I.

EXHIBENS OCCASIONEM SCRIBENDI.

ALiquot annorum tranſiit ſeries, cum, quod jam facio, facere conſtitueram, id eſt, Literato, curioſo atque in DEI honorem, proximique commodum inhianti Proximo meo publice communicare pro ingenii modio, ac ſimplici mentis ſinceritate, quæ de UNIVERSALI MATERIA, regum opes ſuo pretio non æquante, ſed ſuperante, Ejusque præparatione a Viris variis, occultiora Naturæ arcana ſerio ſcrutantibus, & audiveram, & videram. Verum enim vero, cum inter agens & patiens proportio debeat eſſe decens, merito me deterruit.

I. Rara rei hujus arduæ, humanamque ſapientiam, tantum non tranſcendentis gravitas. Cum mecum habitans norim, quam curta ſit ingenii mei ſuppellex; & quam plures illuſtrioribus dotati ſapientiæ donis, non ſuffecerint huic oneri ferendo, nec Lectori ſatisfacere valuerint; præcipue cum nunquam fere ipſe Operi huic magno manum admoverim.

Si enim curioſo Naturalium Scrutatori tot ac tot tædioſæ & laborioſæ obviam eunt difficultates in indagandis aliis rebus Medicis; v. g. quam multa fert, facitque quam ſudat & alget Botanicus, antequam floſculos ſuos & herbas decenter excolat, characteres eorum noſcat, debito tempore eas colligat ac uſui reſervet; quam ſedulus & indefeſſus eſt, ut experiatur harum virtutes? Exempli loco produco ſaltem Purgantia; quam multi enim deſudarunt in indagatione, an hoc Bilem, illud Melancholiam, iſtud pituitam; an vero in genere ſaltem cruditates omnes Maſſæ ſanguineæ & Viſcerum Co-

ctionis expurgent. Per quot ſecula tracta fuit controverſiarum ſerra, an hæc operationem ſuam exſerant humores attrahendo, vel fugando, vel ſtimulando? an occulta item, vel manifeſta qualitate agant? an purgantia ſint venenata &c.

Theatrum Anatomicum ſi ingredimur, ingredimur ſane Augiæ ſtabulum! Inter mille enim alios Hercules ibi ſudantes ac purificantes ſolus nunc prodeat HARVEVS: quantum temporis, quantum ſudoris, quantum laboris faſtidioſi impendit ille, in dilucidando Generationis Animalium negotio? quot perdidit Menſes, imo Annos, antequam de inventa ſanguinis Circulatione triumphare valuerit. Quid dicam de farragine Controverſiarum theoreticarum? Quid de Principiis Chymicorum, Galenicorum, Helmontianorum, Carteſianorum, Sylvianorum, Charletonianorum &c. Quomodo ingenia humana harum varietate agitantur, macerantur, cruciantur, turbantur? ut proinde de hiſce loquendi nec principium, nec finis fere ſit inveniendus?

Si tandem, ceu Practici, ante ægrotantium nos ſiſtimus lectos, quas, quales, quantas ibidem videre eſt difficultates; quot, quantaque dubia torquent noſtros animos antequam genuina morbi cognitione, utpote verô ſanationis fundamento, potiamur.

Quot quantaque dubia mordent animos noſtros, antequam morbo cognito neceſſariam adferre valemus medelam? (a) Solum jam adduco inter mille alios vertumnum illum, SCORBUTUM, vix perſcrutabili Symptomatum variorum diverſitate ſtipatum? Quam varie eludit iſte medicamenta probatæ alias efficaciæ? Quantos clavarum Herculearum inflictus reddit irritos?

Si inquam (repeto) curioſo Scrutatori naturalium, tot ac tot tædioſæ, ac laborioſæ obviam eunt difficultates in indagandis rebus aliis Medicis, quantum laboris, quæſo, Atlanteum & Herculeum, hocce de TINCTURA UNIVERSALI arcanum requiret? Ubi ſuum inveniet Alexandrum Magnum nodus hicce Gordius? Cum hæc multis paraſangis antecedat reliqua omnia, interque ea emineat.

Quantum lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi.

Quis valet ſuperare has ſyrtes, hanc Scyllam, hanc Charybdin? Quis Jaſon poteſt enecare hunc Draconem, pro obtinendo Aureo Vellere? Cui contingit adire hanc Corinthum, ubi Viri Literatiſſimi, viri acutiſſimi toties ſpe ſua exciderint?

II. Me

II. Me deterruit ſterilis ſcripturiendi pruritus, plures hodie infeſtans: dum nonnulli aut gloriolæ oſtentandæ, aut vilis lucelli aucupandi gratia ex aliorum libris convaſant nonnulla, ex iisque ſua clancularie ſuffurantur, ac veluti Æſopica Cornicula alienis plumis ſe ſe veſtiunt, nihilque dicunt, quod jam dum non ſit dictum & ſcriptum, ac veluti pediculi aliorum ſanguine ſe ſe conſervant ac nutriuntur, aut exſucca tandem & ſterilia proponunt. Præprimis vero non ſine rei Literariæ ac inprimis Medicæ Opprobrio, vagantur & oberrant ſcripta innumera Alchymica, Enthuſiaſticis, ridiculis, inutilibus, Thraſonicisque nugis ac vanitatibus plena, adeo ut plures ingenui, ſi atheum, ſcurram, ſceleſtum, fradulentumque aliquem nominare voluerint, unica voce Alchymiſtæ id perficiant. Ut proinde ingenuus & Curioſus Lector non immerito faſtidiat, tale ſcriptum recens editum, ſi oculis offeratur.

III. Me deterruit ulceroſa ſæculi noſtri conſuetudo, ac deteſtabile Sciolorum & Philautorum alios rodendi cavellandique ſtudium. Cum enim aliquis pro Talenti ſui concrediti pondere in DEI honorem, proximique commodum, publicæ ſcriptum aliquod luci committit, Lector curioſus & ingenuus obſtringitur a Conſcientiæ ſuæ legibus, ut lecta ventilet, & ſi nonnulla ſcriptis rectiora noverit, candide & amice impertiat, ac placide ſine ſcopticis dicteriis ac barbaris rixis, diſſenſum ſuum ſolidis rationibus & experientia ſtabilitum, aut publice, aut privatim communicet, atque inde, tanquam e ſilice ignis, veritas mundo utilis eliciatur. Quemadmodum poſt alios non ita pridem fecere Clariſſimi Angli, Dn. Williſius, Nathanaeli Highmoro & Dn. Lucas Schroeckius, Collega honorandus, Dn. Friderico Hoffmanno in ſua Pharmacop. ab illo placide diſſentiens. Utinam autem contrarium, quotidie experiri non cogeremur!

Vix enim tractatu aliquo publice edito, non pauci in illud, veluti rapaces Harpyiæ invido ac malevolo oculo & animo involant, linguæ viperinæ aculeis pungunt, atque e bonis hujus & illius ingenii floribus, non, veluti Apes mel; ſed veluti araneæ, venenum, juxta commune dicterium exſugunt & conficiunt. Ut ita Veterum illud ſuſpirium: Homo homini diabolus pro dolor! ſuo adhuc gaudeat fomento. Atque inde fit, ut plura ſumme utilia inter privatos Cancellos deliteſcant, ac publico ſubtrahantur, futura blattarumque ludibrio ſint & nutrimento.

Dolendum quoque eſt in ſpecie, quod ob diverſitatem Religionis ac Regionis, & cum natio altera alteri politice adeo ingenue non faveat, ab incolis Medicis ad talia ſcripta odium etiam transferatur; infernaliſque invidiæ & rixæ Promus Condus ideo quoque laboret ac obtineat, ut plura utiliter cogitata ſupprimantur. Exempla, utpote ſatis obvia, in re tædioſa adducere ſuperſedeo; unicum ſaltem addens, inutilem adhuc fervere litem inter varios Reipubl. Medicæ antiſtites, Germanos, Italos, Gallos, Anglos, cuinam ſit imponenda Corona triumphalis pro *Chirurgia infuſoria & transfuſoria* primum detecta.

Cum tamen facile accidere poſſit, ut nonnulli ſimul unum & idem meditentur ac inveniant, licet diverſis in locis degant, nec literario utantur Colloquio; quod itidem hic fortè factum credo, nec ulli aliquid honoris ſum derogaturus, cum de hac primum ſcribentes omnes ſua curioſa & laborioſa naturalium indagatione Orbi Medico, imo literato ſint notiſſimi. Idem poſſum proprio teſtari Exemplo: Meditabar, egregium præſtare uſum variis adfectibus Eſſentiam Caſtorei & Spiritum Salis armoniaci, cenſebamque nobilius adhuc medicamentum parari poſſe, ſi legitima doſi, digeſtione, & circulatione hæc duo jungerentur, & unirentur; propterea anatica quantitate hæc duo miſcui, infundendo in duplum Spiritus Meliſſæ vel cochleariæ, pro aliquali diluitione & ſaporis correctione; (ſi cui lubet, poterit Caſtoreum ſtatim extrahi dictis ſpiritibus, & poſtea miſceri Spiritus Salis armoniaci) vidi tunc ſæpius raram efficaciam in ſumptomatibus plurimis Nervorum, Apoplexia, Epilepſia, Scorbutico-hypochondriacis torminibus Ventris, affectu hyſterico, quem vocant &c. &c. Mentionem hujus faciebam coram Amico; ille mihi mittebat illud idem non ita pridem a ſe primum paratum; quaſi unius cogitationes alteri fuiſſent cognitæ.

Ad hæc illa ipſa *Chirurgia Infuſoria*, ſeptuaginta jamdum abhinc annis fuit deſcripta a Germano Celeberrimo, *Andr. Libavio*, qui in defenſione Syntagmatis Arcanorum contra *Henningum Scheunemannum* Cap. 4. p. 7. 8. edit. Francofurt. 1615. in hæc erumpit verba: "*Adſit juvenis robuſtus, ſanus, ſanguine ſpirituoſo plenus, macilentus, vix animam trahens.* Magiſter artis habeat Tubulos argenteos, inter ſe congruentes. Aperiat Arteriam robuſti, & Tubulum inſerat, muniatque, ægroti arteriam findat, & tubulum fœmineum infigat. Jam duos Tubulos ſibi mutuo applicet, & ex ſano ſanguis arterialis calens & ſpiritualis ſaliet in ægrotum, unaque vitæ fontem afferet,

„omnem.

„omnemque languorem pellet. Sed quomodo ille robuſtus non lan-„ gueſcit. Danda ei ſunt confortantia & cibi, &c. „ Hucusque Libavius.

Ita imperſcrutabile DEI Judicium, per tempus aliquando hoc vel illud occultat, aut ob noſtram indignitatem, & hæreditarium peccatum, aut ut eò accuratius nos poſteri ſcrutemur naturam. Sic quoque a pluribus anxie hactenus quæſita Veneris dealbatio & ſine fractura malleabilitas; (*b*) cum itidem tamen a Veteri quodam Chymico plures ante annos Typis exſcripta doceatur. Quoniam autem nonnulli in re monetaria, aliisque jam eadem nefarie abutantur, plura non licet de hac addere. Sic *Ludovicus Locatellus*, in Theatro ſuo Arcanorum italice edito, tecte deſcribit, *Terram Foliatam Tartari*, (*c*) quod poſt paucos annos itidem facit ſub *Salis eſſentialis Tartari* (*d*) nomine curioſiſſimus & laborioſiſſimus Zwœlfferus; unde poſtea addito Vitriolo martis paratur Tinctura rariſſimæ efficaciæ; cum tamen *Philippus Müllerus*, in Tractatu ſuo Miracula Chymica inſignito, & *Dan. Sennertus*, Inſtitutionum Medicar. Lib. V. Part. III. Sect. 3. Cap. 15. longis abhinc annis eam deſcripſerint.

Religionem quod concernit, notum non minus eſt, diſſidia iſta Theologica a cacodæmone ſæpius etiam ad Medica ſcripta extendi, atque ideo plane extra rhombum, unum ab altero transverſis oculis adſpici, ac invidioſæ linguæ aculeis lædi; cum potius deceat Chriſtianos, utpote ſub eodem CHRISTI vexillo militantes, contra Atheos, Gentiles, Turcas &c. Chriſtianis amore, auxilio, applauſu obviam ire, præcipue in rebus, ubi Publici emergit utilitas; ſejunctis talibus ſcandaloſis, extraneis, ad rem medicam non facientibus.

Dictis tamen hisce obſtaculis non obſtantibus, ab Amicis incitatus, Legibus Academiæ Noſtræ Curioſæ, quibus elaborare Scriptum de re aliqua medica jubemur, ſatisfacturus, crenam operi admovi; accurata animi expendens lance, Magnum illum Patremfamilias Matth. XXV. rigoroſam de Talento concredito expetiturum eſſe rationem; præcipue cum viderim, noſtro hoc ſeculo in Vinea Medica inſtare fortaſſis horam 9. aut 11. diei, quia plus ibi hactenus eſt laboratum, & ſummopere adhuc labores fervere, ac in antecedentium Sæculorum ullo factum eſt.

Quot enim quæſo, hucusque noviter ſunt inventa? Prodeant ſaltim pauca loco plurium; e. g. Sanguinis Circulatio, Venæ lacteæ, Ductus Thoracicus, Vaſa lymphatica, ductus ſalivales, lacrymales, legitimus Viſceris Pancreatis cum ſuo ductu ſuccoque uſus, olim incogni-

cognitus &c. Quid dicam de utiliſſimo incremento Doctrinæ de fermentatione, (*e*) de Generatione Animalium; ut taceam multa alia curioſa & ſumme utilia in aliis Theoreticis & practicis rebus Medicis. Quantum acceſſit lucis Rei Botanicæ? Quantis Enchiriſibus aucta Chymia? Cum igitur non minus hactenus *Materiam Univerſalem* frequentius & adcuratius ſint aggreſſi nonnulli, ac confidam ego, me mea, tenui licet, notitia hac in re aliquid lucis poſſe adferre, partim, ut miraculoſam Operum Divinorum Magnificentiam & amplitudinem ab injuriis per Tincturæ exiſtentiam negantes Ei illatis vindicem; partim, ut juvem recta via ingredientes, (ſi cuidam ingenuo magnum hunc laborem tentare, forſean libuerit) partim, ut dehorter plures aut ex inſcitia & ſtupiditate, aut ex malitia, a verâ ſemitâ deviantes, atque ita Magnates fruſtra Auro emungentes, ac ipſos cum ſe ipſis decipientes.

Sanctiſſime tamen proteſtor, meamque appello ad conſcientiam, nullo plane alio fine hæc a me inſtitui, quam ut imperſcrutabilis Operum Divinorum Gloria amplificetur, Proximique Commodum promoveatur, ac ut de Publico bene merear; (cum non nobis ſolis ſimus nati; verum ad DEI Imaginem, ne ſaltem veluti Bruta, edamus, bibamus, dormiamus, & poſtea ſtupidi obmuteſcamus; ſed ut noſtrâ Divinæ Auræ Particulâ prudenter operemur, atque per hanc a brutis Nos diſtinguamus.) Et hæc omnia quidem pro Talenti mei Pondere, ſine invidioſis in alios ſtimulis ac oſtentationibus faſtuoſis omnibus, nec non reverenter ſemper habito meliori aliorum judicio, atque ut ſuo quemlibet abundare Genio permittam.

Additamenta ad Schediasma de Tinctura Univerſali.

CAPUT I.

(*a*) Circumſtantiæ in ſingulis ſubjectis aliter ſe habentes, curationem quoque mutant. Adeoque, ut loquitur *Conradus Dietericus Jatreo Hippocrat.* in operatione ſubinde ἐκ τῆς ἰδιότητος καὶ ἰδιοσυνκρασίας ἢ ἄλλων αἰτίων occurrunt caſus difficillimi. Adeo homo animal varium & mutabile ſemper. Quantum in hominibus temperierum diſcrimen! quot ἰδιοσυνκρασίαι! quam variæ partium temperies! quam variæ aeris! quam variæ vires hominis aut viri aut feminæ!

quam

quam variæ ætates! quam varium Vitæ genus! Ex variatione illa & temporum & temperamentorum παντοδαπὸν σχῆμα circumgerere oportet Medicum, & animo erecto atque intrepido Proteum agere, prout nunc hoc, nunc illud eum circumſtat, & undique cingit. Cum æger ſe μεταποιεῖ, cum morbus τρόπον μεταβάλλει, & Medicus σεαυτὸν μεταποιεῖ, καὶ εἰς ἑτέραν ἰδέαν τρέπει. Usque adeo ille καιροῖς συμμεταβάλλεται, καὶ ἄλλας ἄλλοτε χρόας μεταλαμβάνει, ut ægroto ſubveniat commode. Felix, addit Dietericus, qui inter has turbas felix eſt, eſtque hic ἐν στοχασμῷ ἄλλος ἄλλῳ δυνατώτερος.

Quid per στοχασμὸν Dietericus intelligat, & quomodo per illum difficultates & dubia in arte Medica occurrentia felicius ſuperari queant, ſequentia clarius exponent.

Στοχάζομαι a quo στοχασμὸς ducitur, idem eſt proprie ac ſcopum peto, collineo, oculos in ſcopum intendo. Hoc verbum poſtmodum per metaphoram ad animum transfertur, & ſignificat, animi intentionem ad certum ſcopum ſeu propoſitum dirigo, cogitationes ad aliquid determino, conſidero, conjicio, conjecturam facio, uti & ἀστοχέω, aberro ſcopo, minus recta ad ſcopum tendo, ſignificans, itidem ad animum transfertur, cujus exemplum epiſtola Pauli 1. ad Timoth. Capite 1. v. 6. reperitur.

Quemadmodum itaque ſagittam, globulos bombardarum & ſimilia, ad certum ſcopum dirigimus, ut illum feriamus ac petamus, ita in στοχασμῷ ſive Conjectura cogitationes omnes eo diriguntur, ut id quod quæritur, eruatur. Idem innuit *M. Fab. Quintilianus*, Inſtitut. Orator. Lib. III. C. VII. Conjectura, ſcribens, eſt a Conjectu, id eſt, directione quadam rationis ad veritatem.

Conjectura Græcis quoque dicitur συμβολή, quæ Denominatio exactiſſime Latinæ reſpondet, proprie enim notat Conjectum, conjiciendi actum, hinc metaphorice Conjecturam. Συμβάλλω enim proprie eſt, conjicio telum vel ſimile, quod tamen verbum frequentius metaphorice pro conjectura perſequor ſumitur. Ita συμβάλλομαι notat conjectura aſſequor, ut & intellectu aſſequor, &, quæ ſignificatio inprimis attendenda, computo, ſupputo, vel rationem ſubduco, id quod modum Conjecturæ concinne indicat.

Sumitur autem Conjectura, primo pro actu ipſo conjectandi, & ſic meditatio eſt & ſpecies quædam ratiocinationis, deinde pro ea notitia & cognitione, quæ exinde producta & obtenta eſt, hinc pro cognitione, opinione, præſumtione, ſuſpicione, judicio & Divinatione non raro ponitur; tandem pro propriis reciprocis, i. e. effectibus & cauſis remotis, ex quibus in rei quæſitæ cognitionem deducimur. Vid. *Viotti de Demonſtratione Lib. III. C. IX.*

Priores duæ ſignificationes potiſſimum hic habent locum, ultima enim rarius occurrit, & melius per ſignum vel ſimile verbum exprimitur. Conjectu-

ra pro ratiocinatione ſumta itidem non eſt ejusdem generis, ſed notat, vel quamcunque ratiocinationem ex veriſimilibus procedentem, & hæc eſt vulgaris & plebis, ac ex ſigno communi, ſeu juxta *Hippocratem Præcept. Cap. I.* ἐκ πιθανῆς ἀναπλάσιος λόγυ, ex probabili rationis figmento, concludit, indigna Viro ſapiente & Medico: Vel notat eam tantum ratiocinationem, cujus principia ſunt ſigna certa ac propria, & ab effectibus & cauſis remotis potiſſimum ſumta. Hæc alias appellatur Demonſtratio Conjecturalis, vel demonſtratio ſigni, qua de videri poteſt Viottus cit. loc. & iterum diſpeſcitur in duas ſpecies. Si enim ex ſignis definitis & certo numero adſtrictis progreditur, idem nomen retinet, ſin vero indefinitis & indeterminatis, quamvis itidem certis & manifeſtis, rei veritatem eruit, *Conjectura artificioſa* vocatur ſ. τεχνικὸς ςοχασμὸς, inprimis a Galeno. Conjectura hæc artificioſa, ſi ad finem quendam propoſitum conſequendum impenditur, *Prudentia*, dicitur.

Demonſtratio Conjecturalis & καὶ ἐξοχὴν ſic dicta, & ejusdem ſpecies altera, ſeu artificioſa vocata Conjectura, in medicina occurrit, de ultima autem, quæ etiam ſimpliciter *Conjectura Medica* audit, Conradus Dietericus citato loco agit. Medica autem vocatur Conjectura, non, quaſi in ſola Medicina occurrat, ſed quia Medicina ea utitur tanquam medio apto ac neceſſario ad cognitionem & curationem feliciorem, & definiri poteſt, *per artificioſam ratiocinationem, ex ſignis manifeſtis, certis & indefinitis procedentem, & veritatem Medico neceſſariam, ac quam fieri poteſt, certiſſimam, invenientem.*

Hanc Conjecturam ut Medicus recte faciat quatuor potiſſimum requiruntur: Naturalis habilitas ad conjiciendum, Doctrina ſufficiens, Exercitatio ſeu Uſus, & Principia apta.

Naturali habilitate gaudens Medicus, mediocriter alias eruditus, plus ſæpe præſtat, quam Medicus ſumme eruditus & illa carens, ut jure etiam de Medicis, quod de Poetis communiter aſſeritur, dici poſſet: *Boni Medici non fiunt, ſed naſcuntur.*

Doctrina huc pertinet non ſolum Medica, ſed Philoſophia tam inſtrumentalis, quam Practica, maxime vero Logicæ veræ peritiſſimus eſſe debet Medicus. Hinc Galenus de Loc. Aff L. I. C. I. inquit: *Oportet hominem exercitatum ratione eſſe, qui voluer t non ſolum affectus ipſius qualitatem, ſed affectum quoque locum probe dignoſcere.* Nec abeſſe poteſt ullo modo Anatomiæ, Chimiæ, Matheſeos ſcientia, ne de aliis dicam. Potiſſimum vero Medicam ſcientiam exacte cognitam habere debet.

Uſus, ut alias facit artificem, ita longe magis in Conjectura artificioſa, quæ ſine exercitatione haud facile obtinetur. Galeno teſte Comment II. in Libr. Hippocrat. de Vict. rat. in morb. acut. *Artificioſe conjicere, inquit, viri eſt, qui vires omnium, quæ in arte ſunt, didicerit, memoriæ mandaverit, atque dili-*

gentia

gentia omni adhibita, ſe ſe in operibus artis exercuerit. Quam Exercitationem idem magnopere & eleganter commendat *Lib. II. de Criſibus Cap. II.*

Principia Conjecturæ Medicæ ſunt ſigna manifeſta, certa & indefinita.

Manifeſta ſigna requiruntur, ex notis enim ignota elici debent, neque enim ignota alia ignota ullo modo revelare poſſunt.

Certis ſignis opus eſt, ſeu talibus, quæ revera ita ſe habent, non vero ſpeciem tantum aliquam præ ſe ferunt. Unico enim admiſſo incerto, reliqua omnia redduntur dubia, quia Veritas non niſi per vera indagari poteſt.

Indefinita ſigna in Conjectura Medica occurrunt, his enim Conjectura differt a demonſtrativa cognitione, quæ per ſigna definita veritatem acquirit, quibus præſentibus id, quod quæritur, facile a perito cognoſcitur. Indefinita autem vocantur, quia non ad certum numerum reſtringuntur, ſed promiſcue omnia nota, quotquot haberi poſſunt, adhibentur ad Conjecturam rite faciendam. Hunc cenſum ſubeunt omnia illa, quæ rei, de cujus veritate quæritur, quomodocunque connexa vel conjuncta ſunt, & vel ſenſibus percipi queunt, vel per demonſtrationem indubia & certa jamdum reddita fuerunt.

Ab iis autem, quæ ſenſibus tam medici, quam ægrorum, adſtantium, aliorumque conſtant & manifeſta ſunt, initium faciendum in Conjectura Medica, a quibus ad ea, quæ per demonſtrationem inventa jam ſunt, progrediendum, ut ulterius indagando propoſita eruatur veritas.

Quanquam vero omnia ita comparata eſſe debeant Conjecturæ principia, inſigniter tamen variant, pro cujusvis rei inquirendæ conditionibus. Alia enim præ aliis, etiam ex notis, conveniunt ad ſcopum obtinendum, quare ſelectus eorum eſt neceſſarius, quod melius ex modo ipſo Conjecturæ Medicæ pateſcet.

Hic cum Analyſi Mathematicorum ſpecioſa convenit, prout illa ex datis & notis quæſitum & ignotum deducit, vel inveniri non poſſe, oſtendit, tribusque modis abſolvitur: nimirum 1.) Nominum impoſitione, quando propoſita quæſtione ante omnia attenditur ad id quod ignotum eſt, & maxime quæritur, & a quo aliorum quorundam cognitio dependet, imponiturque ipſi loco nominis una ex ultimis Alphabeti literis X. Y. Z. e contra quæ data vel nota occurrunt, primis A. B. C. &c. inſigniri ſolent. 2.) Æquatione, quando ignotum illud tanquam jam inventum conſideratur, & comparatur cum cæteris notis, juxta tenorem & conditiones quæſtionis, donec emergant duæ quantitates inter ſe æquales. 3.) Reductione, quando inventis ita æqualibus, utrinque tamdiu additur aut demitur, aut multiplicantur ipſa, aut dividuntur per idem quippiam, prout æquationis ratio ipſa monet, donec ex una parte iſtorum æqualium ſuperet ſola quantitas ignota, X. Y. Z. & ex altera parte quantitas alia ex meris cognitis A. B. C. &c. compoſita, quæſito ex omni parte ſatis-

faciens,

faciens, & quod ignotum antea fuerat, nunc terminis notis exprimens. Ita in Conjectura Artificioſa quoque Tria conſideranda veniunt: Formatio nimirum Problematis vel quæſtionis, Inveſtigatio & ſelectus ſignorum ſive Principiorum, & tandem Ratiocinatio, prius eligens, ac poſtmodum decidens.

Formatione Problematis vel quæſtionis opus eſt, ut diſtincte & accurate ſciat Medicus, quid eruendum & cognoſcendum ſit. Nonnunquam quidem, inprimis in renunciationibus faciendis, expreſſis verbis proponitur quæſtio, ſæpe tamen etiam implicite & obſcurius paulo id fit.

Conjecturam vero facturus ſeligere ex his accurate debet, quid quæratur, &, ſi plura ignota manifeſtanda occurrant, ſingula ſeorſim collocare.

Sic in morborum curatione plura Medico inveſtiganda ſunt, quamvis æger ſæpius nihil requirat, quam curationem ipſam. Hinc Medicus mente ſibi proponit diſtinctas quæſtiones de ſingulis expiſcandis, ut, ordinem ſervando, unamque poſt alteram expediendo, felicius emergere, veritatemque indagare queat.

Hoc facto ſollicitus eſſe tenetur de principiis ſeu ſignis, quibus pervenire ad id, quod intendit, liceat.

Quanquam enim manifeſta ſint, quæ huc pertinent, tamen, ut & ſibi manifeſta reddantur oportet Medicum, cum nec ab ægris, nec ab adſtantibus, nec ab aliis ſufficienter ſponte recenſeantur.

Hæc inveſtigatio autem peragitur partim ſenſibus Medici, quibus ipſe deprehendit in ægro ac in aliis, quomodo quælibet res comparata ſit, partim vero concinna interrogatione.

Senſibus quæ percipere valet, abſque difficultate deprehendit, ſi machinæ humanæ, vel rei indagandæ, ſtatum naturalem habeat probe cognitum, & alias in arte exercitatus fuerit. Sufficiunt vero vel ſenſus ſoli, vel ſimul requiruntur alia adminicula, uti in inquirenda lethalitate vulneris apertio & inciſio cadaveris hanc in rem inſtituitur, ut ſenſibus partium læſarum conditio appareat.

Interrogatione apta illa colligit, quæ homo ſanus vel æger, cujus conditionem & ſtatum inquirere ſatagit, vel adſtantes quoque, ſenſibus perceperunt, vel adhuc percipiunt. Sæpius hinc apud Hippocratem occurrit πυνθάνεσθαι χρὴ, ἐπανερωτᾷν χρὴ. *Interrogare oportet.* Prout etiam ab *Hippocrate de Affectionibus Cap. XXXVI.* recenſentur ea, quæ interrogari debent, ut ſigna & principia cognitionis morborum deprehendantur. *Cum ad ægrotum deveneris, interrogare oportet, quæ patiatur, & ex qua cauſa, & quot jam diebus, an venter ſecedat, & quo victu utatur.*

Quæ patiatur æger, quærit Medicus, non ſimpliciter, ſed prudentia adhibita, & modo quæſtionis variato, ut in omnium, quæ æger revera ſentit, cognitionem deveniat.

Diſtin-

Diſtinguendum hinc probe eſt, num æger ex opinione ſua tantum reſpondeat, an vero eorum, quæ ſenſus ejus afficiunt, faciat mentionem. Illius ratio non habenda eſt, nec ſignum quoddam conſtituit, ſed ſæpiſſime imaginarium eſt, quod & reliquæ circumſtantiæ oſtendunt.

Minime hinc Hippocrates intelligit, ex ægro quærendum eſſe, quonam morbo laboret, cum ex opinione potius, quam ſcientia, de morbis ſuis narrent ægroti, uti de Arte Cap. XIX. dicit: Verum ea tantum interrogari & notari merentur omnia, quæ ſenſu ægri, ut & adſtantium, obſervata ſunt.

Cum autem ægri, ſi quæ mala percipiant, interrogentur, ea tantum ordinarie referant, quæ ipſis magis moleſta, vel quoque periculoſa videntur, de reliquis vero, quæ ſæpe magis ad eruendum ſtatum eorundem conducunt, nihil dicant, Medicus ſpeciatim omnium actonum, naturalium, vitalium, & animalium, conſtitutionem interrogando examinat, & ſymptomata ſingula, ut & ea, quæ bene ſe habent, probe obſervat, & tanquam ſigna colligit. Morbus enim in corpore hærens, non poteſt non actiones lædere, vel plures, vel pauciores, aliaque producere, quæ igitur ex his ſenſibus patent, principium cognoſcendi morbum conſtituunt.

Ex qua cauſa ulterius quærit Medicus: quod itidem tantum locum notat, unde deſumere interrogationis ſpeciem debet. Æger ipſe enim neſcit cauſam, & ſæpe talem adfert, quæ nullo modo ad morbum hunc producendum apta eſt, imo ſæpe contrariam. Igitur Medicus nexum cauſarum, & quibus morbi provenire poſſunt, probe cognitum habens, de iis quærit, quæ ægro certo conſtant, quamvis neſciat æger, quod cauſæ vim habeant. Sunt autem tales pleræque cauſæ mediatæ remotiores, quas ſingulatim reſpiciendo & percurrendo, quænam ex his prægreſſæ fuerint, interrogatione diſcit. Ubi ſatis patet, ægrum, ſi de ætate, aere calido, frigido, cibo vel potu aſſumto, ſomno ac vigiliis, læſione violenta externa, & ſimilibus prægreſſis interrogetur, narrare quæ facta ſunt, recte poſſe, quæ omnia ad Principia Conjecturæ apta pertinent.

Quot jam diebus ægrotet, dum interrogari jubet Hippocrates, non ſolum ad morbi naturam & tempus cognoſcendum, ſed & ad prognoſin commodum ſignum præbet.

Alvus an ſecedat, cognoſci debet, quia itidem ad prognoſin formandam, & curam rite inſtituendam facit, ſi vero ut ſymptoma tantum conſideretur, ad primam claſſem ſpectat.

Quo Victu utatur, tandem ſcitu neceſſarium judicat, ubi non intelligit antecedentem, qui ſub cauſis jamdum continetur, ſed præſentem, ut ſi bonus ſit, & morbo curando aptus, ſervetur, ſin minus conveniens, corrigatur.

Simili fere ratione in aliis rebus extricandis phænomena ſunt colligenda omnia, ut ex his initium faciamus & ulterius progrediamur. Hinc *Hippocrates* jamdum *Prænot. Cap. XVII.* verum, inquit, ex omnibus ſignis,

 quæ

quæ adſunt, tum in his, tum in aliis omnibus, conjecturam facere oportet.

Quemadmodum vero hæc ſemper, in qualibet re indaganda, ſeligenda & colligenda ſunt, ita reliqua, quæ demonſtratione nota & manifeſta evaſerunt, ante noſſe oportet Medicum, quam ad Conjecturam accedit. Hinc *Hippocrates de Vet. Medic. Cap. III.* affirmat: reliqua in Medicina inveniri poſſe, ſi quis aptus, & inventorum gnarus ſit, & ex his ad inquirendum procedat, elegantiſſime vero addit: quicunque vero his rejectis, ac omnibus reprobatis, alia via aliaque forma inquirere conatur, & quid inveniſſe gloriatur, fallit & fallitur: impoſſibile enim id eſt.

Pertinent huc ſigna quævis, tam ab Hippocrate, quam aliis propoſita & conſignata, imo omnia in arte occurrentia, & ad rem propoſitam ullo modo facientia, ac inprimis Methodus medendi.

Ad facilitandam enim Conjecturam artificioſam fontes jam ſunt conſtituti ſignorum inventorum, in qualibet veritatis indagandæ ſpecie, ut ſcire queamus, quorſum dirigendæ ſint noſtræ cogitationes.

In Prognoſi quam maxime attendenda ſunt ſigna mala & bona, quæ paſſim in ſingulis morbis a Coo inprimis recenſentur. Ipſe hinc II. Prædictor. Cap. II. ſigna, inquit, ſcribam, ex quibus & ſanos futuros homines & morituros conjectare oportet. Et Prænot. Cap. XV. proinde & mala & bona ſigna expendentem, ex his prædictiones facere oportet. Ita enim potiſſimum veritatem conſequi quis poterit.

Hiſce ſufficienter inſtructus & reliquis exacte conquiſitis, Medicus ad *ratiocinationem* ipſam ſe convertit, & primitus quidem *eligentem*: Hæc vero in eo conſiſtit, ut, prægreſſa diligenti & exquiſita conſideratione, & varie tentata comparatione & collectione quæſiti & phænomenorum ſeu ſignorum datorum, eligat & ponat aliquid loco quæſiti, quod phænomenis maxime reſpondere videtur.

Nexus enim inter quæſitum & data intercedere debet, ſi quidem ſolubilis ſit quæſtio, ſive hinc data phænomena ſint cauſa quæſiti, ſive effectus, vel alio modo conjuncta.

Factæ electioni ſuccedit *Ratiocinatio decidens ſeu Analyſis*, qua id, quod poſitum & electum eſt, intime ſecundum omnes circumſtantias examinatur, & ejus veritas vel falſitas demonſtratione eruitur certiſſima.

Quod ſi hinc per infallibiles & concatenatas conſequentias conſtet, phænomena data immutabilem & certum nexum habere cum eo, quod quæſiti loco poſitum fuit, ut omnes occurrentes circumſtantiæ exinde ſponte fluant, abſoluta eſt Conjectura Artificioſa, & inventum, quod quærebatur: Sin vero demonſtratione pateat, id quod electum eſt, non exacte reſpondere phænomenis, ſed quædam obſtare, denuo ſimili modo aliud eligitur, quod melius con-

venire

venire videtur, ad quod & impedimenta, ſe offerentia, propius ducunt, ſi ad cauſam ſuam reducantur, & hoc iterum per analyſin, ſeu ratiocinationem decidentem revocatur ad veritatem.

Id vero tamdiu repetitur, donec vel inveniatur, quod erat in quæſtione, vel demonſtrative innoteſcat, data phænomena eſſe haud ſufficientia, adeoque ex his rem propoſitam elici non poſſe.

Totum hinc negotium in ratiocinatione eligente promta, quæ inprimis frequentiori exercitatione obtinetur, ſitum eſſe, apparet, cum altera ſit facilior, & brevius abſolvatur.

In Medicina autem quam maxime requiritur, ut brevi expediatur Conjectura, quia morbi vehementes mora magis pernicioſi evadunt. Idem hinc de Medico valet, quod in Chirurgo Hippocrates deſiderat: hunc enim *Lib. de Officin. Med. C. II.* requirit: *Conjectantem bene, pulcre, cito, non laborioſe, convenienter, expedite.*

Quanquam vero ratiocinatio decidens facilior eſt, ſummopere tamen cavere debemus, ne vel a præjudiciis, vel ſimilitudine decipiamur. Hinc *Galenus* ex Hippocrate refert *Comment. IV. Aphoriſ. 2. Similitudines non ſolum vulgares, ſed etiam Medicos eruditos, aliquando decipiunt.*

Evitatur autem id, ſi nihil, niſi quod certiſſimum eſt, admittamus, & legitime ex his ratiocinemur, nullamque prætermittamus circumſtantiam.

Quando vero ratiocinatione eligente & decidente manifeſtum ſit, haud ſufficientia adeſſe data, ut quæſitum eruatur, tamen in tantum quæſtionem ſolvit Medicus, quantum fieri poteſt.

Hæcce ſufficiant dixiſſe de Natura Principiis & Modo Conjecturæ Medicæ; deliberato conſilio uberius paulo deduxi, me enim non latet, non paucos, etiam inter eruditos proponere: pleraque Medicinæ poſita in Conjectura eſſe, hinc fieri non poſſe, ut certi quid habeatur, ſed potius fortunæ deberi, ſi quid boni eveniat.

Verum his minus cognita ſunt Medicinæ ſacra, indigne calumniantur artem optimam, & Conjecturæ in arte medica occurrentis rationem non intelligentes, Conjectura ſua turpiter aberrant.

Gaudere Medicinam principiis firmis, certis, demonſtrativis in omnibus illis, quæ inventa ſunt, ſunt autem quamplurima, concedere omnes coguntur, qui ad veritatem ejus rationem revocare volunt. Perpetuum hinc & experientia & ratione fundatum eſt, quod fieri debet, adeo, ut certus poſſit eſſe Medicus, datis iisdem conditionibus, nihil aliud, ut ſanitati vel vitæ ſuccurratur, agi poſſe.

Hujus Conjecturæ intuitu Medicina minime deterioris redditur conditionis, modo non confundatur Conjectura artificioſa vulgari, quæ illorum eſt, qui talem Medicinæ tribuunt.

Non ſolum enim in Medicina, ſed in pluribus aliis, iisque Nobiliſſimis artibus & ſcientiis Conjectura artificioſa ſeu prudentia eſt neceſſaria, qua id, quod propoſitum nobis eſt facere, facimus, quam fieri poteſt optime. Tales ſunt præter Medicinam, Jurisprudentia, ars Oratoria, Politica, ars Gubernatoria, Bellica, &c. in quibus omnibus eventus nunquam abſolute ſpectandus eſt, ſed ratione mediorum recte vel minus recte adhibitorum.

Et quomodo quis ſibi perſuadere poſſet, id Medicinam reddere poſſe viliorem, quod Matheſi, quæ tamen ab omnibus, qui ejus non plane rudes ſunt, pro certiſſima ſcientia, uti & revera eſt, habetur, ſublimiorem gradum conciliavit. Ad ſummum enim Matheſeos gradum ille pervenit, qui in *Analyſi ſpecioſa* excellit.

Pari ratione ſummum artis ſalutaris faſtigium attigit, qui *Analyſin ſpecioſam Medicam* ſeu *Conjecturam Medicam artificioſam* optime callet.

Talis enim, ſi amitti poſſit demonſtrativa morborum aliarumque rerum cognitio, promta eam denuo invenire & reſtituere valet.

Veritas autem Medico neceſſaria, quæ per Conjecturam Medicam invenitur, non eſt illa, quæ in omnibus partibus Medicinæ per præcepta traditur; Hæc enim inventione non eget, cum eruta jam ſit, & ex certis principiis demonſtrata. Sed veritas a Medico per Conjecturam invenienda ad triplicem commode reduci poteſt Claſſem: vel enim neceſſaria eſt ad Curationem, vel ad Renunciationem, vel ad Scientiæ Medicæ ulteriorem perfectionem.

Tantæ igitur Neceſſitatis, tantæque utilitatis cum ſit Conjectura Medica, ut nullus Medicorum difficultates & dubia in arte ſua occurrentia felicius ſuperare, aut ſine ea novi quid invenire queat, ad ſcientiæ Medicæ ulteriorem perfectionem, omnibus ſtudio Medico incumbentibus, quo illi inprimis ſtudeant, commendo, per multos enim annos ejus uſum in praxi ſummo cum fructu perſpexi.

(*b*) Aliquoties cum borrace, Sale Armeniaco, vel Salnitro fundi debet cuprum dealbatum, ſic omnem friabilitatem amittit; & Mechanici dum vaſa inde præparant, neceſſe habent, ut omni tempore, quo illud metallum funditur ſemper admiſceant Sal Armeniacum: imo dum in laminas ducitur, ſæpius igniatur, & quo ſponte refrigeſcat, reponatur. Denique circa initium non impetuoſe ſtatim ictus mallei impingant maſſæ, alias in rimas ipſa ſcinditur, cum tamen ſuſpenſa quodammodo manu tractata in laminas elegantes duci ſe patiatur, maſſa metallica.

(*c*) Aurea Catena Homeri Part. I. Cap. 19. præter allegatos in Schediasmate Autores hanc accuratiſſime deſcripſit; Anno 1730. Jenæ D. D. Teichmeyerus P. P. Ord., & Halæ Magdeb. 1733. D. D. Junckerus P. P. Diſſertationes de Arcano Tartari ediderunt. Ex quibus, pace Excellentiſſimorum horum

rum Virorum, quædam, ad Medicamenti hujus utiliſſimi perfectionem ſpectantia, hic inſerrere liceat. Multis Synonyma ſunt Sal eſſentiale Tartari, Tartarus regeneratus, Terra foliata Tartari. Arcanum Tartari. Certum tamen eſt id melius vocari Arcanum Tartari, ubi & ipſe Spiritus Vini Symbolum ſuum attulit.

Proceſſus Excellentiſſim. D. D. Junckeri tam Terræ foliatæ Tartari, quam Arcani Tartari, hic eſt.

℞. Sal Tartari alcalici fixi, puriſſimi q. v. e. g. ℥j. (hoc Sal extrahitur communi modo ex fecibus Vini in furno figulino combuſtis aqua pluviali. D. D. Teichmeyerus autem recepit ad modum Aureæ Catenæ, Tartari cineres, & addidit Oleum Tartari fœtidum, quo cineres humectavit, poſteaque novam ſuſcepit combuſtionem, igne aperto, ſic invenit Sal fixum, magis igneum, atque concentratum, imo etiam magis exaltatum atque ſolubile) affunde in vaſe puro vitreo quocunque, limpidum, purum, forte acetum ſtillatitium, donec Sal aceto circiter opertum ſit; Vix tum in principio ulla ſenſibus apparet effervescentia, id quod mirandum; Si vero concutias diu & valide ſimul, vel alio modo agites, Sal Tartari non modo ſolvitur, ſed & incipit ſenſim quædam exoriri ebullitio, at parva & ſtatim ſedanda. Affunde plus de eodem aceto, & ſic oritur ebullitio paulo major, quæ agitato liquore ſatis fit manifeſta. Si jam liquor ille qualiscunque lento igne tantisper deſtilletur, dabit aquam puram, ſimplicem, non acidam. Si vero liquori, quod ab humidi parte, inſipido phlegmate liberatum eſt, denuo aliquid aceti affunditur, tum ebullitio oritur prioribus major, ingenti cum ſibilo & ſpuma, eo quidem fortior, quo propius perventum eſt, ad ſaturationem alcali. Poſtea abſtrahitur denuo aliquid humidi, & ſic iterum obtinetur mera aqua inſipida. Liquor colorem limpidum, quem acetum deſtillatum habuerat, magis magisque deponit, & qui primum evaſit leviter fuſcus, per gradus in atro nigrum mutatur. Deguſtatus ille, qui adhuc ebullit alcalinum, ſed magis magisque mitificatum exhibet ſaporem, ſi pergas affundendo & leniter iterum abſtrahendo, donec nullo modo excitari amplius poſſit ebullitio, liquor erit prorſus niger & ſaturatus. Depuretur per decantationem a fece ſubſidente, vel quod citius fieri poteſt per filtrationem, ut, terra nigra relicta, liquor pellucidus evadat. Nunc demum inſpiſſetur ad ſiccitatem, & remanebit maſſa ſalina, cui ſi novum acetum deſtillatum affundatur, ſub abſtractione non ſimplex amplius aqua, ſed acidum immutatum obſervabitur. Ubi eousque aceti affuſio eſt continuata, ut nullam amplius effervescentiam generet, & ſi nihilominus ulterius pergeretur, acetum abſtractum maneret acidum, Sal Tartari ſaturatum, & commixtioni meta ponenda erit. Plenaria & ultima maſſæ exſiccatio brevi temporis ſpatio, non quidem peragitur,

tur, qui autem iſtam ſub proportionato ignis gradu patienter expectat, jucundo ſpectaculo ſequentia obſervabit. Ex imo Vitri fundo, ubi maſſa ceu pingue oleum diffluit, protruduntur ſucceſſive & quaſi proſiliunt per cruſtam ſalinam, in ſuperficie primum ſiccatam, bullæ ſalis ſoluti, quæ humido evaporato, in forma pariter ſalina, priori ſali, jam ſiccato, inſident. Hac ratione maſſa in miram molem ſucceſſive ita increſcit, ut in parte quidem ſuperiori formam exhibeat qs. bullularum albicantium ſalinarum, in parte vero inferiori, quæ fundo vitri vicina eſt, lamellarum potius tenuiſſimarum, leviſſime ſibi invicem appoſitarum, & argenteo fere colore nitentium. Unde non aberrabis, ſi vel cum lapide ſpeculari, vel cum talco comparationem inſtituas. Hæc mira forma Terra foliata Tartari dicitur.

Sequentia Corollaria ex dicto Proceſſu D. D. Junckerus deduxit, ad elaborationem hujus Medicamenti non inutilia.

1.) In deſtillatione aceti, huic operi deſtinati non opus eſt ſolicitam præcedaneæ ejus dephlegmationi navare operam. Vix enim absque acidæ portionis diſpendio plegma a ſpiritu aufertur; in ſaturatione autem Salis Tartari cum aceto evaporatio etiam copioſi phlegmatis acido adhærentis, levi opera fieri poteſt. Siquidem

2.) Superfluum quoque eſſet Phlegmatis aceti a Sale abſtractionem in vaſis clauſis, deſtillando peragere. Cum enim manifeſtum ſit inertem tantum & inſipidam ex aceto reddi aquam, eundem ſcopum aperta, modo lenis fuerit evaporatione faciliori & commodiori aſſequi poſſumus via. Interim ſi quispiam aquam iſtam, commotus vel per amorem cohærentis antea acidi, vel ob acceptam per deſtillationem puritatem, uſibus deſtinare vellet, quemadmodum *Wedelius* in depurando opio illam amat: aquei menſtrui vires commode omnino ſupplere poterit, ſi clauſis vaſis inſtituta per retortam deſtillatione capiatur.

3.) Ut Salis alcalici & ſpiritus acidi multo phlegmate diluti, eo ſubtilior & melior fiat unio, convenit miſcelam ante abſtractionem phlegmatis tantiſper ſeponere, vel, quod valde ſuaderem, evaporationem admodum lento ignis gradu inſtituere. Ita enim cavebitur, ne ſpiritus quidam acidi, ante ſalis alcalici amplexum, violento modo abripiantur.

4.) Non ſine ratione, in deſcriptione Proceſſus affuſionis acidi cum abſtractione phlegmatis ſuaſimus alternationem. Unica enim aceti, inprimis frigidi, ad ceſſationem usque efferveſcentiæ facta effuſione, non ita bene nec certo attingi poteſt punctum ſaturationis. Optime vero ubi, ſub continua phlegmatis abſtractione, ſemper concentratior ſervatur liquor, & ſimul ſuper

lento

lento igne calidus; ita etiam facilior eſt acidi & alcali mutua actio atque reactio, ut acidum omne in ſale figatur.

5.) Quo propius ad ſaturationem pervenit alcali, eo plures feces nigræ & terreſtres in conſpectum veniunt. Supervacaneum ergo & inutile foret ſtudium, depuratione ſub ipſo proceſſu aliquoties repertere, ſufficit enim unica, quæ determinato jam puncto ſaturationis inſtituitur, effectu quidem eo meliore, quo concentratior factus eſt liquor, per evaporationem antea inſtitutam.

6.) Commixtio & evaporatio poteſt quidem etiam peragi in vaſis figulinis vel ferreis, quod in officinis pharmaceuticis plerumque fieri ſolet, præſtant tamen vitrea. Ad minimum ſaturatus & poſt depurationem concentratus liquor ex vitreis inſpiſſari aut exſiccari debet. Subtile enim ſal figulina tandem penetrat, adeoque ſui diſpendium facit, ex ferreis autem ſali heterogenea facile materia immiſcetur, quoniam ſub finem ex immutato aceto aliquid acidi, evaporando, concentratur, adeoque ferrum arrodere ſolet.

7.) Quantacunque ſolicitudine liquor depuratus fuerit, impediri tamen non poterit, quo minus ſal ſub exſiccatione novas feces nigras ponat, facile autem ex ſubjuncta ejus ſolutione, vel filtrando, vel decantando ſeparandas.

8.) Aceti quantitas quæ ad ſaturandum Alcali requiritur, decies circiter & quater, ſi forte fuerit & dephlegmatum, ſalis pondus ſuperare obſervatur.

9.) Si tale ſal alcali huic operi admoveatur, quod rectificatione ſpiritus vini aliquoties antea jam inſerviit, minor acidi quantitas ſufficere ſolet.

Si Terra foliata Tartari modico igne ſiccata, absque alio additamento igne fortiori tractetur, expellitur.

1.) Antequam in fluorem redigitur ſpiritus fortiſſimus acidus, illum, qui ex accenſo & flammante ſulphure exhalat, odore exacte referens: Hic ipſe nares etiam ferit, dum ſal in plenariam ſiccitatem redigitur.

2.) Quando ſal fortiori igne ceræ inſtar fluit, & ita detinetur, imo ignis inſuper augetur, incipiunt tandem vapores inſtar nebulæ retortam atque vas recipiens implere, qui collecti & coagulati, deſtillando acidulum & olidum Tartari ſpiritum æmulantur.

3.) Summo igne oleum verum, ſed exigua quantitate ſimul elicitur, flavum & ſaporis aromatici, inſtar fere illius, quod ex oleo Tartari nigro empyrevmatico, per repetitas cohobationes nigris fecibus maximam partem exuto, acquiritur.

4.) Remanent in fundo feces nigerrimæ cum ſale vere iterum alcalino, acerrimo, & hoc non niſi quantitate recedit ab eo, quod in principio ad ſaturandum aſſumtum erat. Si enim cum novo aceto deſtillato tractatur, omnia phænomena exhibet in proceſſu deſcripta, reduci nimirum denuo poteſt in terram foliatam, & repetitis hisce operationibus tota deſtrui.

Ulteriorem *Arcan Tartari* Elaborationem ſic deſcribit:

℞. Ter-

℞. Terram foliatam Tartari, eamque, quantum abſque virium jactura fieri potuit, ſicciſſimam & calidam, illaque antequam incipiat deliqueſcere, mox injiciatur in ſpiritum vini rectificatiſſimum, tum illico ſolvi incipiet, affundendo perge, donec ſucceſſiva ſalis ſolutio tota peracta ſit, ſic doceberis, quantum ſit ſatis. Sin definitam velis ſpiritus quantitatem, affunde ejus triplum, vel ſi plus ſumſeris, abſtrahe iterum eo usque, donec triplum cum una parte ſalis remaneat. Feces quas ſal habebat, in ſolutione fundum ſponte petent, ſicque decantando ſeparentur, vel, ſi ſubſidentiam expectare nimis longum foret, ſolutio depuretur per filtrum. Tum ad intimiorem unionem obtinendam aliquantiſper adhuc digerantur. Sic alcali, acidum oleoſum, & oleoſum ſpiritus vini, tanquam efficaciſſima plantarum Principia, inerti terra liberata, combinantur in æquabilem ſolutam maſſam, quæ ſine acrimonia eſt, & ſatis tuto effectum ſuum in corpore præſtat. Et hoc eſt Arcanum Tartari, quod arcanum dicitur, vel, quia arcana quaſi Methodo adunata ſiſtit Tartari, & Vini Principia; vel quia eſt Medicamentum, adeo nobile, ut inter Arcana locum habere mereatur.

Aliis quibus ſoluta hæc in ſpiritu forma minus arridet, volunt, ut ſpiritus tantum abſtrahatur ſuper Terram foliatam, idque vel ſemel, vel iteratis vicibus. Eoque duplici potiuntur ſcopo. 1.) Spiritus acidi ſuperflui, ſi qui forent, commode ſic avehuntur. 2.) Blandum & ſulphureum principium ſubtile, quod in ſpiritu eſt ſali conciliatur.

Aſt occaſione dictæ abſtractionis ſpiritus Vini, quam aliqui majoris purificationis ſcopo conjunctis filtrationibus aliquoties repetere ſolent, monet Excell. D. D. Junckerus: ne quis huic nimium ſtudeat. Sub crebrioribus enim ſolutionibus, filtrationibus, exſiccationibus, albiſſima quidem evadet Terra foliata Tartari, feces autem, quæ ſub operationibus in conſpectum venire ſolent, ſæpius non tam educuntur & ſeparantur, quam potius producuntur, maxime ubi ad plenariam exſiccationem fortior ignis gradus adhibitus fuerit.

Duo adhuc momenta Celeberrimus Junckerus ex Proceſſu Terræ foliatæ & Arcani Tartari deducit, quorum alterum acidorum notitiam auget, alterum Alcalium naturam ſpectat.

Dixit antea limitatam prorſus eſſe poteſtatem Salis Alcali ad imbibendum aceti acidum, & deſinere in certis terminis, adeo ut uncia una ſalis tum ſaturetur quando ex unciis quatuordecim aceti optimi acidum attraxerit. Quod ſi igitur pondus, quod ex acido tali accreſcit Sali, exacte æſtimetur, quantitas genuini & concentrati acidi, quod in aceto aqua dilutum erat, intelligi poterit. Quo opere ſolicite defunctus eſt *Hombergius* e cujus Experimentis in Monument. Academ. Reg. Pariſienſ. ſc. Tom. I. p. 52. & ſequ. communicatis, patet, unciam unam ſalis Tartari puriſſimi, quod in ſe acidum omne ex unciis 14. aceti deſtillati optimi abſorpſit, poſt exſiccationem auctam fuiſſe, pondere drach-

drachmarum trium & granorum 36. Ut adeo pondus aſſumti alcali ad augmentum ponderis, quod ex aceto venit, ſeſe habeat, ut grana 480. ad grana 216. Vel ſi juxta leges Arithmeticas utrumque hujus rationis terminum dividas per 24, erit ut 20. ad 9. i. e. ſi ſalis alcali ſint partes 20, requiruntur acidi ſaturantis partes 9. Et augmentum ponderis reſpectu Alcali ſunt partes $\frac{9}{20}$. Ex his nunc ulterius deducitur ratio acidi veri & phlegmatis, quæ in aceto deſtillato continentur. Uncias enim 14. aceti deſtillati habere acidi veri grana 216. (ſ. drachmas 3. & grana 36.) adſtruximus. Unciæ 14. ſunt grana 6720, cui ſummæ ſi ſubtrahas acidi puri pondus, nempe grana 216, remanebunt pro pondere phlegmatis in unciis illis 14. contenti grana 6504. per rationem ergo 216 ad 6504 dividendo per 216, ſtabilitur quod pars una acidi veri in aceto deſtillato diluta ſit partibus $30\frac{1}{9}$. quæ vero ratio omnino variabit, pro gradu bonitatis aceti, & inſtitutæ antea dephlegmationis.

Genuinum hoc & verum acidum quod in alcali concentratum retinetur, chemica arte reſuſcitari, & denuo ob oculos poni poteſt. Siquidem ex Halotechnicis conſtat, Alcalia attrahere quidem omnia, quæ nota ſunt acida; attamen longe magis trahere hoc quam illud, & fortius acidum expellere e ſede alcalina aliud quod debilius eſt. Jam vero ſpiritus Vitrioli, Sulphuris, Salnitri, & alii plures aciditatis gradu & puritate ſuperant acetum. Unde ſi e. g. ſpiritus Vitrioli affundatur Terræ foliatæ Tartari ſtatim alcali amplectitur acidum hoc fortius, atque dimittit a ſe acidum aceti, quo antea ſaturatum fuerat. Hac ratione & hoc additamento, ex hoc compoſito, ſpiritus aceti concentratus multo facilius, uti notum, quam ſolo igne expelli poteſt; in fundo vaſis Sal relinquitur, quod ex Sale alcali & acido Vitriolico, Tartari Vitriolati naturam acquiſivit. Ceterum ſi quis ea quæ de aceti examine expoſuimus, ad reliqua etiam acida transferre deſideret, huic ſpeciminis loco commendamus ut Hombergii Methodo procedat.

Alcalium naturam quod ſpectat, neminem latet, quam de cantata ab Helmontii tempore ſit *Salis Tartari fixi Volatiliſatio*, quantumve deſudarunt Chemici in ea obtinenda; ſiquidem fixa alcalia ſi volatiliſentur, (ex mente & verbis Helmontii) magnorum Pharmacorum poteſtates adæquant, quippe vi inciſionis, reſolutionis & abſterſionis, delata usque ad limen quartæ digeſtionis, tenacitatem coagulatorum in vaſis fundamentaliter tollunt. Et quanta ſpes ac fiducia a Philoſophis Chimicis in his Salibus volatiliſatis collocetur, quod ſcilicet efficaciſſima menſtrua ſint ad Sulphura metallorum extrahenda, vel unius Polemanni de Sulphure Philoſophorum conſcriptus Tractatus argumento eſſe poteſt. Alcali enim fixatum per ignem multo potentiorem fortioremque impreſſionem & vim accepit, ut eo promtius poſtea volatiliſatum in forma ſpiritus corpora metallica tam firma penetret & extrahat. Ex Helmontii ſcriptis haud obſcure colligitur, volatiliſationem hanc eſſe præſtandam per olea eſſen-

tialia

tialia deſtillata, quæ analogiam cum Sulphure fixo Salis alcalici habent; plerorumque tamen votis rariſſime reſpondet eventus; Ex viis ad hunc ſcopum aſſequendum fictis, eſt etiam Methodus conficiendi terram foliatam Tartari.

Celeberrimus Boerhavius in Chimiæ Tom. I. p. 830. dicit: Dubitavi ſæpe edoctus pulcra effecta hujus Salis in animali, vegetabili & foſſili regno, annon hic ipſe ſit Sal Tartari volatilis Helmontianus, cui tantas adſcripſit virtutes Autor. Id ſane vere dixero, forte non eſſe in hoc menſtruorum genere aliud, quod magis meretur conſiderationem & applicationem.

Celeberrimus D. D. Teichmeierus in Diſſertatione de Arcano Tartari refert, Celeberrimum Chimicum Dn. *Geoffroy* in Hiſtoria Academ. Reg. Pariſienſis Anno 1713. hoc mediante Sale præparare Tincturas Metallorum & inprimis Auri. Cujus Proceſſus & Gallicis & Latinis verbis ibidem legendus extat.

Pro volatili venditatur Sal noſtrum, pergit *Celeberrimus Junckerus*, reſpectu primum formæ qua comparet foliatæ. Cum enim Vitri adſcendat altitudinem, imo in ipſum retortæ collum, tum pro ſublimato facile nobis imponere poteſt. Neque negandum, Sal Tartari, quod antea tanquam ſolidum & fixum corpus in fundo Vitri calcinatum jacebat, in ſtatu jam longe ſubtiliori & volatiliori comparere. Attamen certum eſt, eo non perveniſſe, ut in forma vaporis ex fundo Vitri elevatum & in ſublimiorem partem Vitri repoſitum, vere ſublimatum dici mereatur. Adeoque Volatilitas, quam aſſecutum eſt Sal Tartari in terra foliata, non in ſenſu ſtricto, ſed relative tantum eſt interpretanda. Porro volatile Sal noſtrum haberi poſſet ex hac ratione: quod fortiori igne & repetitis deſtillationibus terra foliata tandem tota, exceptis fecibus, per retortam propelli poſſit; At vero hac operatione deſtructionem potius quam volatilitatem demonſtrari clariſſime liquet.

Non defuerunt ideo alii, qui ut juſtiori titulo volatilem dicere poſſent, Terram foliatam Tartari ad majorem perfectionem evehere ſtuduerunt. Non attingam eos, qui deſtillationem ejusdem cum bolo armena &c. ad obtinendum deſideratum *Spiritum Salis Tartari Volatilem Helmontianum* inſtituerunt; nam ipſe *Starckey* Spiritum talem aceti radicati nomine laudibus quidem in *Pyrotechnia* ſua extollit, pro ſuperflua tamen operatione agnoſcit. Huc potius refero eos, qui Sal noſtrum ſemivolatile cum Sale, vel ſpiritu vere volatili urinoſo conjungere, & ſic ſublimare annituntur. Qualem Proceſſum legimus in *Junckenii Lexico Pharmaceutico parte priori.* Referendi huc porro ſunt, qui per menſtruam, imo diutius adhuc protractam, ut vocant Circulationem cum ſpiritu Vini rectificatiſſimo prædicatum veræ volatilitatis cum virtutum augmento, ei conciliare ſtudent. At tantum non omnes ejusmodi Proceſſus, qui innotuerunt, vel noxii, vel fruſtranei, vel ſupervacanei eſſe deprehenduntur. Unde ſpem operantium non ſolum non explent, ſed etiam hos inanibus laboribus defatigatos

tos eo deducunt, quo Terræ foliatæ Tartari ſimplicibus viribus potius acquieſcere, quam vana perfectionum ſpe diutius mactari velint.

Sal noſtrum, ſi vel maxime Volatilitatis titulo ornaretur, minime tamen alcali volatiliſatum appellari poſſet. Notum enim eſt, Sal Tartari, naturam alcali in compoſito illo Terræ foliatæ Tartari amiſiſſe, & in Sal medium eſſe commutatum. Nec ſatisfactum eſt Helmontio, ſi ſpiritus qualiscunque volatilis ex alcali fixo deſtillatur, vel Sal exinde ſublimetur, ſed alcalinæ inhæret naturæ, cui ne vis inferatur quam maxime poſtulat. Quemadmodum itaque *Celeberrimus Ludovici*, dum ex Alumine cum Sale Tartari ſociato, Sal volatile propellere docet, a mente Helmontii longe recedit, nec ii, qui addita Bolo ſpiritus ex Sale Tartari fortiſſimo igne eliciunt, propius acceſſiſſe credendi ſunt; ita multo magis falluntur, qui extorquendo volatilia ex Sale noſtro, quod non alcali, ſed medium eſt, nondum ſolviſſe ſibi perſuadent. Quare ad hunc ſcopum ne tanti quidem habendum eſſe videtur *Caſſii Conſilium*, qui volatiliſationi Salis Tartari multam operam navavit. Licet enim oleoſum principium non deſerat, pro mediatore tamen aſſumit acetum deſtillatum, quod Sal alcali connubio oleoſo aptius reddat.

Porro ſunt, qui circa Salis Tartari & Acohol Vini Connubium tam anxie verſantur, ut modo cum *Paracelſo Balſamum Samech*, vel *quintam Eſſentiam tartariſatam*, modo cum *Lullio Sanctam Eſſentiam Vini*, *Unctuoſum Spiritum Vini Philoſophicum*, *Cœlum Vinoſum*, & neſcio quæ non arcana vegetabilia inde extorquere velint. Verum enim vero hi in virtutibus arcani Tartari ſimplicibus ut acquieſcerent, omnino haberent, ſi modo ea, quæ jam provulgata, ideoque inter arcana locum non amplius habere poſſunt, frivole non aſpernarentur. *Secundum Lullium* enim perfectio Salis, quod ex conjunctione alcohol puriſſimi, cum Sale Tartari ſicciſſimo (in quo totum combinationis artificium conſiſtit) ejusdemque facta crebriori abſtractione oriri debet, ex eo æſtimanda eſt, ut Sal iſtud, quod baſis eſſe debet dictorum arcanorum, ſuper carbones candentes detentum, inſtar Ceræ cito liqueſcat, & multum cærulei vaporis emittat. Idem deprehendimus in Terra foliata Tartari, idem acidum ſubtile & Sulphureum principium ex alcohol Sali alcali per multas abſtractiones communicatur, quod ex aceto facillime & copioſe unica vice arripere poteſt. Hucusque Junckerus.

Celeberrimus Fridericus Hoffmannus in Notis ad Poterii Pharmacop. Spagyr. Lib. I. Sect. VIII. ſcribit: Genuinus Salis Tartari volatiliſationis modus latitat in putrefactione, Sal Tartari aquæ pluviali immittatur, & in vaſe querno inſtituatur putrefactio, debita adhibita diligentia, ſic facile Sal Tartari volatile obtineri poteſt.

Sal Tartari etiam aliquoties cum calce viva cæmentatum magis igneum & volatilius reddi poteſt.

(*d*) Johannes Baptiſta van Helmont, poſtquam fermentationis inſignem advertiſſet efficaciam in rebus mixtis alterandis & immutandis, chylificationem, ſanguificationem, ſecretionem humorum, totiusque oeconomiæ corporis effectus, fermentatione & fermentis viſceribus innatis explicare, nullus veritus eſt. Cujus quidem ſententia primum maximo cum applauſu excepta, ſucceſſive tamen emendata fuit, hodie vero multis Medicorum exoſa plane videtur, ſtatuentes, ſtructuram viſcerum & ſanguinis ac humorum naturam fermentationi contrariari, & mechanica ratione explicari poſſe, quæ fermentis alias attributa fuere. Structuram vero partium Mechanicam, & eorum fermenta ſpecifica ſimul ſtare poſſe ſequentia clarius exponent.

Modum nutritionis plurimi per ſolam ſucceſſivam adhæſionem nutrimenti diverſi, per diverſos poros illabentis, fieri ſtatuunt; Cum vero eadem ſunt nutrienda & nutriens, prætereaque ex ſimili nutrimento omnes partes diverſæ ſint ortæ, citra præſentem pororum diverſitatem, hæc diverſitas enim ab humore prius producitur, nec adeſſe poterat in prima partium formatione, in qua ex fluido omnes conſtituuntur, ſequitur aliam eſſe debere ejus rationem, fermentationem nempe ſpecificam & ſeminalem in quavis parte, dum humor alibilis immutatur determinate, & in ſubſtantiam partis alendæ abit, pari ratione ut aqua non nuda adhæſione plantas nutrit, earumque partes, ſed in ſingularum ſubſtantiam mutatur, unicuique convenientem. Non excludi vero debet adhæſio humidi nutrimenti, ſed non ſufficit ſola, unde & idem per πρόσθεσιν ſeu additionem alias exprimitur, quæ permanens & conſtans potiſſimum hic intelligitur. Sequitur πρόσφυσις ſeu Connaturatio quaſi, ut permanens in parte alimentum naturam partis ejusque craſin acquirat, tandem Complementum Nutritionis addit ὁμοίωσις ſeu aſſimilatio, qua nutrimentum plenarie in ſubſtantiam partis abit & mutatur.

Modus ſecretionis a diverſis diverſus adducitur: quidam a diverſitate pororum eum dependere contendunt, dum enim hi non omnia transmittunt, ſed ſubtiliora & convenientiora tantum, credunt unice, ita abſolvi ſecretionem animalem; cumque videant ex unica Maſſa ſanguinea diverſos ſecerni humores, tribuunt id diverſæ pororum figuræ, qui ſimiles tantum, minus vero diverſas particulas admittunt. Alii contra perſpicientes nihil quicquam ad hoc negotium figuræ pororum diverſitatem conferre poſſe, quia ejusdem figuræ foraminulum corpora cujuscunque figuræ transmittit, ſi minora ſunt quam illius apertura, excludat vero ſi majora exiſtant; recurrunt ad particularum ſecernendarum & cohærentium continuam ſucceſſionem, qua ex ſanguine idem ſeparari volunt, quod in poris cujuscunque viſceris hæret. Cumque hi ſimul magnitudinem & parvitatem pororum recte in conſortium admittant, probabilis admodum videtur hæc opinio, inprimis quia ſpecioſo ſatis experimento roboratur, quo ex Mixtura aquæ & olei per poros chartæ bibulæ ad filtrationem adhibita, aquam tantum

tantum tranſire dicunt, ſi charta prius aqua fuerit imbuta, oleum vero penetrare relicta aqua, ſi charta oleo prius fuerit madefacta & ſaturata. Pari enim modo id tantum ex Maſſa ſanguinea in poros viſcerum recipi autumant, quo prius fuere imbuti. Verum ut experimentum minus ſuccedit, ita quoque tota opinio vacillat. Ex mixtura enim illa, ſi charta aqua imbuta, tranſit quidem aqua relicto oleo, ſed & idem fit ſi filtrum ſeu chartam oleo prius madefeceris, aqua ſemper præcedit, oleum vero remanet, donec omnis aqua tranſierit, exceptis illis olei guttis, quæ ab aqua ex poris chartæ prius exturbantur, ut ipſa penetrare poſſit.

Cum itaque nec pororum diverſa figura, nec eorum diverſa magnitudo, nec quoque continua ſucceſſio & conjunctio particularum in poris hærentium, & ex ſanguine ſecernendarum ſufficiat ad ſecretionem præſtandam, alio modo ea omnino fieri debet.

Concedi ex his hypotheſibus maxime quidem debet diverſa pororum magnitudo, ut non quævis penetrent, ſed talem magnitudinem habentia, ut tranſire poſſint, excluſis reliquis: Verum in hac acquieſcere non poſſumus, cum non ut partes in ſanguine hæreant humores ſecernendi, ſed ex eo demum immutatione quadam facta, generentur, & plerique per poros diverſos excernantur.

Immutatio hæc & generatio humorum excernendorum explicari melius nunquam poterit, quam ſi attendamus, quomodo ex aliis liquoribus diverſa producantur. In his autem videmus pro diverſo adhibito fermento diverſum generari ac produci humorem. Quidam etiam in ſe habentes principia fermentationi apta, ſola fermentatione in aliud plane ens abeunt, quod in liquoribus potulentis, ſucco uvarum & ſimilibus cernimus. Simili plane ratione ex eadem Maſſa ſanguinea, per viſcera diverſis fermentis gaudentia, diverſi humores generantur, & generati ac producti per poros adæquatæ magnitudinis demum excernuntur & ſeparantur.

In ſingulis itaque viſceribus peculiare fermentum hærere, quod peculiarem motum ſanguini advenienti inprimit, ut particulæ illæ ſecedant, & coeant, quæ combinatæ certa proportione humorem ſecernendum conſtituunt, ut ſic immutatio præcedat, ſecretio ſequatur, odor, ſapor & color manifeſte diverſus in ſingulis viſceribus id edocebit. Hic enim ab eodem ſanguine & ſero adveniente dependere non poteſt, nec a fibris ſolidis, quæ ab eodem ſanguine & ſero ſunt productæ, & in omnibus ejusdem plane conſiſtentiæ deprehenduntur, reſtat ergo hisce in locis aliud quid inhærere, diverſitatem hanc efficiens, quod eſt & dici poteſt fermentum.

Hoc fermentum vero ſingulis partibus huic actioni dicatum, a primo ortu ſtatim fuit implantatum, nec putandum eſt, quod idem numero ſemper permaneat, ſed ut alia fermenta, ita & hæc ſunt multiplicativa ſui, ut producta ex his ſimilem vim obtinent. Uti enim in ſingulis viſceribus continue immutatio

&

& ſeparatio ſpecifica fit, ita ſemper ſimul producitur, reſtituitur & conſervatur fermentum.

Et hæc etiam cauſa exiſtit, cur ita conſtructa ſint viſcera, ut humores vitales in eis aliquo modo morentur, non obſtante continua eorum propulſione, ob vaſorum copiam, quæ in viſceribus maxime reperitur: hâc enim mora naturali immutationem cum fermento ſubeunt, & hinc aliquid de ſe relinquunt poſtmodum ſecernendum. Quod ſi vero ſola pororum diverſa magnitudine, vel alio ſupra dicto modo hoc peragi potuiſſet, vix tanto apparatu fuiſſet opus, ſed minoris artificii ac molis organa ſuffecerint, ne dicam, admiſſa illa hypotheſi neceſſario ſequi, bilem, urinam, & alia in ſanguine hac forma, ut ejus partes conſtituentes hæſiſſe, quod tamen nemo facile conceſſerit.

Bilis materia eſt ſanguinis pars ſulphurea, oleoſa, alcalina, quam ob cauſam ſanguis maxime venoſus per Venam Portæ ad hepar fertur, qui magis phlegmate caret quam arterioſus, & hinc ulterius parte aquoſa per vaſa lymphatica copioſiſſima orbatur.

Ex ſanguine hoc ita conſtituto & partim in Liene præparato ſeparatur bilis in hepate per fermentum proprium, ſeparata vero transcolatur, ut humores prius confuſi ſeorſim per appropriata cuique vaſa pergant ad locum deſtinatum, ut bilis, ſanguis & ſerum diſtinctis canalibus vehuntur. Bilem autem hac forma in ſanguine non hærere plurima oſtendunt argumenta, adeoque immutatio quædam & ſeparatio ſpecifica præcedere debet, prius quam filtratione poſſit ſeparari, quod fit ultimate a fermento in hepate hærente. Conjungenda enim hæc ſunt, & uti ſine fermento ex ſanguine bilis non ſecernitur, ita non poteſt ſine pororum & reliquorum organorum conſtitutione mechanica ſeparari.

In renibus plerique modum ſecretionis in ſola percolatione quærunt, quæ quidem adeſt, ut ex anatomica ſtructura renum conſtat minime tamen ſufficit, cum nec pororum diverſa figura vel magnitudo id efficere queat, qua potius lympha ſeparetur, quam Urina, quæ quidem lymphæ fœtus eſt, ab ea tamen colore, odore, ſapore & accidentibus aliis differt.

Immutatio enim hic quoque contingit ſeri & per nullam ſtructuram mechanicam explicari poteſt, ſed optime per fermentum renum ſpecificum, quo prius particulæ ex ſanguine ſecedunt & in liquorem talem uniformem abeunt, qui deinde ſubtilior exiſtens quam ſanguis reliquus, per transcolationem ſeparatur.

Cauſam fluxus ſanguinis menſtrui plurimi hodie in ſola abundantia ſanguinis & vaſorum uteri mechanica conformatione ponunt, qua vaſa ſanguifera flexuoſo curſu & tortuoſis ac ſerpentinis ductibus in utero decurrunt, & ſimul reticulata quaſi ſint, ſive inter ſe per canales intermedios amplos ita communicent, ut inflata una arteria omnes inflentur par ratio eſt venarum; Ab hac

igitur

igitur vaſorum conſtitutione fieri creditur, ut impetus ſanguinis per pulſum cordis accedentis aliquantum refringatur, ut per venas non tam promte quam in aliis partibus redire queat: quod ſi hinc major quantitas ſanguinis adſit, & tamen tranſitus urgeatur per hæc vaſa, tunc quidem per venas redire, non tamen ſatis expedite, unde per arteriolarum meatus dilatatos in vaginam ad partem aliquam deponi & ſic excerni.

Hæc quidem omnia recte ſe habent, modo conjungamus apparentem & præſentem tunc temporis ſanguinis turgeſcentiam ſeu fermentationem, alias enim, nec moles ſanguinis, nec conſtitutio vaſorum ſufficerit, cum nec ſemper eadem quantitas producatur, nec excernatur, & tamen ſtato tempore fluxus repetat.

Turgeſcentiam cum admittant plerique, mirandum eſt, cur efficiens illam ſeu fermentum rejiciant. Cauſam enim aliquam & diverſam a ſanguinis copia ut habeat ea, neceſſe eſt, ſi vero talis admittitur, de nomine non litigandum.

Fermentum hoc, ſive quomodocunque dicere velint, id quod ſanguinem turgeſcentem reddit, hoc tempore vix alibi producitur quam in utero, cum unice hujus gratia accumuletur ſanguis in toto, ut ſuo tempore ad fœtus incrementum impendatur; quo non fiente, tale quid in eo producitur, quod ſingulis menſibus ſanguini rarefactionem ſeu orgaſmum conciliat, ne moleſtus fiat corpori ſi minus impendatur.

Naturam hoc fermentum habet ſalino-ſulphuream, vitalem, & per certum intervallum producitur, quod deinde maſſæ ſanguineæ communicatum turgeſcentiam ſeu fermentationem excitat definito tempore, quæ reliquis dictis circumſtantiis conjuncta, fluxus hujus cauſa exiſtit genuina & proximior.

Nec tamen hoc loco excludendum eſt principium omnis motus in viventibus, ſpiritus vitalis, Archeus ſeu anima dictum, ſub cujus moderamine omnes motus fiunt; Tantum enim abeſt, ut principium hoc ſit fabuloſum, ut potius eo denegato, omnis vis mechanica in viventibus concidat & evaneſcat. Mechanica enim in animantibus adeſt quidem, ſed ſubſtat vitalitati, quæ illam longe ſuperat, & de infinita ſapientiſſimi Creatoris potentia, teſtatur.

In pathologicis humorum vitioſorum motus inteſtinus peregrinus notat fermentum morboſum, quo ſecedunt ſalia atque ſulphur, reliquique apti humores immutantur, ut eundem motum acquirant.

Deſignat vero non ſolum fermentum in abſtracto motum illum morboſum immutativum, verum etiam humor tali motu prædictus ita vocatur.

Cauſa hujus fermenti morboſi optime conſiſtit, in ſalium contrariorum activitate, interveniente ſulphure, quod ab illorum motu attenuatur, reſolvitur & recluditur, ut hinc novum quaſi ens reſurgat. Omnia itaque quæ vel ſulphur humorum debilitare, vel ſalia eorum augere poſſunt ad fermenti productionem faciunt.

D Per

Per ſulphur vero tantum partes oleoſæ & unctuoſæ ſanguinis ac bilis in corpore hamano intelliguntur.

Prout itaque corporis humani humores non ſunt ſimplices ſed mixti, itaque continent in ſe præter partes aqueas reliqua quoque principia conſtitutiva tam activa ſal ſulphur & mercurium, quam etiam paſſiva, terram nempe ipſam, & aquam.

Et ut in ſtatu naturali hæc omnia proportionata, commenſurata & debite ſibi invicem commixta deprehenduntur, ita in præternaturali contrarium occurrit, & vel præſentia ſua, vel abſentia humores morboſos reddunt, & motum fermentificum excitare queunt.

Nullum horum excludi poteſt ex morboſo ſtatu, cum quodlibet easdem conditiones ſubeat, & hinc neque ſal, neque ſpeciatim acidum, &c. unice peccat.

Sufficiant hæc ad demonſtrandum fermentum ſano ſenſu ſumtum, & in Phyſiologia, & in Pathologia locum adhuc habere, & motu corporis mechanico non contrariari.

CAPUT II.

TRADENS, QUID SIT TINCTURA UNIVERSALIS?

DIſſerrere nonnulla conſtitui de re tali, quam anxie deſiderarunt, ac deſiderant Mortalium innumeri; & quidem non immerito, quoniam res mundanas omnes, quales quales etiam ſint, ipſa invidia quoque teſte, pretioſitate ſuâ non æſtimanda, mirum quantum ſuperat; de re tali, qua majorem & cariorem Divina miſericordia, inter tot millena millia donorum medicamentoſorum, aliorumque poſt lapſum Adamiticum, generi humano non exhibuit. De re tali, quæ merito non eſt adnumerata ſeptem illis mundi miraculis, a veneranda antiquitate alias abunde & ubique decantatis, cum hisce omnibus illa ſola incomparabiliter ardua utilitatis ſuæ gravitate antecellat.

Quamvis autem neutiquam mea ſit mens, magnum opus conſcribere, aut largis ambagibus multa de nomine, definitione nominali

nali & reali, ſignis, fine & uſu Ejusdem proponere, qualia pluribus in ſctiptis ad nauſeam coties repetita & tranſcripta reperire licet. Nec mihi res ſit cum Chymiatriæ Tyronibus, novitatum avidis, ac in vitium erroresque flecti cereis; multo minus cum nefariis iſtis *Pſeudo chryſopœis*, Ardelionibus, in veræ artis ignominiam natis, atque fraudulentis Ciniflonibus; ſed cum ingenuis, expertis, Arcana Naturæ pia curioſitate tractantibus, quorum conatus, meditationes ac labores, Tincturam ſeu immediate, ſeu mediate concernentes, talento meo concredito adjutum iri; alios item tam pro animarum, quam pro corporum ſuorum ſalute, ut in arduo hoc negotio cautius mercentur, aut illud *Noli me tangere*, capite quarto amplius deſcribendum obſervent, fore edoctos, ſpero, confido.

Nihilominus tamen, ut Curioſus Lector eo facilius intelligat & aſſequatur animi mei ſenſa, nonnulla de jam dictis, nimirum 1.) Nomine, 2.) Definitione, 3.) Signis, 4.) Fine & uſu, præmittere, conſultum judicavi.

I. Nomen igitur quod concernit, notum eſt Tincturam Univerſalem tot nominibus quaſi eſſe inſignitam

Quod Thebis portæ, quot divitis Oſtia Nili.

inter quæ non pauca ſunt abſurda & ludicra; Cum enim Veterum Chymicorum nonnullis, peculiare & inſolitum illi nomen imponendo, emphaticum quoddam, & occultum tacite & allegorice indigitare placuerit, ſucceſſive factum eſt, ut chymicaſtri, naſutuli, ac Thraſonici aurifices, quo aliquid feciſſe & cognoviſſe videantur, ac facile credulis raram de ſe ſpem excitent, oſtentatorias denominationes eidem impoſuerint, cum phantaſticis emblematibus, ſtolidisque ſignaturis, non ſine veræ artis opprobrio, ac ſcoptica miſochymicorum irriſione, propterea hic nominare talia nomina, merito abhorreo. Placuit autem eandem vocare Tincturam Univerſalem; Tincturam quidem partim, quod a diverſis Lapis Philoſophorum κατ' ἐξοχὴν dicatur Tinctura, partim quod vox Tincturæ ſit egregia denominatio Chymica. (*a*) Non quidem intellectum hic volo per Tincturam quendam Liquorem aut liquidum, qualis eſt Tinctura Bezoardica, Martis, Tartari, florum papaveris erratici, &c. cum me non lateat, quod a plurimis, dictum Lapidem in forma pulveris vel ſalis ſeſe oſtendere, doceatur, uti inferius patebit. Univerſalem vero nominavi, ad differentiam remediorum particularium, ubi v. g. unum valet contra febres ma-

lignas, alterum medetur hydropi, hoc ſanat Phthiſin, illud ſedat dyſenteriam, iſthoc pellit menſtrua intempeſtive ceſſantia, aliud vero ſopit nimium horum fluxum; vel ut nonnulli Neoterici loqui amant, hoc corrigit & præcipitat præternaturale ſanguinis acidum, illud depurat vitioſum maſſæ ſanguineæ alcali. Noſtra vero Tinctura, modo extraordinario operans, ſanat morbos omnes, quales quales ii ſint, a quacunque etiam cauſa, ſive ab alcali, ſive ab acido præternaturaliter ſe ſe habente ortos; (quantum quidem cœleſtis Medicorum Primas talium morborum ſanationem huic vel illi individuo utilem judicat) nec minus metalla ignobiliora & imperfecta, innobiliora & perfectiora transmutat.

II. Definitionem pono talem: *Tinctura Univerſalis eſt ſupremum & perfectiſſimum Artis Medico-chymicæ Myſterium, e primis Naturæ principiis unitis paratum, quo corpus humanum vegetum in ſtatu naturali conſervatur, ac a morbis defenditur, morboſumque vigori priſtino reſtituitur; metalla inſuper imperfecta ſingularibus ſolutionibus & depurationibus in verum Aurum vel Argentum exaltantur & transmutantur.*

Dixi 1.) *Supremum & perfectiſſimum Artis Medico-Chymicæ Myſterium.* Si enim accurato ſtudio ac indefeſſo labore contra hunc vel illum morbum ſpecialem curioſe paratum, felicique ſucceſſu exhibitum medicamentum aliquod, v. g. Tinctura bezoardica, Antimonii genuina, (*b*) Antihecticum Poterii &c. dicitur (& quidem non immerito) Artis Arcanum & Myſterium; ſi item in re metallica quoddam curioſe inventum v. g. præparatio orichalci, meretur nomen arcani, quid vetat, ut Tincturam noſtram, utpote incomparabile & generale remedium, vocitemus perfectiſſimum Myſterium.

2.) Dixi, *e primis Naturæ principiis unitis paratum:* Cum e rebus macrocoſmicis primariis & generalibus, ad naturam Elementorum proprius accedentibus, ſecreta artis dexteritate tractatis & combinatis v. g. e ſpiritu Mundi & Sale Terræ (uti inferius dicetur) non vero e rebus magis compoſitis & ſecundariis, v. g. Lapidibus, Metallis, Herbis, ſimilibusque perfectis, velut reliqua medicamenta componatur.

3.) Dixi, *quo corpus humanum vegetum in ſtatu naturali conſervatur, & a morbis defenditur, morboſumque vigori priſtino reſtituitur.* Cum enim hæc paretur e tabilibus, e quorum diſpoſitione vita & mors noſtra dependet, nimirum rebus primis & principiis univerſalibus, quibus mediantibus bene & naturaliter conſtitutis mundana cuncta, & ſic etiam præcipue corpus humanum vivunt, creſcunt, nutriuntur,

con-

conſervantur; ex illis contra, per atomos impuras & putridas corruptis, ſuccedunt morbi maligni ac peſtilentes in hominibus & brutis, vegetabilium item corruptio & putredo, &c. Ideo etiam neceſſario ſequitur, medicamentum ex hac materia curioſe per genuinas Artis Enchiriſes depuratum, longoque labore ac diuturna Patientia ad ſummam perfectionem perductum, modo extraordinario & univerſali corpora noſtra ſana conſervare, vitam, quoad fieri ob alias circumſtantias poteſt, vegetam ſuſtinere, morbis omnibus ſe ſe opponere, iisdemque ſufficientem præbere medelam. Hoc quidem non perſicitur more in aliis morbis ſolito, dum contraria contrariis tolluntur, v. g. dum nimii fluxus ſanguinis, aut ventris, adſtringentibus, e contra alui aut menſtrui obſtructio aperientibus & pellentibus ſanantur; ſed roborando calidum innatum & Vitæ Balſamum, ſpiritibusque cordis ac cerebri ob neceſſarium partibus corporis alimentum ſubminiſtratum, debilitatis balſamicas vires novas addendo; his enim vigentibus & puris exiſtentibus, ſanguis circulo legitimo circum volutus, decenter expellit viis ſolitis impuritates & excrementa, ſartatecta ſervantur viſcera, ſanguinis depurationi & coctioni deſtinata, ſuoque ſatisfaciunt officio, corpus nutritur, & ita viget Oeconomia Microcoſmi, & hoc tamdiu, usque dum Divina Majeſtas, nos, exemplo Patriarcharum, Joſephi, Moyſis, Davidis, Hiskiæ, &c. morte naturali (conſumto nimirum vitæ pabulo) mori jubeat; aut unum alterumque morbis inſanabilibus percutiat, veluti Antiochum Lib. 2. Maccab. Cap. 9. & Ægyptios ulceribus, Exod. 9. v. 9. Si vero affectus aliquis turbaverit dictam Rempublicam, refocillato per hanc Ambroſiam & Nectar cœleſte Archæo noſtro, ille denuo contra audacior ire, acceptisque novis viribus hoſtem quemcunque (remediis aliis, probatæ alias experientiæ, etiam non obedientem) aggredi, atque ita maſſæ ſanguineæ cruditatibus incraſſatæ & inquinatæ, & quæ inde dependet, viſcerum totiusque corporis diſpoſitioni, naturalem vigorem reddere valet. Cui lubet conſulat hac de re, præter alios, *Davidis Lagnei Harmoniam Chymicam*, qui curioſe & utiliter varia e variis collegit, item Laborioſum rerum naturalium indagatorem, *Johan. Joach. Beccherum Phyſicæ ſubterraneæ Supplemento.*

Dixi 4.) *Quo imperfecta metalla ſingularibus ſolutionibus & depurationibus in verum Aurum & Argentum exaltantur & transmutantur.* Dum nimirum eorum principia e quibus cuncta conſtant, mediante aſtrali hujus Tincturæ virtute decenti proportione uniuntur, ac perfectis Solis & Lunæ Elementaribus radiis illuſtrantur; atque ita a ſcabioſis

ſuis excrementis depurata qualitates internas & externas Auri perfectiſſimi æquant aut ſuperant, ſingulisque probationum examinibus abunde ſatisfaciunt. Cum juxta plures Chymico Philoſophos, metalla non tam ſpecifice, ſed gradualiter differre, ample ventilatum & perſpicue demonſtratum ſit.

Me quidem non latet, dari plures, metallorum transmutationem & exaltationem plane negantes; cum autem illorum rationibus jamdum ſatisfactum ſit a variis veris per ignem philoſophis, neque mea ſit intentio, alibi dicta hic repetere, aut diffuſe diſputare, hoc unicum ſaltem addo: rationes eorum eo certius fieri irritas ratione Tincturæ Univerſalis, cum multæ ac diverſæ dentur Viæ particulares, quas dicunt, neutiquam concurrente menſtruo, aut via noſtra univerſali, magis magisque hoc ſeculo innoteſcentes, per quas in re medica nihil plane perficitur; ſed ſaltem metalla imperfecta & impura, item aliquando mineralia, & his affinia, in nobiliora metalla & puriora transmutantur, dum nimirum dictis metallis ignobilioribus, item Antimonio, Marcaſitæ vel Bismutho &c. mediantibus ſalibus, aliisque, v. g. Sale Armoniaco, Sale Tartari, Borrace, Nitro, Arſenico, Mercurio ſublimato, Lapide calaminari, &c. ope ignis fortioris fuſoria, per decentem ingredientium mixtionem malleabilitas, ponderoſitas, color deſideratus, fixitas & perſeverantia in igne & ſuper cupellam &c. ingenioſe & laborioſe communicantur.

In ſpecie Veneris in Lunam exaltatio ſatis curioſa, *Venerem albam*, quam vocant, in multorum jam eſt manibus & oculis. Quamvis autem dictæ transmutationes per vias particulares ut plurimum fiant ſine fœnore inſigni, dum ſæpius factæ impenſæ vix & ne vix quidem redeunt; nihilominus tamen hujus poſſibilitas & veritas conſiſtit firma & irrefragabilis.

Si igitur transmutatio per Vias particulares, quas dicunt, vera eſt & poſſibilis, teſte experientia ſequenti, quis quæſo, eandem denegare audebit magis perfectæ, imo perfectiſſimæ Tincturæ Univerſali? Ex ſuperabundanti, num ſit viri prudentis & Philoſophi contra Autopſiam diſputare, judicent alii.

III. Signa quod attinet, quemadmodum res cunctæ forma ſua externa cognoſcuntur, v. g. hoc eſt homo, hoc eſt equus, hoc eſt roſa, Rubinus, &c. vel inter medicamenta, hoc eſt Elexir proprietatis, Balſamus ſulphuris, Crocus martis, Cryſtalli Tartari, &c. ita etiam Tinctura Noſtra, tanquam Ens reale Phyſicum ſeſe quadam debet oſtendere figura. Cum autem hæc ſit

Rara

Rara avis in Terra, nigroque ſimillima Cygno.
atque uti mors dicitur horribilium horribiliſſimum; ita noſtra Tinctura non minori jure dicitur rariorum rariſſimum. Unde ejus ob raritatem evenit, ut de externa illius facie adeo plura producere teſtimonia non liceat, partim quod Chymici eandem aliquando vocitent *Tincturam vel Elixir album*, (quod ſufficit pro magnis uſibus quidem in medicina, metallorumque transmutatione in Lunam) aliquando vero *Tincturam vel Elixir rubrum*, (quod ad ultimam & plenariam rei perfectionem eſt perductum) partim & præcipue, cum ulceroſo noſtro ſeculo, proh dolor! res ſit eo delapſa, ut, ſi quidam Medici Novatores & naſutuli, vel præpararint laude quidem dignum aliquod medicamentum, vel etiam tale clanculum cuidam ſubduxerint, aliterque tinxerint, atque miſcuerint, ſtatim inde projiciant ampullas & ſesqui pedalia verba, ac modo *Panaceam*, nunc *Medicinam Univerſalem*, jam *ſulphur philoſophicum*, mox *pulverem Horizontalem* ſive *Aurum Potabile Verum*, & centum aliis pompoſis nominibus in ora omnium diſſeminent, atque ita confundant ac turbent Curioſos atque Philochymicos. Si etiam unus & alter res metallicas ſuperficialiter ſaltem tractaverit, vel ad ſummum Venerem albam parare didicerit, aut tandem poſſibilitatem transmutationis metallorum in viis particularibus, licet ſine fructu, viderit, ſtatim ſeſe pro vere Tincturæ Univerſalis Profeſſore venditare non erubeſcit.

Propterea cenſeo, vitio non adeo quaſi eſſe vertendum Medicis nonnullis, chymiam medico-metallicam per plures annos accurata methodo, & laborioſe tractantibus, DEO autem ſic volente, primarium laboris finem, Tincturæ nimirum acquiſitionem non obtinentibus; e contra talium vaniloquorum atque funivendulorum fallaces nugas ad nauſeam viſu & auditu continue percipientibus, ſi, quaſi e juſta indignatione, Tincturam Univerſalem plane non Ens judicaverint.

Sed ad rem: Me non ſtatuere, quod Lapis Philoſophorum ſit talis Liquor, qui communiter Tinctura vocatur, ſuperius de Nomine monui; ſed rectius cum illis, qui eandem vel viderunt, vel e qualitatibus ſuis internis judicant, judicamus, Tincturam Univerſalem, quoad figuram externam conſiſtere in pulvere ſalino, vel ſali potius analogo, rubicundo, ſublucido, inſipido, valde ponderoſo in Solis aut candelæ calore, uti cera, fluente, in aere non fluido, in violentiſſimo etiam ignis examine manente fixo & incremabili.

Sal

Sal enim eſt vere perfecta & balſamica ſubſtantia, ubi volatilior Tincturæ pars, cum parte fixiore in Macrocoſmi Laboratorio per artem optime potuit uniri & concentrari. Rubedo & ſplendor indicat Operis perfectionem & igneam penetrantiam (rubeus enim & albus color in natura pro magis perfectis & durabilibus non immerito habentur) Pulvis quem Helmontius viderat, flavi fuit coloris, quod tamen rei ipſi nil derogat.

Nam dubium hocce nonnullis forte oriens bene prævidit & ſopivit Heinr. Kunraht. Amphiteatr. p. m. 202. *In pulvere*, inquit, *eſt croceus, in maſſa vero integra inſtar rubini, rubens*. & Franc. OSW. Grembs: Arbor. Integr. & ruinoſ. hominis Lib. III. Cap. 3. p. m. 500. Tincturæ pulvis, inquit eſt inſtar croci, ſed toto corpore inſtar rubini; id eſt Tinctura Univerſalis ſi pulveriſatur, acquirit colorem croceum; tota vero ejus ſubſtantia, poſt fuſionem crucibulo exemta, colore rubro eſt rubini formis; Tincturam infra capite ſequente ex Helvetio adductam, quod attinet, illa forte nondum ad ultimam & ſummam perfectionem aut maturitatem fuit traducta.

Reliquæ dictæ qualitates indicant accuratam ac abſolutam particularum volatilium & fixarum unionem, perfectamque corporis incraſſati fixitatem, in qua cardo totius Operationis conſiſtit.

Mihi licuit ſemel eſſe tam felici, ut viderim apud Virum magnum hoc regale donum DEI nondum plane perfectum, in forma pulveris ſalini ex albo rubentis & quaſi ſplendentis, eo fere colore, quem exhibet Talcum, vel aliquando Sal volatile in deſtillatione roris Majalis recipienti adhærens; fatebaturque ſe ſe tandem in hoc arduo labore poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum, eo deveniſſe, ut *Materiam Univerſalem* methodo inferius detegenda caute tractaverit, ac eo perduxerit, quod ſe jam in cauda Pavonis, quod vocant chymici, oculis omnium exponat. Alius Amicus mihi dedit Sal cryſtallinum, vel potius pulverem Sali analogum inſipidum, leni Solis aut fornacis calore uti cera fluidum. Hi cryſtalli dulces per triennalem laborem, juxta modum infra Cap. 6. deſcribendum, ad talem fuere deducti vel coacti figuram. Ego tam Donatoris, quam propria Experientia, teſtari poſſum, dictum pulverem ſalinum methodo univerſali quodammodo paratum, non tamen plane abſolutum, in Morbis variis, alia, alias efficacis operationis, remedia eludentibus, v. g. Hydrope, Phthiſi, Hæmoptyſi, &c. laudabile ægrotis indigis attuliſſe ſolamen, ac valetudinem deſideratam ſæpius reddidiſſe.

Statuo

Statuo igitur per jam dicta, Tincturam, ut plurimum Pulveris Salini veſtem induere. Quod cum aliis accurate quoque evincit Petrus Joh. Faber in manuſcripto huic Schediasmati adnexo, Cap. 3. Nulli tamen volo contradicere, qui eandem ſic perfectam poſtea in oleum, vel aliis modis, vel mediante Quinta Eſſentia Vini in liquorem aliquando reſolvi, doceat; Quemadmodum ipſe Paracelſus plus vice ſimplici unam vel alteram guttam hujus Olei Univerſalis ægrotantibus propinavit, uti fuſe tradit cum aliis Andr. Libavius Alchymiæ Lib. II. Tract. 2. Cap. 9.

Signa e qualitatibus internis quodammodo ſuperius in definitione tetigimus in Puncto ſanitatis conſervandæ aut reddendæ, ut & metallicæ transmutationis, dum nimirum, unius grani portiuncula tam morbis (per alia remedia etiam inſanabilibus) medendo, quam imperfecta Metalla exaltando extraordinariam, & quaſi miraculoſam humano generi opem exhibet, atque ita de ſe ipſo teſtatur. Proinde cum talia e pluribus ſcriptis ac Artis filiis, cum quibus mihi res eſt, jamdum cognita, cramben ab aliis toties coctam, hic proponere, ſupervacaneum puto.

IV. Finis & uſus. Cum Natura & Natura naturans DEUS, nihil faciant fruſtra, ſed cuncta fiant propter certum aliquem finem, dubito ſane, an quidam ſanæ mentis de uſu Tincturæ Univerſalis dubitet, aut fruſtra eam fieri credat. Cui autem fini illa e generali Divinæ Majeſtatis Cornucopiæ ſit deſtinata & creata, quæ in Definitionis explicatione ac de ſignis hactenus dicta, docent; nimirum ut ſanitatem vegetam hominibus ſervet ac deperditam reſtituat, metallaque imperfecta & ignobiliora in nobiliora & perfecta transmutet. Hac enim morbi omnes, quales quales, quanti quanti ſint, efficacem alias aliorum remediorum virtutem eludentes ac inſanabiles habiti, DEO jubente ſanantur, adeo etiam ut in lepra ac ſimilibus affectibus deſperatis, quos dicunt, ſumme mirabiles ediderit ſæpius operationes.

Operationi autem perficiendæ, Adeptorum nonnullorum Elogio, ſufficit granuli unius portiuncula; ad præſervationem quidem Tinctura alba aliquoties ſaltem in anno; Elixir vel Tinctura vero rubra adhuc paucioribus vicibus quotannis exhibenda. Qua ſic ſumta, homo eſt bene diſpoſitus, vegetus, rubicundus. Ad ſanandum vero propinata, morbum aliis per menſem vix ſanabilem tollit unico vel altero die; affectum alias annuo ſpatio vix eradicabilem ſanat 12. dierum tempore, ſymptomata vero ſumme inveterata & contumacia per unum menſem.

In regno Minerali non minori energia, ac in maſſa ſanguinea vel Regno animali, ſeparando impuritates, unicum itidem granum Tincturæ vertit plures uncias metallorum imperfectorum in Aurum vel Argentum, illis in fuſione ſtantibus injectum. Ab hisce duobus præcipuis & ſuperioribus laboribus dependent varia alia, v. g. Lapides ignobiliores facit immutari in pretioſos & gemmas, uti cryſtallum in Rubinum, Topaſium &c.

Non minus e rebus medicamentoſis v. g. Auro & Argento communi fixo, e perlis, coralliis, antimonio &c. veram valet extrahere Tincturam, quod alia menſtrua, qualia ſint, tam perfecte præſtare nequeunt.

In regno Vegetabili contra Naturæ curſum & modum maturat & fœcundat arbores, plantasque omnes. Sic granulum Tincturæ Aqua ſolutum veris tempore affuſum Viti, aut alii arbori, menſe majo producet poſt flores ramos, vel racemos & fructus. Eodem modo vina vappeſcentia renovantur & reſipiſcunt.

Qui Curioſus Philoſophiæ Noſtræ Naturalis Scrutator plura & ampliora deſiderat experimenta, evolvat inter plures alios Theatrum Chymicum, ibi multos in unum collectos reperiet Tractatus ſuis ſatisfacientes meditationibus. In ſpecie vero in Hujus Volumine IV. Harmoniam Chymicam Davidis Lagnei.

De modo autem operandi poſt ſuperius dicta addo breviter: Cum Tinctura Noſtra ſpecialiſſima prærogativa medeatur morbis omnibus, non vero uti alia inter medicamenta, hoc Phthiſi, illud hydropi, aliud febribus, aut Arthritidi adhibeatur, ideo etiam peculiari ratione ſuam abſolvat operationem; dum nimirum roborat calorem nativum a cruditatibus maſſæ ſanguineæ & a materia morboſa debilitatum, ſpiritus exſuccos & efficaci virtute depauperatos refocillat, ſanguinisque maſſæ ſuum renovat Balſamum, & quæ præternaturaliter ſe ſe habent, in ordinarium revocat circulum; Anima enim noſtra pro Oeconomia Microcoſmica ſarta tecta ſervanda ſolius Calidi innati & ſpirituum utitur Miniſterio, quibus decenter ſe ſe habentibus, & vegetis exiſtentibus & conſervato ita in Cordis lampade balſamico Vitæ oleo, quælibet viſcera & partes corporis amica & æquali temperie confœderatæ legitime ſuis funguntur officiis.

Non aliter, ac ſi natura in Macrocoſmo per atomos aëreas, per radios ſolares; Rorem, pluviam, &c. unamquamque Creaturam in vigore ſibi conſueto conſervat, fœcundat, nutrit: Aut veluti Lampas uno eodemque modo radios lucidos ſatis diu de ſe ſpargit, ſi ipſi

decen-

decenti quantitate & ſucceſſive oleum novum pabuli loco infunditur. Vel uti aqua paludoſa & ſtagnans purificatur & ab ulteriori corruptione defenditur, ſi aqua fluvialis limpida in eam derivatur. Vel ut rude ab opificibus depromam exemplum: Sartor modo uno eodemque, mediante acu facit veſtes ſericeas, laneas, coriaceas; Sutor e diverſo corio facit itidem calceos æqualiter. Fabri ordinum omnium ex Auro, Argento, Cupro, Ferro, &c. mediante malleo extendunt ſuas laminas, variasque inde formas & figuras & vaſa fingunt. Non aliter Archæus Noſter Noſtra utitur Panacea. Plura ad hanc rem facientia videantur Capite ſequenti poſt Reſponſa ad objectiones Kircherianas.

Laudabilem autem hujus operationis modum non adeo extendendum volumus, uti Zoilorum familia cavillatur, ac ſi eadem Vita humana, DEO etiam quaſi invito, poſſit prolongari, juventus reddi, ſenectus prohiberi. Sed Tinctura Noſtra morbos præſentes exturbat & ab abſentibus præſervat Corpora Noſtra, quantum Cœleſtis Medicorum Primas, qui percutit & ſanat, qui eſt arbiter Vitæ & mortis, ſanationem noſtram divino ſuo honori ac hominis cujuslibet ſaluti, qua mundanæ, qua æternæ, proficuam reperit. Niſi enim ille adfuerit, viresque infuderit, nil & vilis dictamnus, & glorioſa Panacea juvat, juxta communem verſum. Ea enim omnino ſubjecta eſt cum omnibus creatis potentiſſimo & inevitabili Pancratoris Majeſtatici Fiat. Medicamentis autem uti omnibus, ita etiam hac Tinctura Univerſali utimur, non ut mortem evitemus, ſed ut eam tolerabili in ſtatu ac vegeta ſanitate expectemus. Minime tamen Tincturæ noſtræ efficaciam ſubjicimus craſſæ nonnullorum explicationi dicti illius e Jobo Cap. XIV. v. 5. *Poſitus eſt hominis Vitæ Terminus*, quem non poteſt transgredi. Quaſi ex abſoluto DEI decreto inevitabiliter cuilibet hominum vitæ terminus adeo immobilis eſſet poſitus, ut abſoluta neceſſitate nullo habito reſpectu ad cauſas ſecundas & contingentia, ut certa hora, & definito genere mortis mori cogamur, eumque terminum anticipare aut prolongare ſit ſimpliciter impoſſibile.

Hoc enim modo intellecta & declarata Jobi verba exiguum uſum relinquunt Theologiæ, pauciorem Medicinæ; periclitatur ambarum dignitas, hæc corporum, illa animarum noſtrarum ſaluti præfixa; & quaſi fruſtra a DEO eſſent procreatæ tot rerum medicamento ſarum myriades miraculoſe operantes.

Poſuit quidem DEUS Optimus Maximus cuilibet homini Terminum vitæ, ut tamdiu vivat, quamdiu per ſuam Complexionem ac temperamenti ſui diſpoſitionem poteſt: Verum enim vero Idem Do-

minus hominibus ad ſui imaginem conditis, & in quibus τὸ τῶν ἄϛρων ϛοιχείῳ ἀνάλογον aut aliquid Divini habitat (de quo eleganter Melchior Sebizius, & Hieron. Jordanus in peculiaribus tractatibus) dedit rationem, & reliquit liberum arbitrium, quibus decenter utantur, ac vitæ ſuæ normam inde emetiantur.

Si igitur aliquis hisce abutatur, ac compotationibus, ingluviei, libidini, iræ, mœrori, aliisque diætæ erroribus (quorum dantur innumeri) indulgeat; Si item temerarius huic vel illi periculoſo caſui fortuito, ſine vocatione legitima ſeſe exponat, neque etiam medicamenta a DEO ideo ordinata ægrotans uſurpet, ille ſane Vitæ filum ſibi abrumpit, tam ob rationes phyſicas, quia coctiones viſcerum neceſſarias turbat, ſanguinem impurum reddit, calidum innatum ſpiritusque animales abſumit, ac ita Naturæ vim infert, cauſa enim ſenectutis & hanc ſecuturæ mortis naturalis eſt corruptio & putredo ſanguinis ſpiritibus ſuis neceſſariis depauperati; quam ob rationes Theologicas, quia ſua propter peccata gratioſum Patrem cœleſtem, vertit in ſeverum ſcelerum vindicem. Ille enim pro ſua Clementia, iſtam extendit aliquando ad plures annos, aliquando vero abbreviat, vel propria hominum quoque culpa anticipare permittit. Ut pauca ſaltem adducam S. Scripturæ teſtimonia r) pro prolonganda Piorum Vita militat: Eſaias Cap. 38. v. 5. de Hiskia Rege: Audivi preces tuas, & vidi lacrymas tuas, & adjiciam ad dies tuos quindecim annos. Proverb. 3. v. 1. 2. Fili mi, ne obliviſcaris Legis meæ & præcepta mea Cor tuum cuſtodiant; longitudinem enim dierum & annos vitæ, & Pacem apponent tibi. Et Cap. 4. v. 6. & 10. Audi mi fili, ſuſcipe verba mea, ut tibi multiplicentur Anni vitæ. Et Cap. 10. v. 27. Timor Domini apponet dies, & anni Impiorum abbreviabuntur. Exodi XX. v. 12. Honora Patrem & Matrem tuam ut ſis longævus ſuper terram. Et Cap. 23. v. 25. 26. Si ſervietis Domino Veſtro, DEO, implebo numerum dierum veſtrorum. 1. Reg. 3. v. 14. Si ambulaveris in viis meis, & cuſtodieris præcepta mea, & mandata mea, ſicut ambulavit Pater tuus, longos faciam dies tuos. DEUS omniſcius aliquando piis Vitam adimit, ne torqueantur diutius miſeriis humanis, ac eripiantur futuris ærumnis. Sic Sap. 4. v. 14. Placuit DEO, & erat grata anima illius, propter hoc properavit, educere illum e mediis iniquitatum. Sic DEUS ob Pietatem Enochum & Eliam vivos ad ſe rapuit, nec naturalem Vitæ terminum eosdem experiri permiſit.

Impiis autem Pœna Divina dies abbreviatur, juxta Pſalm. 55. v. 24. Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Et

Pſalm.

Pſalm. 73. v. 19. Quam ſubito deficiunt iniqui? Pereunt & eorum finis eſt horribilis. Eccleſiaſt. 7. v. 18. Ne impia agas multa, & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo. Geneſ. 38. v. 7. Sed Ger, Primogenitus Judæ, erat impius coram DEO, hinc ipſum faciebat mori. Ibidem v. 10. Hoc factum Onani diſplicuit DEO, hinc eum etiam ſinebat mori.

Omnipotens hic Polarcha ad juſtam iram commotus, horribiliter peſſundedit impios, v. g. Exodi 12. v. 29. primogeniti Ægyptiorum omnes una nocte necabantur. Exodi 14. v. 28. Exercitus Pharaonis totus in mari rubro peribat. Geneſ. 17. Antediluvianorum numerus innumerus, excepta Noæ pii familia, aqua ſubmergebatur. Geneſ. 19. v. 14. Sodomitæ & Gomorrhæi igne ſubvertebantur. 2. Reg. 19. v. 35. In Caſtris Aſſyriorum, unica nocte occiſi 185000. milites. Achabus Rex 1. Reg. 22. Prophetæ Michæ diſſuaſiones negligens, & periculoſum intrans prelium periit. Econtra Ninivitæ pœnitentiam agentes ſeveram certe & proxime inſtantem averterunt ruinam.

Ex quibus inconcuſſum ſtare conſequens judico, Terminum Vitæ a DEO eſſe nobis poſitum neceſſitate conditionata ab hominum pietate vel impietate, diæta, aliisque cauſis ſecundis & contingentibus, pendente.

Alias enim ſequeretur, ob commiſſa piacula, rota plexos, ſuſpenſos, &c. cauſam mortis poſſe adſcribere DEO, Terminum Vitæ illorum ita diſponenti, quod certe magna in Miſericordiam Divinam injuria. Accedit quod illi tam rigoroſe in Theoria controvertentes, in Praxi ſe ipſos refutare extra omne dubium ſoleant, vel potius cogantur, niſi Autochiriæ crimen deteſtabile committere velint. Quis enim horum erit tam abſurdus, ſi ipſe, vel ſuæ Familiæ membrum improviſo vulneratum copioſe ſanguinem profundat, ut non ſtatim Chirurgum acceſſat pro ſanguine ſiſtendo, alias enim infallibiliter cum Cruore ſimul animam effundet.

Quis Catarrho Apoplectico correptum aliquem non ſtatim juvat refocillantibus, penetrantibus? Quis a terrore lipothymiam patienti cordialibus volatilibus non approperat? Quem latet, agonizantes, & mortis candidatos, pedem in Cymba Charontis jamdum habentes, ſi non aliquot ſeptimanas, tamen totidem dies per remedia confortantia ſæpius ſuſtentari? Quod ſupervacaneum ſane foret, ſi terminus Vitæ a DEO præviſus eſſet plane immobilis.

Non tamen uberius litigabo cum illis, qui ſtatuunt, terminum Vitæ a DEO poſitum non quidem poſſe tranſcendi aut extendi, niſi

extraordinario DEI juſſu ac permiſſu; e contra vero ob vitæ mores impios, errores diæteticos, temerariam vitam, aliaque contingentia innumera innumeris modis abbreviari poſſe, & quidem adeo, ut inter aliquot centum, imo millia hominum vix unus vel alter terminum a DEO ſibi definitum attingat; atque ita ante diem ſuum moriantur plerique, præcipue ſeculo hoc noſtro ferreo-Terreo.

Sufficit mihi, ſi obtinuero, medicamenta tam omnia, quam in ſpecie Tincturam noſtram, non ludicre, fruſtra, & inutiliter exhiberi ægrotantibus.

Verum, ne in hoc præter mentem ſim prolixus, id inſuper magis ad Cathedram Theologicam, quam Medicam pertineat, Benevolum Lectorem remitto ad Hutterum, Hunnium, Gerhardos Heinrici, Hülſemannum, Calovium, Muſæum, aliosque plures.

Proinde non ceſſemus, DEUM orare, ut ſit mens ſana in corpore ſano, ac commendare ipſi vias noſtras, qui cuncta benefaciet; Sique ob peccata commiſſa nos ægrotare, atque in Medici manus incidere ſinat, juxta Syracidem, Cap. 38. v. 15. Honoremus Medicum propter neceſſitatem, ibidem v. 1. DEUS enim Medicum & Medicamenta produxit e terra, & vir ſapiens ea non ſpernit. ibidem v. 4.

Stante igitur hoc, ut ad propoſitum redeam, quod Medicamentis omnibus uti jubeamur a Sacro Codice, & quod non tam abſolute ſimus prædeſtinati huic vel illi Vitæ Termino; quis quæſo, Tincturæ Noſtræ Univerſali debitum honorem & præ aliis præcellentem energiam infringere audebit? aut ſi auderet, valebit?

(a) Bartholomæus Caſtelli in Lexico Medico Græco-Latino Lipſiæ 1713. edito ſcribit: Tinctura terminus in Medicina uſitatiſſimus, ambiguæ tamen ſignificationis. Sumitur enim vel *active*, quod colore ſuo penetrat & tingit alia corpora, vel *paſſive*, & ita appellatur *Extractum liquidum coloratum*, ſeu color a miſto ſeparatus. In ſpecie vero Tinctura eſt portio aliqua ſubſtantiæ propriæ corporis, ex quo extrahitur, cum concentratione virtutis & coloris in centro ſedem habentis, differens a reliquis corporis partibus, idoneo menſtruo ſoluta & exaltata, eaque ad rubrum potiſſimum vergens. Differt ab Extracto, quod in hoc menſtruum rurſus ſit ſeparatum. *Specialiſſime vero & ſpagyrice* accipitur Tinctura active & paſſive pro Arcano philoſophico ſpecifico, quod cum eſſentia qualitatibusque formalibus etiam colorem rei habet, ut non modo in ſui ſimilem naturam tingere poſſit alia, ad qualem qualem transmutationem, unde apud paracelſum & alios ſublimioris Chimiæ Autores leguntur Tincturæ

ƈturæ ad album & rubrum; ſed etiam ad valetudinis humanæ conſervationem, reſtaurationem, ob validam etiam renovandi virtutem ipſis attributam. Celeberrimus D. D. Georgius Wolffgang. Wedelius Pharmaciæ Acroamaticæ Lib. II. Sect. V. Cap. V. Tincturas deſcribit, quod ſint Liquores medicamentoſi colorati & tincti, diffuſi vel concentrati, ex ſulphure mixtorum centraliter per menſtrua accommoda ſoluto & expanſo, virtutibus ſeminalibus conformes. Deinde totum hoc caput Naturam, differentias & extractiones Tincturarum clarius exponit, ſi ſimul, quæ antecedenti capite IV. de ſulphuribus docuit, conferantur.

(*b*) In Manuſcriptis Beati Avi ſequens illi a Chimico non infimi ſubſellii communicata legitur Tinctura antimonii.

Recipe Vitrum antimonii per ſe factum, pulveriſetur in marmore ſubtiliſſime, veluti pulveriſantur pictorum colores, huic ſuperfunditur acetum deſtillatum vini commune (acetum enim e Viridi æris eſt nimis acre, & nimium ſalis acris in ſe continet) digere per tempus, poſtea filtra, abſtrahe acetum tinctum per retortam vitream, & remanebit in retorta pulviſculus rubicundus, qui eſt veriſſima antimonii Tinctura, quæ vel in pulvere poterit exhiberi, vel facile extrahi ſpiritu Vini.

Multi Chimicorum ſecundum modum a Baſilio Valentino & Kerkringio deſcriptum cum aceto antimoniali philoſophico e minera antimonii extractam Tincturam & oleum pro genuina laudant.

Beatus D. Johannes Bohnius Profeſſor quondam Lipſiæ Celeberrimus, in Diſſertatione ſua de Variolis epidemice graſſantibus talem deſcribit:

℞. Mineræ Antimonii, ſilicibus partim flavis, partim cryſtallinis intermixtæ q. v. huic ſubtiliſſime tritæ adde aëris concentrati, ſalis Tartari ana partem dimidiam. Hæc omnia inferantur phiolæ, ſeponanturque ſuperfuſo rore Majali, vel aqua pluviali martia, vaſe aperto ad fermentationem. Hac peracta procedatur ſecundum modum a Baſilio & Kerkringio deſcriptum, ut acquiratur acetum Antimoniale philoſophicum. Hoc ita paratum ſuperfundatur mineræ novæ, optime itidem levigatæ ad trium digitorum eminentiam, repetendo laborem donec omnis extracta Tinctura ſit. Hanc de novo ſupra dictis ſalibus legitimo pondere additis, fermentare oportet, hinc deſtillare primo lento igne, & qui ſaltem ſufficit ad prolectionem phlegmatis ſeorſim ſervandi, poſt fortiori, evecturo oleum rubicundum, pellucidum, millibus ſtriis in recipiens defluens. His ita peractis cum phlegmate primo ſtillante ſervatoque, ex capite mortuo extrahe ſal, quod coagulatum oleoque rubicundo junctum, prægreſſa deſtillatione hoc exaltat in oleum rubino rubicundius. Nobiliſſima in deſperatiſſimis caſibus, iisque inprimis ex ſanguinis ſuccorumque ceterorum impuritatibus natis Medicina.

Sequentem D. Joh. Agricolæ proceſſum ceu veriſſimum multis encomiis mihi commendavit Chimicus non incelebris.

℞. Li-

℞. Liquorem acidulum a præcipitatione mercurii Vitæ reſiduum, ſuperfunde eum butyro Antimonii, effunde hanc ſolutionem cautiſſime in cucurbitam vitream, deſtilla aquam per balneum & remanebit ſpiritus flavus, hunc rectifica, & accipies ſpiritum Vitrioli philoſophicum dulcem, menſtruum aptiſſimum ad extractiones mineralium, & præcipue Tincturam Antimonii genuinam.

℞. Mineræ Antimonii Hungarici, vel alius optimi, Libras duas, redige in ſubtiliſſimum pulverem, inde phiolæ, affunde præcedentis ſpiritus quantitatem ad eminentiam trium digitorum, pone in lenem digeſtionem, & ſpiritus præterlapſis decem diebus antimonium reſolvet in mucilaginem, & ſummam ejus rubedinem extrahet, hunc ſpiritum coloratum alio vitro infundas, & alium reaffundas, hancque operationem cum affuſione & effuſione ſpiritus toties repetas, usque dum ſpiritus non amplius coloretur. Prima effuſione parum ſpiritus colorati acquiritur, maxima enim ejus pars mineræ ſe inſinuavit, ut illam ſolvat & in mucaginem reſolvat. Spiritum coloratum omnem miſce, deſtilla in balneo, usque ad remanentiam liquoris mellis conſiſtentiam referentis, & colore ſanguinem congrumatam æquantis; ſi hujus liquoris gutta unica in cochlear argenteum infunditur, illud colore aureo tingit, quis color per tempus immutatus permanet, in igne autem avolat, quia Tinctura fixitatem nondum acquiſivit. Huic maſſæ rubræ ſuperfunditur ſpiritus vini optimus, digere usque ſpiritus vini coloretur, hunc effunde, & alium ſuperfunde ſpiritum, hoc toties repete usque ſubſtantia pura, a fecibus, colore nigro fundum petentibus, liberata ſit. Tincturas conjunge, & abſtrahe ſpiritum in balneo, usque oleum pulchrum in fundo vitri remaneat, ſuperfunde iterum ſpiritum Vini, & digere oleum per menſem in balneo vaporoſo, tunc inde retortæ vitreæ luto obductæ & primum leniſſime ſpiritum Vini abſtrahe, tunc novo recipiente non tamen nimis magno appoſito, ignem auge, & adſcendet oleum rubicundiſſimum & clariſſimum, hoc tribus vicibus rectifica, ſic fiet colore rubro & dulcedine gratiſſimum. Caput mortuum ex omnibus deſtillationibus relictum, immitte ollæ firmiſſimæ, cujus orificium operculo optime claude, & reverbera igne forti, tamdiu usque dum brunnus color apparet. NB. Priusquam furno reverberatorio ollam imponas, capita mortua cum ſalis nitri quantitate miſcenda & per duas horas calcinanda ſunt, usque dum ſal nitri igne conſumtum ſit, tunc poteſt reverberatio usque ad brunnum colorem peragi. Reverberatæ maſſæ ſuperfundatur acetum Vini deſtillatum optimum, ponatur in digeſtione usque acetum colore flavo tingitur. Coloratum acetum effunde, & aliud ſuperfunde, hocque continua usque acetum non amplius coloratur. Aceta colorata miſce, & deſtilla per balneum, tunc in fundo alembici maſſam ſalinam reperies, huic ſuperfunde aquam deſtillatam pluviam, & ſolve quod ſolvi poteſt. Clarum filtra per chartam, & ad quartam partem aquam evapora, pone in loco frigido, & cryſtallos eleganter albicantes accipies, ceu verum Antimonii ſal, cryſtallos exime leniterque reverbera, ſuper-

ſuperfunde iterum aquam pluviam, deſtillatam ut ſolvantur, feces fundum petant, filtra iterum aquam & coagula ad ſal, hanc coagulationem tamdiu continua, usque nullæ feces fundum petant, & ſal puritate cryſtallina appareat. Cryſtalli per ſe ſunt Arcanum purgans perſonis medicamenta ab horrentibus, & inprimis infantibus, ſaccharum dulcedine æquare debent. Cryſtallos immitte phiolæ, ante dictum oleum rubrum ſuperfunde & digere, ſi feces ad fundum cadunt, immitte retortæ vitreæ, & deſtilla cuncta per retortam, ſi non cuncta una vice retortam adſcendant, ſuperfunde deſtillatum capiti mortuo, & deſtilla ut prius forti igne, usque dum feces paucæ remaneant, quæ leves & molles ſint, quibus quoque nullæ vires amplius inſint, has abjice ceu terram mortuam; deſtillatum immitte Phiolæ quam probe ſigilla, & coagula per gradus, tunc cum tempore rubrum & fixum pulverem ſeu vitrum acquires. Quod veriſſima Quinta Eſſentia Antimonii eſt, & ſummus theſaurus in Medicina. Ante coagulationem mira colorum varietate delectaberis.

D. Lentilius Mineram Antimonii cum cruſtis panis ſecalini torrefactis per retortam pellere jubet, unde liquor acidus empyrevmaticus cum thrombis quibusdam quaſi ſanguineis exſtillat, hic liquor a thrombis ſeparatus & rectificatus mineræ affunditur, & Tinctura rubra inde extrahitur, qua affuſione pergitur quamdiu colorem a minera adipiſcitur, ſi colorem exſugere deſiſtit abſtrahitur per Mariæ balneum acetum omne usque ad mellis conſiſtentiam, cui extracto antimoniali ſuperfunditur ſpiritus Vini rectificatiſſimus, & extrahitur iterum Tinctura rubicundiſſima, elegantiſſima, iteratur ſpiritus Vini affuſio, quamdiu rutilus color exſurgit. Hæ extractiones ultimo denique per mariæ balneum caute abſtrahantur, cavendo, ut cum guttulæ rubræ tranſire ceperint, ſtatim ulterior deſtillatio intermittatur. Sic acquiritur oleum Antimonii rubini ad inſtar ſplendens non injucundum, quamvis Empyrevma omnino non deponat. Doſis gt. X, XII. in vino.

CAPUT III.

QUOD DETUR IN RERUM NATURA.

DE exiſtentia TINCTURÆ UNIVERSALIS non tam multis annis & luſtris quam ſeculis acerrime fuit dimicatum & controverſum; Verbis quidem ſæpius tam mordacibus, & dicteriis tam acerbis, ut tantum non crediderim, in præliis,

 ubi

ubi plurimi tamen occiduntur, animos aliquando non tanto fervore ebullire contra Adverſarios, quam inter literarios hoſce hoſtes contingere ſolitum fuit.

Multi ſunt affirmantium, negantium plures. Inter utriusque autem factionis aſſeclas varios reperire eſt, non cucurbitam pro Cerebro habentes, ſed ſubtili pollentes ingenio; ut proinde τὸ ἐπέχειν non immerito ſecurius, quisquis ſit Philochymicorum, eligeret, quam ut tantis viris controvertentibus ſe immiſceat.

Nihilominus cum Amicus quidem Plato, Amicus Ariſtoteles, magis tamen amica veritas, & cum in nullius verba jurare jubeamur, pro hac melius elicienda & divulgandis Miraculoſi Creatoris Myſteriis, placet pro tenui meo Virili nonnulla proponere, & quidem ſtando a parte affirmante.

Affirmativam autem defenſuri, ante omnia laboremus, neceſſe eſt, ut negantium objectionibus & contradictionibus ſatisfaciamus. Pro meliori dilucidatione eos diſtinguimus *in ſolide negantes*, & *ſtolide negantes*: *Per ſolide negantes* intellectos volo illos, qui ſolida eruditione, ſpecioſisque ratiociniis muniti, ſuum propoſitum defendunt; & hi ſunt vel Medici, vel Chymiatri, vel Philoſophi ſpecialiter ſic dicti, id eſt ſpeculativi. *Per ſtolide negantes* vero indigito illos, qui ſine realium fundamentorum ac argumentorum pondere, ex ſola aliorum relatione, vel ex invidia, aut in artem veram, ex hujus abuſu concepto odio, veritati ſe opponunt: & hi itidem ſunt, aut Medici, aut Sophiſtæ, aut Chymicaſtri, & his analogi.

Chymicaſtros quod attinet, ii non tam operoſæ indigent refutationis, illorum conatu firmis non innitente fulcris. Dum enim tales fumi & Nugivenduli principiis Medico chymicæ artis non legitime ſunt initiati; ſed vel e lectione nonnullorum Chymicorum ſcriptorum, vel e diſcurſibus cum artis filiis habitis audaciores facti, vel quaſi per tranſennam videntes aliquoties particulam unam vel alteram particularis cujusdam, uti dicitur, laboris, (ſæpius Enchiriſibus præcipuis non ingenue detectis) vel ſaltem metallicarum fuſionum & purificationum gnari, rei tam pretioſæ tractationem aggrediuntur illotis, quod dicitur, manibus, id eſt, ſine precibus, ſine intentione Chriſtianum decente; ſed ſaltem ob ſacram auri famem, & nummos aucupandos. Tale ludicrum fundamentum & Principium neceſſario inſequitur effectus falſus & inſperatus; hinc dum oleum atque operam perdiderunt, ac bona dilapidarunt, omnia pro lapide (uti nervoſe loquitur Owenus) omnibus volunt perſuadere, plane non dari Tincturam Univerſalem.

Deinde

Deinde inter ſtolide negantes ſeſe offerunt nonnulli e Medicis Galenicis (nonnulli dico, neutiquam loquor de omnibus, nulloque modo in eorum opprobrium hæc prolata ſunto, cum magnifaciam eorum methodum & medicamenta, eademque tantum non quotidie ægrotis præſcribam, atque Galenicos inter ipſos dentur plures Viri ſumme literati, ſumme curioſi, occulta Naturæ ſerio & decenter ſcrutantes; multo minus loquor de Medicis Dogmaticis, qualem me ipſum profiteor, qui Doctrinam Galenicam & Chymicam prudenti dexteritate combinant, & fraterne uniunt) qui quidem fundamentis in ſtudio Medico legitime poſitis, arti ſervandorum hominum aut theoretice aut practice ſuam navant operam; econtra nimis rigoroſe inhærent opinionibus ſuorum præceptorum, & quæ in Galeni ac Averrhois, (Medicorum quidem honorabili memoria digniſſimorum) ſcriptis verbotenus non continentur, negligunt.

Pro eo igitur quod dotibus ingenii, ſæpius apprime raris & egregiis, recte uti, ac præter ordinaria negotia aut theoretica aut practica curioſitate indefeſſa ſcrutari naturalium rerum qualitates, ac aliorum inventis ſua addere deberent, quemadmodum quidem laudabiliter id præſtiterunt omnium Nationum Medici Veteres, Arabes, Ægyptii, Græci, Latini, &c. (alias enim Hygiea Noſtra tantum honoris faſtigium minime attigiſſet) iſti eadem, quæ in profeſſionis principio Schedulis conceperunt, ſucceſſive iterum proponunt; vel iis formulis Receptarum, quas Praxin medicam inchoando memoriæ mandarunt, continue utuntur, chorda ſemper eadem oberrantes, crambemque toties coctam apponentes. Reſiduum temporis Vacunæ pro ſacrificio offerunt, ab Amico ad amicum per Urbem currunt, cyathosque ſorbillando diem producunt, ut Terentii utar verbis, atque ita maximam Talenti ſui partem ſepeliunt: Et cum ab aliis audiverint, non dari Tincturam Univerſalem, nec videant eam publice venum exponi, veluti pilulas ſine quibus, Trochiſcos Alhandal, Rhabarbarum, &c. Jovem jurant lapidem, & mordicus ſimul hoc defendunt; licet in rei veritatem nec ratione nec experimentis inquiſiverint. Abſurdiſſima enim omnino eſt concluſio: Hoc medicamentum latet Medicorum plurimos, ergo non datur. Nec valere argumentationem a rei ignorantia ad rei negationem, norunt peritiores.

Hoc modo autem, quod non minus dolendum, tales non ſolum ſuffurantur aureum tempus proximi & ſucceſſorum utilitati deſtinatum; ſed etiam deteſtandam hanc pigritiam & ingenii torporem tranſplantant in ſtudioſam juventutem (veluti canis Æſopicus,

fœnum non devorans, pecora autem huic inhiantia, abigens) dum cereis hujus ingeniis talia dogmata imprimunt, quem noxium odorem teſtæ illæ, eo recenter imbutæ, poſtea ſervant continuum, de rerum naturalium ſcrutatione neutiquam ſolliciti.

Quemadmodum autem inter Medicos dicto modo tam pigri dantur ſocii, ita non diſſimilis inter Philoſophos alitur ſecta, dum nimirum iſti acumen ingenii pro adcuratiore artium & rerum naturalium veritate magis magisque indaganda a DEO ipſis conceſſum torpeſcere ſinunt, illis ſaltem inhærentes opinionibus, quas in juventute cerebellorum ſuorum receptaculis impoſuerunt; nec quomodo ſcientiis augmentum ac decus accedat, invigilant, aliorum curioſas & ſerias meditationes ventilando, credentes ſaltem, quod Philoſophi antiqui credunt; (minime omnium tamen mea mens eſt, quaſi venerandæ Antiquitatis ſtatuta & inventa hic velim ſperni aut abrogari, vel etiam ludicras novationes approbare: ſed ſaltem reverenter iis habitis excogitata ſeculi noſtri lauro digna cum iisdem combinari; multo minus loquor in genere de veris Philoſophis, quod DEO & Proximo nati ſint, decenter obſervantibus) atque ita e præſuppoſitis aliorum, hoc negantium, negant dari Tincturam Univerſalem; quamvis ipſi fere neſciant, quid proprie hæc ſit; ſed ſaltem ex invido fervore & abuſu artis, & a Pſeudo-chymicorum fraudibus concepto; cum facile mihi perſuaderi patiar, plures talium Philoſophunculorum nullam fornacem Chymicam vidiſſe, imo ne mercurium quidem Vulgi cognoviſſe. Et hi tam facili ſuccumbunt refutatione, quam nuper memorati Medici, cum, juxta ipſum Axioma Philoſophicum, contra principia negantem, vel non intelligentem, minime ſit diſputandum.

Deſides iſti Sophiſtæ aliorum relationibus temerarie ſtatim fidentes, nec manus oculatas habentes non abſurde ſunt æquiparandi illi Sutori in celebri quadam Civitate Germaniæ: Notum enim eſt, ibidem certo quotannis die, libertate Democratica permiſſum eſſe, & cuilibet e vulgo licere, de Senatoribus, aliisque perſonis publicis pro lubitu libere loqui, ac eorum Vitam & actiones impune taxare. Unde accidit quadam vice, (referente mihi Viro fide digniſſimo) ut ſutor quidam percipiens, hos laudari ab his, illos culpari ab illis, quo etiam aliquid feciſſe videretur, ac de Damno Joſephi ſe ſe ſollicitum eſſe, oſtenderet, ultra crepidam ſapiens in hæc eruperit verba: Rector noſtri Gymnaſii debet docere Logicam Philippi, & ille docet Logicam Rami. Dignum ſane tanto Oraculo e tanto tripode dicterium!

Solide

Solide negantes quod concernit, illi ſunt aut nonnulli e Chymiatris, aut e Medicis Galenicis, aut e Philoſophis ſpeculativis; qui variis contra Tincturæ realem exiſtentiam & veritatem inſurgunt argumentis. Inter quæ locum ſibi vindicet:

I. Quod plures ſolidioris Eruditionis Viri indefeſſo in Naturæ penetralia penetrandi ſtudio ac ardore in hanc quidem inquiſiverint, tam legendo & adcurate ventilando aliorum Scripta, quam manum ipſam Operi admovendo, materiam cauta ac laborioſa methodo per operationes Chymicas tractando, fruſtra tamen omnino laboraverint; ut nihil dicam de hoc, quod plures Thraſonici, indoctique Cinifiones, & fraudulenti Nummiſugæ loco Auri ſerio quæſiti & aucupandi aureum tempus perdiderint, ac Aurum ſuum a Parentibus magno ſudore partum & collectum in fumos reſolverint, inutiliter decoxerint & colliquefecerint, dum operi huic inſudaverint.

II. Quod nullus ſe ſe Orbi literato & curioſo manifeſte & realiter oſtendere valuerit, tanquam Triumphator Capitolium hoc Chymicum intrans, ac revera deſiderato laborum fine potitus; cum tamen id non centum aut mille, ſed tantum non innumeri præcipue Noſtro hoc ſeculo, infeliciter & fruſtra tentaverint.

III. Cum morbi diverſi a diverſis oriantur cauſis, neceſſario illis diverſa quoque opponenda eſſe remedia, v. g. Hic morbus requirit purgantia, alius adſtringentia, ille humectantia, iſte exſiccantia & ſic porro. Unde ſequitur, unum idemque remedium neutiquam poſſe contrariis operationibus perficiendis ſufficere, aut duobus dominis rite ſervire. Ad hæc multos morbos pro ſanatione non tam requirere robur naturæ aut calidi innati, quam auxilium manualis operationis, v. g. in luxationibus, fracturis.

IV. Si unico medicamento poſſent ſanari morbi omnes, fruſtra a DEO eſſent creatæ innumeræ rerum medicamentoſarum myriades, quod abſurdum; dum earum contemtum expreſſis verbis prohibuerit ſeverum mandatum Divinum, juxta Syracidis Caput 38.

Ad primam objectionem reſpondeo, quod non pauci ſolidioris literaturæ in re medico chymica Viri, factis omnibus faciendis, propoſitum non attigerint ſcopum, cauſa eſt eorum plurimos, ſi non omnes, aut labores ſuos non inſtituiſſe in genuina & prima Tincturæ materia; ſed eſſe ſeductos per ſcripta chymica allegorice & ſub nominibus falſis materiam deſcribentia; cum fere nullus in Tractatu

 publico

publico ſcapham nominaverit ſcapham; ſed ſub mutuato *Salis armoniaci, Nitri, Chalybis, Lunariæ, &c. &c.* nomine eandem ſaltem propoſuerit. Aut ſi illi materiam quidem veram quodammodo ſubolfecerint, eam non integram labori deſtinarunt, ſed opus ſunt aggreſſi in una ſaltem materiæ parte nimirum vel aërea & volatili, vel terreſtri & fixa. Aut rem tentarunt non in materia proxima ſeu propinqua, ad Tincturam commoda, ſed in aliqua nimis remota, & in corpore fixiore, tractationi huic non adeo apta & obediente. Aut omiſerunt unam vel alteram enchiriſin, cum arduum hoc opus poſcat cautiſſimum ingenium, cautiſſimam manum. Aut ſi indefeſſæ illorum curioſitati ac labori nihil erroris potuerit imputari, aliquando imperſcrutabili DEI voluntate accidit, ut concepta ſpe excidant, nec obtineant, quod velint laborantes. Talia autem eveniſſe viris in re Medico Chymica alias ſupra laudem poſitis, confitentur partim publica horum ſcripta, partim querelæ & diſcurſus Amicis concrediti.

Ad ſecundum repono argumentum; hoc non adeo evictæ eſſe veritatis; de genuinis enim Tincturæ Univerſalis Poſſeſſoribus, licet rariſſimis, gloriari poſſe Orbem, & in ſpecie ſeculum Noſtrum, paulo inferius unoplura convincent exempla. Quamvis enim ii, quibus licet eſſe tam felicibus, non buccinis & tympanis ſoleant divulgare, qui ſint; cum oleat faſtuoſam oſtentationem, contrarieturque piis veri Adepti moribus; nulla tamen inde eſt conſequentia; ergo nullus eam obtinet. Injuriam inſuper mirum quantum magnam inferimus Creaturæ Creatori, Argilla figulo, per hanc dubitationem, aut negationem, ac imminuimus honorem e mirabilibus ipſius operibus emergentem. A rei enim ignorantia ad rei negationem ſi aliquis argumentatur, craſſiſſimam extorquet concluſionem. Sed hac de Controverſia circa finem Capitis IV. videantur plura, & prolixiora.

Audio hic ogganientem Sophiſtam quendam: Si Tinctura Univerſalis non tam aperte eſt tractanda, & communicanda, quomodo, quæſo, poterit cedere in Proximi emolumentum? Quomodo ſanitatem huic vel illi ſervabit integram? Quomodo læſam reſtituet? Hoc modo omnino, erit comparanda Theſauro abſcondito, inutili? Verum licet poſſeſſor non oſtentatorio Agyrtarum ritu publice proponat ac propinet ſuam Tincturam, nihilominus humili & taciturna dexteritate plus poterit prodeſſe Divino honori, ac commodo proximi, quam centum fraudulenti Blaterones verbis ſequi pedalibus, exſuccis tamen; vel etiam alii Medicamentis ad minora a DEO conditis.

Ad

Ad hæc ſi noſtra ars primiceria, uti aliæ, frequenter & aperte exerceri a Deo permitteretur, & cuilibet indigne inhianti concrederetur, atque innoteſceret, hominum ſane plurimi huic incumberent, jucundo fine inter alia nimirum nummorum aucupio, capti & allecti, (cum notum ſit, quid non mortalia pectora cogat auri ſacra fames) unde tamen varia in animarum & corporum humanorum, perniciem certo forent metuenda abſurda, incommoda, ſcandala.

Accedit, quod intempeſtiva hac manifeſtatione temere ſeſe exponerent vitæ periculo; qualem mihi retulit Venetiis celeberrimus Otto Tackenius, de aliquo non ignoti nominis. Ille enim adhuc Monachus, vidit quendam e ſuis Confratribus plurimum temporis impendere in labores chymicos ſecretos; hinc Ejusdem ſibi familiaritatem magis magisque concilians, non deſinit eum fatigare querelis, quæſtionibus, precibus, usque dum ipſi concrediderit, quod Theſaurum huncce incomparabilem poſſideat; ac transmutet Mercurium in copioſum verum Aurum, ſanetque pauciſſima Pulveris portiuncula morbos ab aliis deſperate relictos. Per temporis ſpatiolum fraternam vel ingenuam colunt amicitiam; poſtea vero infidus iſte frater fratrem ſumme fidum extra cœnobium occidit, ſurripiens ipſi ſecretiſſimum hocce ſecretum, deteſtabilis lucelli gratia. Sceleratus ille, abjecto Monachi Cucullo, Venetias petit, ibidem aſſumto Comitis Nomine pompoſe vivit; minime occultans, ſed glorioſe jactans, ſeſe regiam hanc arrham obtinere. Quid fit? Peregrinus quidam aliquot ſeptimanis huic ſeſe aſſociat, ſtabilito per potum fraterno amicitiæ fœdere; poſt navicula, Gondelas ibi vocant, hic, ſtipatus aliquot miniſtris clanculum armatis ſpaciatum, educit illum ſolum in domum a populi frequentia remotam, ibi in hæc erumpens verba: Mi fratercule, ſcias, me eſſe Comitem celeberrimæ (quam nominabat) familiæ, belli injuriis ad incitas ita redactum. Cum autem ſanguis generoſus apud me hæreditaria quandam benignitate ebulliens, ſub ſordido & abjecto paupertatis pallio latitare amplius non valeat, per fraterni Noſtri Amoris leges Te oro & obteſtor, velis tanto pecuniæ numero mihi ſuccurrere, quantus ſufficiet pro cogenda & colligenda Legione militari. Sine tuo autem incommodo poteris mihi gratificari, cum juxta propria verba Tinctura Univerſali ſis dotatus. Redhoſtimenti loco tibi offero denuo officia mea usque ad ſanguinis, imo Vitæ profuſionem paratiſſima. Summe hinc perterritus iſte oſtentator, & ponderans, quod tantis alterius gratia expenſis faciendis propediem poſſit demonſtrari vacuum in ſua Crumena, præcipue, cum jamdum bona Tincturæ pars ſit conſumta, ſine ſpe novæ paran-

dæ,

dæ, atque tales fratres egeni facile plures ſint ſucceſſuri, aureo ex hoc fonte Aquam Vitæ gratis potaturi. Proinde omnes, quas invenire poteſt, rationes profert, inprimis vero, quod modicum Pulveris tingentis ſibi ſit reſiduum, nec tam ſubito recens parari poſſit. Ille vero, ubi res ipſa deſideratur, verbis minime contentus, monſtrat occultata famulorum arma, mortem minans homini in leges amicitiæ tam perfide peccanti, niſi cito ſuæ ſit ſatisfacturus petitioni. Hic Vitâ ſeſe periclitari videns, promittit, quamprimum ſeſe paraturum; Quod ille petierat, alibi autem id fieri non poſſe, niſi propria in domo. Conſentit ille, adjunctis tamen putatitio Chryſopœo cuſtodibus ſemper lateralibus. Tingendi autem plane neſcius hic Lucifuga ſub tenebris nocturnis aliquando commodam arripiens occaſionem, per ſupremam domus contignationem irrumpens in domum adjacentem, fuga Vitæ ſuæ conſulit. Paulo aliis circumſtantiis hanc deſcribit hiſtoriam, *Theobaldus ab Hooghelande*, *Tract. de Alchymiæ difficultatibus* (*a*) pag. 168. Aliudque huic non diſſimile addit exemplum, quod ibi legere, ſi libet, licet. (*b*)

Ad tertium Argumentum regero, cum e medicis Inſtitutionibus infallibiliter conſtet, morboſa diverſis oriri cauſis; ideo omnino illis diverſa etiam opponenda eſſe remedia; nimirum quando agitur de medicamentis particularibus, v. g. aut purgandi, aut adſtringendi, humectandi aut ſiccandi qualitate præditis. Tales autem Qualitates non quadrant, nec ſunt extendendæ ad Tincturam Univerſalem; Hæc enim paratur e rebus primis & univerſalibus, ideoque ſingulari gaudet Harmonia & Analogia cum Vitæ noſtræ ſpiritibus ac calido innato; Quod ab hac balſamica recenter imbutum virtute (uti præcedente capite jamdum dictum) modo Archæali & imperatorio corrigit, depurat, atque ejicit e maſſa ſanguinea omne id, quod circulatoriam ejusdem quomodocunque turbat officinam; quemadmodum aqua paludoſa in ſtagno purificatur, & ab ulteriore corruptione præſervatur, ſi aqua fluvialis limpida in eam derivatur.

Nec me ferit objectio, quod pro hoc vel illo morbo tollendo requirantur purgantia, vomitoria, ſudorifera, diuretica, calculos vel menſtruum pellentia, &c. qualis virtus, utpote in multis contraria, non poteſt ſubſiſtere in uno ſubjecto. Archæus enim Noſter non ſemper obtemperat in operatione medicamentis propinatis, licet talia juxta Methodi medendi leges, & cauta Medici experti mente manuque offerantur. Notum enim eſt Practicis, nec Antagoniſtæ poterunt negare, poſt remedium ſaltem ſanguinem purificans, & acidum meſenterii aut ſanguinis præcipitans, & edulcorans (nonnulli Ve-

terum

terum vocitant hepaticum, ſtomachicum, &c.) aliquando inſequi Vomitus, aliquando alvi fluxus, aliquando ſudores, aliquando largam urinæ excretionem. Nec raro poſt ſumtum purgans, v. g. rhabarbarum, folia ſennæ, galapium, &c. cui vis vomitoria a nullo Autorum eſt adſcripta, inſequi vomitus; & vice verſa, ſumto vomitorio ſuccedere alvi fluorem; nonnunquam etiam purgantia magis per vias urinarias, quam per guttur inferius expellenda expellunt. Et hoc fit ideo, quod Natura noſtra noxium & moleſtum per vias ſibi commodiores & proximiores expellere optime ipſa noverit, quod ſagacitas medici, qui naturæ ſaltem eſt Miniſter, minime vero Dominus imperans, non ſemper penetrare valet.

Nihil hic dicam de illo, quod hæ ſarcinæ impuritatum inm aſſa ſanguinea ulterius ferendæ impatiens, ſæpius criticas inſtituat ſua ſponte evacuationes ſine medicamentorum ope; ſed propria in conſervandam Microcoſmi Rempublicam Providentia, ſudores, vomitiones, diarrhœas, &c. non ſine laudabili & manifeſta euphoria, (quamvis nonnulla criſis fiat imperfecta, dum natura cruditatibus nimium preſſa, conatur quidem expulſionem, ſed debilitata oneri dejiciendo non ſufficit.)

In ſpecie vero reſpondeo, non latere Chymiatros, imo nec invidos, eo deventum eſſe, & magis magisque eo pertingi adcurata Pyrotechniæ induſtria ac indefeſſo labore, ut ex antimonio, Mercurio, aliisque rebus medicamentoſis tam raræ efficaciæ parentur remedia, quorum virtus & modus operandi ad ſolum aliquod excretorium ſeſe reſtringi neutiquam patiatur; ſed operetur ſaltem, vel roborando Balſamum vitalem, vel moderate & lente per inſenſilem tranſpirationem, vel per Diureſin, vel per ſudorem, vel per vomitum, vel per hæmorrhagias narium, uteri, hæmorrhoidum &c. materiam peccantem & ſuperfluam exturbent, prout Archæus laudabili medicamenti energia adjutus eandem pro faciliore exturbatione reperit diſpoſitam. Si itaque tales effectus producit calor innatus, vel ſua ſponte, vel remediorum particularium ope; quomodo, eandem virtutem denegare quis audebit, vel jure valebit Tincturæ Univerſali, utpote cujus penetrabilis excellentia, & extraordinarius juvandi modus reliqua omnia multis paraſangis ſuperat?

Sanatio affectuum externorum, v. g. laxationum, fracturarum &c. proprie & immediate a nullo medicamentorum internorum peti poteſt; Cum tamen ab externis v. g. faſciis, ligamentis, emplaſtris, &c. ſuam topicam expectent atque accipiant medelam; nihilominus mediate conſolidationem & reſtitutionem omnino maturat Tinctura

Noſtra, dum ſpiritus, terrore, hæmorrhagiis, dolore, vigiliis, aliisque accidentibus diſſipatos, renovat, atque ita ſimul inflammationes, gangrænam, &c. arcet, ac ab his corpus præſervat.

IV. Argumenti quarti, quaſi Tinctura Univerſalis fruſtraneam redderet creationem & operationes aliarum rerum medicamentoſarum, nulla plane eſt conſequentia.

Cum enim imperſcrutabile & ſapientiſſimum Conſilium Divinum per tot ac tot ſecula e millenis hominum millibus oppido pauciſſimos illius beaverit cognitione, propter plerorumque indignitatem, aut propter abuſum præcavendum, aut ut Deus per plures creaturarum ac remediorum e triplici regno, Animali, minerali, vegetabili ortorum diverſiſſimorum diverſitates, nos, (itidem mirabile ſuarum manuum opus) in majorem rapiat admirationem, ac pietatis addat ſtimulum, aliasque ob cauſas nobis incognitas, nihil plane, aut parum decedet honori reliquarum rerum medicamentoſarum. Potuiſſet quidem Omnipotens Vitæ & ſanitatis Autor (qui eſt miraculoſus in operibus ſuis) vel morbos plane a nobis arcere, vel unico ſaltem majeſtatico fiat morboſum omne tollere; potuiſſet, dico; ſed ita Ipſi non placuit, ut cum devoto Eccleſiæ Patre loquar.

Si ſacrarum literarum manuductione novimus, mirandum orbis Conditorem pro ineffabilis miſericordiæ beneplacito, populo ſuo Iſraelitico non uno, ſed diverſis modis tam in re medica, quam militari, aliisque auxilium præſtitiſſe. Medicorum Primas, Chriſtus ipſe ſanavit diverſis modis, aliquando unico verbo, & quidem ægrum inviſens, uti Matth. cap. 8. v. 3. Marc. cap. 11. v. 12. Joh. 5. v. 8. vel non inviſens, uti Matth. 8. v. 13. & cap. 15. v. 28. Aliquando tangens, v. g. Matth. 8. v. 3. & 15. vel ſine tactu, Matth. 9. v. 6. Luc. 17. v. 14. Viſum coecis reſtituit nunc ſine remediis, v. g. Matth. 9. v. 29. & 30. nunc mediantibus remediis. Marc. 8. v. 23. 24. & 25. vel Joh. 9. v. 6. 7. Regis Hiskiæ carbunculo juſſit imponi ficus pro maturatione per Eſaiam cap. 38. v. 21. Naëmannum Imperatorem exercitus Syriaci, leproſum ſepties juſſit lavari in Jordano Eliſæus 2. Reg cap. 5. v. 10. Moyſes corrigebat amaritiem aquarum in deſerto, injectione ligni a Deo edoctus, Exodi cap. 15. v. 25. Petrus & Johannes uno verbo mandarunt claudo nato, ut ambularet, pedibus officium ſuum ſubito & perfecte facientibus. Actor. cap. 3. v. 6. Econtra permiſit Deus Noſter imperſcrutabilis, ut cuncta ſcripta auro contra cara de rebus naturalibus & medicamentorum facultatibus (quæ ſingulari e revelatione conſignaverat Regum ſapientiſſimus Salomon)

lomon) jamdum perierint, maximo poſterorum dolore & detrimento, quorum arcanam & ampliſſimam cognitionem a Cedro Libani usque ad hyſſopum parietis, huic ſoli, (poſt illum vero nulli) detexerat. Idem, qui variis modis ſanavit, & per miniſtros ſanare ſuos juſſit, diverſimode etiam percuſſit populi ſui hoſtes; Sic in Caſtris Aſſyriorum unica nocte unicus Angelus necuit centum octoginta quinque millia militum. Non diſſimilis ſtrages facta in Primogenitis Ægypti Exodi cap. 13. v. 15. ut Joſua cladem inferret magis cruentam Sol & Luna ſupernaturaliter ſubſiſtere jubebantur. Joſuæ cap. 10. v. 12. Per ſolum Davidem mediante Goliatho cæſo, fugabantur Philiſtæi 1. Sam. cap. 17. v. 49. & 51. Mediante calliditate Judithæ & per mortem Holofernis exercitus totus fugabatur Aſſyriorum, Libr. Judith. cap. 13. Sæpius obviam ire hoſtibus & pugnare juſſit omnem exercitum Israëliticum; aliquando vero ſelegit ſaltem aliquot centum, uti videre eſt Libro Judicum cap. 7. v. 7. Non minus variis ſane modis diſtribuit ſua dona idem Deus ſuis miniſtris: tam facile enim potuiſſet Moyſi linguæ balbutientis difficultatem prætendenti, Exodi cap. 4. v. 10. hoc vitium corrigere, ac Apoſtolos docuit linguis incognitis & peregrinis loqui, uti pateſcit Actor. cap. 2. v. 6.

Ex dictis abunde clareſcere Judico infinitam potentiam Divinam non debere adeo reſtringi, quaſi unico ſaltem remedio nobis opitulari velit, aut poſſit, ſed potius eandem modis innumeris ſanitati ac ſaluti humanæ invigilare pro gratioſo ſuo beneplacito.

Superſunt adhuc variæ rationes, præcipue Galenicorum & Philoſophorum, non exſuccæ quidem, nec omnino enerves; Cum autem illi viri clariſſimi in Chymia practica non ſint verſati, ſed dicta ratiocinia fundarint ſuper falſa hypotheſi, nimirum veram & genuinam Tincturæ Noſtræ materiam ignorantes, dato hoc uno abſurdo, ſucceſſive ſequuntur plura, ut proinde contra principia negantes, nec intelligentes non ſit diſputandum: cum labores chymicos ulna philoſophica ſpeculativa & theoretica emetiri non ſimul conſiderata ipſa chymicorum praxi, ſit abſurdum. Medicina enim & ejusdem filia chymia, duobus incedit cruribus, Ratione & Experientia; adeoque dicta ratiocinia brevitatis ſtudio hic lubens prætereo.

Progrederer nunc, remotis contradicentium argumentis, ad ulteriorem ſcopi mei dilucidationem & Tincturæ Univerſalis exiſtentiæ demonſtrationem. Verum acerrimus ſeſe adhuc offert Alchymico Maſtix, Antagoniſta, ſpecioſarum objectionum armatura formidabilis; hactenus omnibus ipſi contrarium ſentientibus ſolo fere nomine horribilis: KIRCHERUS, ille eſt, ATHANASIUS, dico, KIRCHERUS, qui

nomen, quo in Sacro Baptiſmate fuit inſignitus, ab immortalitate, fruſtra ſibi eſſe impoſitum, neutiquam paſſus eſt.

Quantum enim lucis laborioſa ſua dexteritate & raro ingenii acumine accenderit pluribus ſcientiis currente hoc ſeculo, novit non tam noſtra Europa, quam integer Orbis. Ille uti plurima alia, ita etiam phyſicam concernentia accurate ruminavit, & ſubtili philoſophia ventilavit, uti pateſcit, tum e variis ejusdem ſcriptis, tum præcipue e Mundo ſubterraneo. Ibi, Tomo ſecundo, in fodinas metallicas deſcendens, poſtea quoque ingreditur chymicorum laboratoria, aggrediturque multifarie Chymiam Practicam; in ſpecie vero Libri 2. Sectione 1. 2. 3. 4. &c. in Alchymiam vehementer invehitur, ac Lapidis Philoſophici realem exiſtentiam ſimpliciſſime negat, metallorumque transmutationem omnibus modis impugnat. Quamvis enim primo placidum ſeſe rerum Alchymicarum Ventilatorem promittat, dum Sect. 2. Cap. 1. pag. m. 150. ita diſſerit: *Ego quid ſentiam, eo, quo par eſt candore, aperiam. Quod dum facio, non cum Pſeudochymicaſtris, rudi & illiterato hominum genere, ſed cum Philoſophis mihi negotium eſſe, ſibi Lector perſuadeat.* Et ibidem paulo inferius: *Nos media incedentes via, neque chryſopœiæ impoſſibilitatem, neque etiam eo modo, id fieri, quo Alchymiſtæ illud produci poſſe exiſtimant, aſſerimus.* Attamen in ſequentibus Capitibus, priorum dictorum quaſi oblitus, bile ſibi commota, non contra ſolos Pſeudochymicaſtros inſurgit; ſed in genere pro plenarie annihilanda Alchymiæ poſſibilitate, ſemper & ubique omnes movet lapides, ejusdemque Cultores vocitat Impoſtores, Agyrtas, Sceleſtos, Maleferiatos, & ut paucis omnia, impietatis & improbitatis eos incuſat.

Proinde non immerito irritatus quidam ingenuus Artis filius, *Salomonem de Blauenſtein* ſe ſe nominat, *in interpellatione pro Lapide Philoſophorum*; ut & *Johannes Zwoelfferus in Mantiſſa Spagyrica Pharmacop. Regiæ adnexa Part. I. Cap. I. pag. m.* 324. *& ſequ.* cum aliis emiſſa negationum ſpicula in ſinum ipſi retorſerunt. Et quamvis hactenus neque *Kircherus* ipſe, neque alius, quantum mihi quidem conſtat, horum reſponſionibus ulteriori contradictione ſeſe opponere, fuerit auſus; nihilominus placet, hisce nonnulla addere, neutiquam quidem litigandi, multo minus Virum ſummum calumniandi animo; tanta enim Illius ſunt merita in rem literariam, & in ſpecie quoque in illam Philoſophiæ partem, quæ ad Phyſicam, & Medicinæ fundamenta ſpectat, ut, quamdiu Orbis erit, ille jure merito *Athanaſius* fuerit nominandus; Sed ſaltem pro veritate magis magisque elicienda, difficilibus materiæ hujus intricatæ nodis ſolvendis, & pro ſal-

vando

vando antiquo chymiæ honore. Cum Kircherus inter Antagoniſtas potior ſit, quam decies mille aliorum, ut Iſraëlitici populi verba de Davide mutuer, & ipſe e pluribus ſerio collegerit, clarius diduxerit atque amplificaverit argumenta contraria.

Primo itaque dico: Orbi literato eſt notiſſimum, ex hujus Viri incomparabilis Cerebro prodiviſſe plura ſcripta Philoſophico-Theoretica lucernam olentia, quam ex Equo Trajano Viros callidos armatosque; tanta enim hæc ſunt numero, tanta ſunt pondere, ut unius hominis ingenium fere non ſufficiat huic oneri ferendo. (Nihil dicam de pluribus gravioribus, quæ procul dubio ſeveræ Ordinis leges in rebus Theologicis ipſum præſtare juſſerint; & quantum temporis ſibi ſumſerint ſacra Officia.)

Stante hoc, huic Operationibus Chymicis manum decenter admovere non licuiſſe, neque in Chymia practica adeo verſatum eſſe potuiſſe, neque neceſſariam Autorum talium Lectionem ipſi fuiſſe familiarem: prout Scripta ejusdem ſuperius adducta de Alchymia, abunde illud demonſtrant, & ipſa hoc dubium ſolvunt, v. g. dum ex *Arnoldo Villa Novano*, item e *Bernhardo Treviſano* duas facit perſonas, nominibus & cognominibus eorum aliquoties interponendo alios Autores; cum tamen Chymia unum ſaltem Arnoldum Villanovanum & unum Bernhardum Treviſanum noverit.

Propterea quamvis ille Vir ſummus in diſciplinis Theoreticis & ſpeculativis, invidia ipſa etiam teſte ſupremum fere adſcenderit, ſcientiæ culmen, neutiquam tamen inde ſequitur, eundem quoque in practicis, præcipue in hac extraordinarie ardua deciſivam poſſe ferre ſententiam; Cum hæc toto cœlo ac tota terra differant, & curioſa laboratoriorum Chymicorum inventa non obediant menſuræ ad ulnam philoſophicam; ut nihil dicam de immiſſione falcis in alienam meſſem, vel quod ne Sutor ultra crepidam.

II. Inter Kircheriana argumenta hoc videtur præ reliquis plus roboris præ ſe ferre: *E fundamentis*, inquit ille, *philoſophicis firmiſſime conſtat, nullam ſpeciem poſſe mutari in aliam, v. g. homo non poteſt degenerare in Bovem, Bos in caprum, Gallus in turdum, Carpio in lucium, &c. Ergo nec Cuprum, nec mercurius, nec aliæ metallorum ſpecies, utpote jamdum perfectæ poterunt mutari in Aurum & Argentum.*

Sed reſpondeo: Concedendo quidem, ſpecies animalium & ſimilium ſumme perfectorum neutiquam poſſe converti in aliam; hæc tamen ad alia omnia ſe ſe minime extendi patiuntur. Transmutatio-

nem

nem enim in Animali & Vegetabili regno eſſe poſſibilem, plurima apud varios Autores evincunt exempla; ſufficiat mihi vero ſolus *Kircherus* ipſe, qui *Tomo 2. Mundi ſubterranei Lib. 12. de Panſpermia rerum* in Sectionis primæ & ſecundæ Capitibus, hinc inde ample diſſerit, quomodo e Semine Univerſali, & mirifica plaſticæ virtutis efficacia naſcantur & mutentur alia in alia. v. g. Bombyx, aliæque Erucæ in papiliones &c. imo quod majus, quomodo regnorum etiam diverſitas hanc inverſionem admittat, v. g. quod inſecta tranſeant in herbas & hæ in inſecta, & quidem vel per opus Naturæ, vel per opus Artis. In ſpecie vero Sectionis 3. Capite IV. de Emphytevtica, vel inſititia Arte (propffen) p. m. 385. in hæc erumpit verba: *Sunt res nonnullæ adeo e Naturæ quadam ſimilitudine ſibi amicæ, ita conſonæ, ut mox una alteri applicita in mutuum conſortium ruant, & ſe ſe miris amicitiæ legibus amplexentur.* Hucusque Kircherus.

Norunt enim Dendrophili, arborum fere omnium, imo etiam Sylveſtrium naturam obedire artis expellentis furcæ, nec uſpiam recurrere; (contra dicterii Horatiani probatam in aliis veritatem) ſed aſſumere ſurculi inſiti qualitates, etiamſi non unius (v. g. pyri in pyrum) ſed diverſæ ſint ſpeciei, v. g. mali ſurculus commode & curioſe inſeritur in cydonium, pyrus in morum, &c. Idem in opere allegato Lib. VIII. Sect. 2. itidem uti late, ita accurate deſcribit homines, Bruta, arbores, plantas, aliaque innumera, mediante ſucco lapidifico, vel facultate petrifica in lapides eſſe converſos, vel petrefactos, (*c*) quorum exempla ubivis jam ſunt obvia. Ibidem Lib. X. Sect. 4. Cap. 6. inquit: *Conſentiunt metalla, cum variis lapidibus.* Et paulo poſt: *Cuncta metalla argentum vivum in amicitiam receperunt, quia lubentiſſime omnibus copulatur.* Et ulterius: *Imo inter ipſa metalla Sympathia & Antipathia obſervatur.*

Si igitur jam prolata Kircheriana veritati ſunt conſona, uti ſane ſunt, quotidianæ experientiæ & Autopſiæ teſtimonio; nimirum, ſi inſecta jamdum perfecta mutantur in Volatilia, ſi inſecta degenerant in herbas & vice verſa: ſi ſurculus inſitus arbori perfectæ ſuas innatas ſuffuratur conſtanter qualitates: ſi res perfectæ quælibet e triplici regno ad petrificationem ſunt aptæ: ſi inter metalla obſervatur Sympathia, &c. Sane non video, quomodo rebus metallicis deneganda ſit transmutationis poſſibilitas. Cum metalla homogeneis conſtent principiis, ac inter ſe ſe differant ſaltem gradu, vel ſecundum majus ac minus, proinde jure hæreditariæ analogiæ unum alteri, præcipue ab arte adjutum, radios ſuos illuſtriores poterit communicare, ut ita dicta metallorum imperfectorum transmutatio non

tam

tam proprie ſit vocanda vera transmutatio, ſed potius maturatio & exaltatio. Quamvis enim Anima & Vita metallis & mineralibus proprie non competat, veluti regno Animali & Vegetabili; tamen uti nec viva, ita quoque nec mortua appellari poterunt, ceu loquitur aquilizans *Sperlingius* Synops. Phyſicæ Lib. 6. Cap. IV. Sed analogum, & inter hæc quaſi medium poſſident; cum creſcant, augeantur, &c.

Sed mei non eſt ſcopi alibi dicta hîc repetere, uti aliquoties monui: cum igitur jamdum huic controverſiæ a variis ſit ſatisfactum, adeoque ad eosdem lectorem remitto. In ſpecie vero ad *Job. Tackii Chryſogoniam animalem*, ad *Petri Johan. Fabri, Panchymici* Lib. 3. Cap. 5. & 6. ad *Beccheri Phyſicam ſubterraneam*, *ejusque ſupplementum*.

Verum quid moleſtus ſum Benevolo Lectori rationibus adducendis vel has apud alios quærendis, cum pro me militet pluribus jam nota Autopſia, & rerum omnium Magiſtra Experientia? Unicum enim ſolidum experimentum practicum, plus habet ponderis, quam centum rationes philoſophicæ ſpeculativæ, licet acutiſſimæ, propterea etiam Chymiatri non inconcinne audiunt Philoſophi per ignem.

III. Ut impiam, mendacem, & abſurdam oſtendat Alchymiam Kircherus, Lib. II. Sect. 2. Cap. 5. ulterius ita contra Tincturæ augmentationem inſurgit (ut ampla ejus verba contraham.)

Juxta Alchymiſtarum aſſertiones pars una lapidis prima vice tingere vel imperfecti metalli mutare poteſt centum partes; ſi denuo ſolvas vel imbibas, convertit mille partes; tertia vice tranſit in decies mille; quartum vero in centies mille partes; & ſic porro, ſi adſcenderis in duodecima projectione poteris convertere centum milliones millionum; aut ſi oceanus conſiſteret loco aquæ e mercurio, poſſet exaltari in aurum & argentum; vel totus etiam mundus auro poſſet obduci. Exinde concludit, ipſos pueros, mulierculas & infimam plebem ſtulta maleferiatorum Alchymiſtarum machinamenta, promiſſa & nugamenta videre & irridere poſſe.

Verum enim vero, fateor quidem, me teſtem autopten non eſſe hujuscemodi multiplicationis, nec ex ore aliorum de hac mihi ſingularia multa conſtare; tamen cum poſſibilitatem & exiſtentiam Tincturæ Univerſalis credere cogamur viris variis probatæ Pietatis, probatæ Eruditionis, veluti mox ſecutura evincent, in medio relinquo, aliorumque arbitrio trado, an dicta multiplicatio pro vera ſit habenda nec ne: Tres tamen e Neotericis (de Veteribus pluribus taceo) adduco teſtes, in qualis Trigæ ore veritatem conſiſtere, alias

ab

ab omnibus conceditur: nimirum *Henric. Kunrath.* in *Amphitheatr. p. m.* 206. *Autorem Tumbæ Semiramidis* c. 9. p. m. 94. & *Joh. Frid. Helvetium*, qui Tractatu Vitulus aureus inſignito, circa finem hiſtoriæ refert, *ſe ſe poſt novam additionem Lunæ ad Aurum nuper mutatum infuſione aliquoties expertum eſſe hancce multiplicationem.* Quibus hoc ſaltem addo, Kircherum hoc in loco concludere magis Philoſophice, quam Chriſtiane, bile procul dubio ſpiritibus Capitis præter ſolitum imperante.

Omniſcius enim Cardiognoſtes nulli hoc Magnale concredit, qui avaritiam, arrogantiam, ſimilesque nefarios abuſus, pro fine laborum ſuorum habet, aut qui mundum vult inaurare, aureosque montes indebili ſuo Cerebello exſtruit; ſed ſaltem iis, qui tacita animi tranquillitate, & pia devotione hoc ſecretum Divino Honori, animæ propriæ ſaluti, & proximi emolumento deſtinant. Aut ſi eo ipſo quacunque ratione fuerit potitus improbus quiſpiam, non tamen diu eum id poſſidere patitur Divina Majeſtas, veluti paulo inferius amplius dilucidabitur. Proinde hujus argumenti vanitatem abſurdam, Antagoniſtis Noſtris in ſinum refundimus; cum illud ideo ſua ſponte corruat & evaneſcat, & ut intentiones ab impietate & improbitate oriundas prius removeant, antequam mentem, crenam aut manum admoveant operibus chymicis Tincturæ Noſtræ, amice & Chriſtiane rogitamus.

IV. Cæterum, quæ producit multiplicia & varia varie congeſta ratiocinia, nimirum, quod materiam & operationes occultent & deſcribant variis nominibus alienis, & difficilibus allegoriis, hoc vitio adeo illis, quibuscunque ita libuerit, non erit vertendum; Si enim Hieroglyphicis, & variis metaphoricis locutionibus uti licet in aliis ſcientiis, quomodo in hac ſummi momenti arte poterit eſſe adeo abſurdum, & ſarcaſmo dignum? Quod item diſſentiant plurimum Alchymici ratione Nominis, ratione materiæ elaborandæ, ratione modi præparandi, hæc poſſibilitatem tamen non infringunt, ſed difficultatem laborum ſaltem arguunt, quam ambabus manibus concedo.

Ne una quidem facile poterit mihi nominari diſciplina, quæ non ſcateat varie contrariantium & diſceptantium diſſidiis. Do inſtantiam: In Religione Chriſtiana maximus eſt inter Theologos de variis diſſenſus, minime tamen inde concludere licet, ergo non datur Chriſtianismus? vel ut ſpecialius loquar de Theologia Romano-Catholicorum, Kircherus vix, & ne vix quidem mihi concedet hoc argumentum. Inter Franciſcanorum & Dominicanorum Ordines irreconci-

conciliabile diu vixit diſſidium, plures item alii ordines non adeo conſentiunt Societati Jeſu, neque hæc illis: Sorbona item Pariſienſis ſæpius contradicit Decretis Papalibus; Ergo non datur Eccleſia Romano-Catholica.

V. Nec vehementius nos feriunt exempla adducta, quod nonnulli pro genuinis Tincturæ poſſeſſoribus olim habiti, fuerint homines impii, ſcelerati, impoſtores. Præter illud enim, quod producta teſtimonia pleraque quaſi invite & coacte ſuum deponat ſymbolum, aut ſint ab invidis propoſita, aut inſufficientia; etiam in contrarium plures & firmiores poſſunt prodire teſtes, non ſolum e Veteribus, ſed & præcipue e noſtro ſeculo probatæ fidei Viri. Adeoque demirari ſatis nequeo, quomodo Vir hic vere religioſus (uti ejusdem Converſatio, & Scripta teſtatum eunt) & philoſophus conſummatæ eruditionis paſſus fuerit, ut in hac re tantus bilis fervor in ſanguinem ipſius ſe effuderit, & dum in ſpecie de abuſu valuerit, debuerit loqui, in genere ſumme venenata injuriarum ſpicula emiſerit, contra hoc ſtudium, quod excoluerunt, ſuosque Medicos & Chymicos excolere juſſerunt, & adhuc jubent plurimi Imperatores, Reges, Principes, & alii, tam vere pii ac probi, quam vere literati.

Dolemus, & miram quantum ipſi dolemus, infelicem Divinæ Artis ſortem, quod tantus numerus muſcarum & papilionum vagantium, ſplendorem ſolaris hujus luminis radiantem turbaverit, & adhuc turbet! Sed veluti proprias comburunt ipſi alas, & poſtea ipſis ridiculum murem enixis de partu ſuo dolendum eſt: ita ſtolidi horum conatus & abominanda fraudulentia neutiquam poterit converti in Viros bonos omnes, pro candore ſuo ac Talenti concrediti pondere, Naturalia rimantes-mirantes.

A particulari enim ad univerſale inſtitutam argumentationem nullo valore gaudere, novit optime Vir acutiſſimus. Idem enim vix ſubſcribet huic concluſioni: Jeſuitæ Anno 1594. ob malos mores Gallia, & Anno 1606. Dominio Reipublicæ Venetæ omnes ſunt expulſi: Ergo Jeſuitæ quilibet ſunt impii, ſceleſti, fraudulenti. *Petrus Jarrichius*, Jeſuitici Ordinis olim Miles veteranus peculiari Tractatu Anno 1665. & 1676. impreſſo in 12mo., deſcribit ſpecialibus exemplis & additis nominibus majora inter homines cognita fere ſcelera eſſe perpetrata in Provincia Guienna Galliæ in tribus Societatis Jeſu Collegiis ibi nominatis. An igitur Jeſuitæ omnes ſunt impii, ſceleſti, fraudulenti?

Ventilatis nunc diſſentientium opinionibus & rationibus progredior ad demonſtrandam Tincturæ poſſibilitatem. Cum autem antea dixerim, Medicinam ejusque filiam, Pyrotechniam, duobus inniti fulcris, ratione, nimirum, & experientia, propterea curioſo eadem oſtendere Lectori, ante omnia erit commodum & conſultum.

Rationem primo quod attinet, cum *Tinctura Univerſalis* præparetur e rebus primis & univerſalibus, ac principiis rerum omnium Macrocoſmicis generalibus, Cœli atque Aſtrorum influentia imprægnatis, e quarum diſpoſitione vegetatio & interitus, Vita & mors Macrocoſmi ac omnium ſublunarium dependet, ſequitur omnino, eandem per genuinas Artis Enchiriſes curioſe tractatam ac ſecreta Chymiatri dexteritate, diuturna patientia ac ſudore reſolutam, circulatam, atque ad perfectionem deductam, modo etiam univerſali, aliisque remediis majore, integram corporum noſtrorum ſanitatem conſervare, morbis ſe ſe opponere, iisque ſufficientem ſuppeditare medelam; nec minus metallorum imperfectorum exaltationem & maturationem præſtare poſſe, idque ob ſingularem Harmoniam atque ſympathicam Analogiam, quam Spiritus Vitales Noſtri cum Tinctura Univerſali, & ejusdem materia ex qua mutuo inter ſe habent.

Quamdiu enim ſtabit, (veluti a prima Creatione firma ſtetit) nec infringi poterit Analogia & Conſenſus Cœleſtium & ſublunarium, quamdiu *ſuperius erit ſicut inferius*, & *inferius ſicuti ſuperius*; quamdiu harmonia Macro- & Microcoſmi durabit inconcuſſa tamdiu etiam, invita Invidia, utiliſſimis veritatis ſuæ radiis corruſcabit Tinctura Noſtra, ac negantium, dubitantiumque nubeculas diſſipabit. Cum multi Viri quoque ſumme ſagaces, tam difficulter ſibi perſuaderi patiantur, quod ægritudines omnes unico remedio ſint ſanabiles, ii fortaſſis animum eo facilius mutabunt, ſi certo reſpectu præſupponam Tincturæ Univerſali morbum univerſalem, nimirum ſpirituum ſanguinis impuritatem. Pro horum enim laudabili vel vitioſa diſpoſitione Maſſa ſanguinea aut decenter, aut illegitime abſolvit & perficit ſuum Circulum, partibusque Corporis ſingulis neceſſaria advehit, a quo dependet nobis ſanitas, aut morbus, Vita, aut mors; Quemadmodum enim e Cornu Cervi paro remedium ſudoriferum, e colocynthide purgans, e Manna laxans, ex Abſinthio ſtomachicum, e Caſtoreo nervinum, &c. juxta qualitates unicuique rei medicamentoſæ a Protoplaſta miraculoſe impreſſas; ita quoque e Tincturæ materia legitime tractata incomparabile affunditur Oleum lampadi Ignis Vitalis, quo ſpiritus Cordis ſuppreſſi in actum ducuntur, recenter illu-

ſtrantur

ſtrantur & recreantur ; illuſtrati vero & recreati Virtute balſamica Maſſam ſanguineam imbuunt ac renovant, hinc accepto neceſſario pabulo, quodlibet membrum rite ſuo fungitur officio pro conſervanda Microcoſmi Oeconomia, internæ partium diſſenſiones præcaventur, aut præſentes abrogantur.

Quemadmodum Vinum, unum idemque, uno eodemque modo, tempore, ac doſi exceſſive & largius hauſtum pro uniuscujusque potatoris complexione, & Archæi diſpoſitione ſpiritus magis movet & exaltat ; ita ut *Sempronius* reddatur iracundus, imo furibundus, ut vel ipſi Turcarum Imperatori mortem minetur ; *Cajus* vero fiat timidus & Ove placidior, *Mevius* imbibat ſomnolentiam & ſtupiditatem, *Titius* in Venerem ruens ſit Taurus; *Sejus* canat ac ſaltet lætitia plenus ; *Sulpitius* vero triſtis lacrymetur. &c.

Ac veluti idem Vinum in dolio per legitimam culturam & decentem additionem modicæ Vini particulæ, utpote ſibi analogæ, pluribus annis in ſtatu ſuo naturali, imo melioreſcente poteſt ſuſtentari; & ſi in vappam ex incuria, aliisque circumſtantiis vult degenerare, per eandem Oenoſophi periti manum & induſtriam priſtinus illi redditur vigor, ut deſideratum ſuum C. O. S. cuilibet oſtendere valeat. Plura huc pertinentia videantur circa finem Capitis præcedentis.

Eodem modo Tinctura Univerſalis in regno vegetabili & minerali ſuas exſerit, & communicat vires creatis omnibus, nutrimentum, depurationem, & vigorem ipſis ſubminiſtrans.

Verum, cur aucupo Lectoris aſſenſum auxilio rationum, cum pro me militet rerum omnium magiſtra experientia? Cur oculorum aciem fatigo in inquirendis Nodi hujus Gordii extremitatibus, cum pro hoc ſolvendo & extricando in promtu ſit Alexandri Magni gladius ; cum publice atteſtetur ipſiſſima, cui nemo ſanorum refragatur, Autopſia ? Ne autem Curioſo Lectori tenuem meam opinionem obtrudere arguar, prodeant e pluribus nonnulli probatæ autoritatis Viri pro me locuturi ; quorum fide noſtra verbis digniſſimis pro firmiore declaratione ſubjungam poſtea variorum quoque hiſtorias. Et cum Antiquorum alias ſemper reverenter habitorum teſtimonia quibusdam videantur ſuſpecta (quaſi cariem aut ſitum contraheret immutabilis & firmiſſima veritas) de his jam non controvertam, cum copia horum larga & varietas mihi ſuppetat ; ſed ſepoſitis illis ſubſtituam ſeculi noſtri Autores, quorum glorioſa Fama indelebilis, atteſtatumque irreprehenſibile in recenti nobis memoria adhuc hæret; Et quidem non modo Chymicos; ſed & Philoſophos ſpeculativos,

lativos, Medicos Galenicos; imo Theologos & Politicos. Ubi prius moneo, unius vel alterius quidem verba ſaltem loqui de Metallorum transmutatione; ſenſum vero contextus indigitare Viam Univerſalem; cum inſuper e via aliqua particulari, quam vocant, tam arduus & dives effectus minime ſit ſperandus; nec non, quod jucundior ſit ſermo inſtitutus de confectione auri, quam de aliqua re medicamentoſa: poterunt autem conſuli poſt varios alios, prolixe de operationibus medicinalibus diſſerentes Helmontius, Joh. Tackius, &c.

Inter teſtes Primus eſto *Sperlingius*, Philoſophiæ ſpeculativæ Lumen, qui Inſtitutionum Phyſicar. Lib. 6. cap. 7. Quæſt. 1. p. m. 1096. ita hac de re effatur: *Reclamare experientiæ, & imperitorum confidere ratiunculis, nefas eſt: nulla autoritas valet ſcribentibus adverſus experimenta: experimenta autem talia paſſim reperire eſt. Et quamvis ſit res plena difficultatum & periculorum, tamen difficilia pulcra. Si quæ fraudes etiam hic occurrant, non arti, ſed impoſtoribus adſcribantur.* Idem ſequ. quæſt. 2. p. m. 1100. *Senſum dimittere in iis, quæ ſenſibus manifeſta ſunt, & rationem quærere, infirmitatem intellectus eſſe*, merito ſtatuit cum Ariſtotele Lib. 8. Phyſicor.

II. Coruſcans Climatis ſeptentrionalis Phosphorus *Caſpar Bartholinus* Phyſic. Special. part. 4. c. 2. p. m. 356. *Metalla varia*, inquit, *in aurum mutari poſſe, miror peritiores negare; cum oculatus ipſe teſtis eſſe poſſim, & plures experientiæ apud varios occurrant, cum ridiculæ ſint objectiones dubitantium contra ſenſus & experientiam.*

III. *Martinus Delrio* (celeberrimus Societatis Kircherianæ ſocius) Diſquiſ. Magicar. Libr. 1. cap. 5. Quæſtion. 1. Section. 4. p. m. 7. ſic loquitur. *Quia tot hac de re ſunt narrationes diverſorum, videtur procacis animi & perfrictæ frontis, nulli credere. & pag. ſequent. multos ego commemoravi, qui non chymici tantum, ſed & Medici & Juris Conſulti graviſſimi, teſtantur, rem ipſam factam exhibuiſſe. Et hodie nominare poſſem quos novi, Viros graves, in dignitate poſitos, & Deum timentes, qui de ſe ipſis idem confitentur. Quos mentiri, vel impoſturis, aut præſtigiis, aut dæmoniacis artibus uti, nunquam in animum meum poſſim inducere, & ſint injurioſi Viris honeſtiſſimis, qui queant id ſuſpicari.* Quid ad hæc Confratris Tui Doctiſſimi & celeberrimi verba reponis, Clariſſime Kirchere?

IV. *Robertus Fluddius* Tract. de ſummo Bono p. m. 28. ita loqui amat: Quæ major eſt deliberatio & vecordia, quam eam declinare & pro nihilo habere ſcientiam, in qua nil olfecerint, nec naturam, nec Naturæ Majeſtatem, nec proprietates agnoverint. An omnes fuere ſtulti, Viri eruditiſſimi, non ſolum plures Ethnici, ſed & Thomas Aquinas, Picus Mirandulanus, Rogerius Baco, Raimundus Lullius, Arnol-

Arnoldus Villanovanus, Jodocus Greverus, Baſilius Valentinus, Georgius Ripleus, Morienus, Bernhardus Treviſanus, Richardus Anglicus, Nortanus, &c.

V. Heinricus Salmuth, in Notis ad Guid. Pancirolli Nova Reperta, Libri II. Tit. 7. de Alchym. p. 147. Adeo clara veritatis hujus lux eſt, ut & ex ipſis Adverſariis aliqui eam non diffiteantur. Et paulo poſt:

Cur tot præſtantes Viri diverſarum gentium, tot tamque præclara de hac arte edidiſſent volumina? An in nugis ſuæ famæ & gloriæ præſidium quærebant? ſunt Ægyptii, ſunt Arabes, ſunt Chaldei, Germani, Hiſpani, Angli, &c. quos quis enumeret? Agricola Eorum & numerum & ſtudium admiratur, quamvis transmutationis Adverſarius. Et pag. 148. *Laurentius Ventura* Libr. de arte Chymica, gloriatur, ſe 250. Volumina Chymica in Nobilem Bibliothecam Heidelbergenſem Illuſtriſſimi Comitis Palatini intuliſſe, & præter illa adhuc quinquaginta alia habere. In judiciis, ubi de cenſu, de capite, de fama agitur, duobus aut tribus teſtibus credendum eſt; & ita difficiles ſumus erga viros tot doctiſſimos, tot integerrimos, quorum ſcripta proſtant propter paucorum ratiunculas, quibus toties reſponſum eſt. Plura & ampliora videantur apud ipſum Autorem.

VI. *Cornelius Martini* Philoſophiæ Profeſſor in Academia Julia, in Analyſi Logica cap. 8. inquit: Ego de hujus Artis Veritate aut falſitate nihil apud vos commentabor, neque eam aſſerere volo; neque tamen tot tamque præſtantibus Viris (inter quos ſunt doctiſſimi Philoſophi, Juris Conſulti, Medici, etiam Theologi, nec non Viri Principes, qui libris editis affirmant, ſe oculis ſuis vidiſſe, & manibus non tantum palpaſſe, ſed & confeciſſe transmutationem unius metalli in aliud) ego fidem derogare debeo. Hoc enim mihi videtur eſſe imprudentis, non Philoſophiæ ſtudioſi.

VII. *Franc. Oswald. Gremſ.* Arbor. integr. & ruin. hominis Libr. 3. cap. 3. p. m. 491. Nihil intereſt, inquit, licet nonnulli ſint, qui dicant ſe nullos vidiſſe, qui aurum e plumbo, & medicinam Univerſalem confecerint. Nam ii ipſi, dum optant videre ſine labore, ſine merito, Arcanorum ſcientia intuitiva digni non ſunt; Unde Deo & Artifici nihil derogant, quamvis non credant. Uti enim veriſſimum eſt, quod ipſe Helmontius fatetur, inter centum vel mille artifices vix unum eſſe, qui Arcanis patiatur, ita nec mirum eſt, quod rariſſima hæc Avis ob oculos noctuarum haud circum volitet. Sed permittente Deo condignæ ſunt Arcanorum revelationes

 ſtuden-

ſtudentibus, laborantibus, & Deum timentibus. Dii enim laboribus vendunt omnia.

VIII. *Joh. Schrœderus*, vel ob ſolam elaborationem Pharmacopœiæ Medico Chymicæ æterna fama & vita æterna digniſſimus, in diverſis dicti operis locis accurate de Tincturæ Univerſalis Materia & præparatione diſſerit: adducam unicum teſtimonium e Libri 3. cap. 19. p. m. 361. ubi de vero & genuino *Auro Potabili* (cujus præparationem capite ſexto proponam) ita ſentit: Illam metallorum ſeparationem contra multorum experientias hinc inde annotatas impoſſibilem ſtatuere, pertinacium potius eſt, quam virorum cordatorum: quin imo non modo cuidam ex amicis meis; ſed & mihi ſors favit, ut oleum rubicundiſſimum aquæ ſupernatans ex auro elicuerimus. Et pag. 366. jam prolata verba denuo recitat, addens: Id quod repeto, ne de certitudine dubites.

IX. Quamvis Viri hujus ingenui Autoritas apud omnes, quibus Ejusdem vita & ſcripta cognita ſunt, invidorum & contradicentium negativam facile elidat & eludat, nihilominus ex ſuperfluo addo, *Sereniſſimum quendam Haſſiæ Landgravium e Domo Homburgica* mihi aſſeveraſſe, quod dictum *Auri Oleum Schrœderianum* Ipſe præparari curaverit, & bono effectu uſus eodem fuerit; Hoc ſimul addens, præparationem dicti olei requirere manum Pyrotechni accuratam, & indefeſſam, & parciſſimam ſaltem portiunculam longo labore obtineri potuiſſe.

X. Modo dictis conſona affert: *Petrus Borellus* Obſervat. Medico-Phyſic. Cent. I. Obſervat. 6. Multis, inquiens, exantlatis laboribus & vigiliis in arcanis naturæ perquirendis ſecretum pro auro ſolvendo tandem nactus ſum; id eſt menſtruum benignum amice aurum intra paucas horas ſolvens, & ſine fumo, imo ſine igne quoque diſſolutum poteſt ad naturam ſalis & olei reduci: Hujus effectus miraculoſi vires in morbis pertinacibus mirati ſumus, &c. Quamvis quidem Tinctura Univerſalis & Aurum in verum oleum modo inferius dicendo reſolutum, non ſunt plane unum & idem, tamen veritatis ſalvandæ gratia horum teſtimonia hic conjungo, quod ambo prodeant e Via univerſali, ambo in re medicamentoſa incomparabilis ſint virtutis, & ambo æqualiter a non expertis & invidis exiſtere negentur.

XI. *Heinr. Kunrath.* in Amphitheatro Introduct. in Figur. 3. Theſ. I. p. m. 291. ita teſtatur: Lapidem Philoſophorum Experientia, rerum omnium etiam ſola ſufficiens Magiſtra infallibiliter atteſtatur, cui refragari, nonne eſſet plusquam ſtultum? Hunc ab aliis tamen præpa-

præparatum virtuoſe efficacem vidit Pontifex Romanus, Cæſarea Majeſtas, viderunt & Reges Orbis terrarum non pauci, viderunt Romani Imperii Electores nonnulli, viderunt Principes, Comites, Barones, Nobiles, Doctores, &c. ſciens loquor: Hos omnes cito teſtes: Tu Phyſico-Chymico-Maſtix eos interroga in ſubſidium veritatis, veritatis amantes, rem ita ſe habere teſtabuntur libentes.

Quoniam itaque ob modo allegatam tantorum teſtium Autoritatem quaſi auribus percipio aſſenſum Virorum ingenuorum, & video invidorum ruborem, pergo nunc ad ipſas aliquot Neotericorum relationes hiſtoricas.

I. Agmen ducat Philoſophus per ignem, id eſt, neque ſolis rationibus ſpeculativis, neque ſolis operationibus experimentalibus fidens, ſed ea prudenter uniens, *Helmontius*; hic tractatum in operibus ſuis, *Arbor vitæ* inſignitum, ita exorditur: Cogor credere, Lapidem aurificum & argentificum eſſe; quin diſtinctis vicibus manu mea unius grani pulveris ſuper aliquot mille grana Argenti vivi ferventis projectionem feci, adſtante multorum corona, noſtri omnium cum titillante admiratione. Negotium in igne ſucceſſit, prout libri promittunt. Et paulo poſt: Dabat mihi forte ſemigranum illius pulveris & inde unciæ novem & tres quadrantes Argenti vivi ſunt transmutatæ. Illud aurum autem mihi dedit Vir peregrinus, unius veſperi Amicus. Utcunque ergo Lapis Philoſophorum ſit revera in rerum natura, &c. Idem in Diſſertat. Vita æterna inſcripta, eadem confirmat: *Lapidem* Chryſopœiæ vidi aliquoties, meisque contrectavi manibus. Erat enim coloris, qualis croco in ſuo pulvere, ponderoſus tamen, & micans, inſtar vitri pulverati. Datus mihi fuit ſemel quadrans unius grani; Granum autem voco ſexageſimam partem unius Drachmæ. Hunc ergo quadrantem unius grani chartæ involutum, projeci ſuper uncias octo Argenti vivi fervidi in crucibulo, & confeſtim totum hydrargyrum cum aliquanto rumore, ſtetit a fluxu, congelatumque reſedit, inſtar offæ flavæ. Poſt fuſionem autem ejus flante folle repertæ fuere unciæ octo Auri puriſſimi, granis undecim minus. Itaque unicum granum illius pulveris transmutaſſet in Aurum optimum Argenti vivi partes 19186. Inter terrena ergo reperitur præfatus pulvis, quodammodo ſimilis, qui fere infinitum metallum impurum a nsmutat in Aurum optimum, ſibiq; uniendo, ab ærugine, rubigine, carie & morte defendit, ac velut immortale facit, &c. Similia fere repetit & inculcat *Tractatu*, quem inſcribit, *demonſtratur Theſis* p. m. 534

m. 534. Theſi 58. & *Tractatu Poteſtas medicaminum* Theſi 65. circa finem.

II. Helmontium ſequitur *Joh. Zvvœlfferus* Vir de re Medico-Chymico-Pharmaceutica egregie meritus. Hic in Mantiſſa ſpagyrica Pharmacopœiæ ſuæ Regiæ adnexa, Part. I. cap. 1. p. m. 328. ſeq. acutiſſimi alias Kircheri de Tinctura Univerſali incredulitatem nervoſe impugnans, vel potius expugnans, addit: Si tanti Viri reverentia apud Rever. P. Kircherum pondus non habeat, incredulus ſim, ſi plures adducam, quos poſſem & vellem. Tamen priusquam finem faciam, adjiciam e penu Auſtriaca, aut potius glorioſo ærario magnum & auguſtum Chyſopœiæ Tributum, quod olim ter felix Cæſarum, Ferdinandus III. Sanctiſſimæ memoriæ Princeps, perenni Gloria & fama ad Aram Apollinis ſuſpendit Trophæum: & eſt Numisma, conflatum Auro puriſſimo, minime ſophiſtico, cujus adcuratam delineationem æri inciſam ibi proponit. Uni illius faciei fuit impreſſa Effigies hominis, capite ſoli radios ſpargenti ſimilis, manu dextra Cytharam Apollinis, & ſiniſtra virgam ſerpentiferam Mercurii tenens, pedibus vero adnexas mercuriales alas gerens, cum inſcriptione: DIVINA METAMORPHOSIS, EXHIBITA PRAGÆ, XV. JANUAR. ANNO MDCXLVIII. IN PRÆSENTIA SAC. CÆS. MAIESTAT. FERDINAND. III. Altera vero facies oſtendebat verba ſequentia: RARIS HÆC UT HOMINIBUS NOTA EST RES, ITA RARO IN LUCEM PRODIT. LAUDETUR DEUS IN ÆTERNUM, QUI PARTEM INFINITÆ SUÆ SCIENTIÆ ABIECTISSIMIS SUIS CREATURIS COMMUNICAT.

Dictum Numisma, pergit Zwœlfferus, conſtat ex Auro, quod e vulgari Mercurio Vivo tinctum fuit, cujus Libras tres integras ipſe FERDINANDUS III. Imperator glorioſæ memoriæ manu propria in Libras duas & dimidiam Auri puri, beneficio unius grani Tincturæ Philoſophorum transmutavit. Fuiſſent quidem integræ tres Libræ Mercurii transmutatæ, niſi tingenda Mercurii maſſa ſemilibra illa proportionem Tincturæ ſuperaſſet. Neque hic locum habent infidæ multorum retorſiones, fuiſſe Magnum hunc Monarcham, ab impoſtore quopiam illicio quodam ineſcatum, ſuppoſito quopiam Auro ad majora aucupanda. Exulent procul indignæ ejusmodi næniæ Viro probroſæ; Cadere hoc in Principem tam circumſpectum, & ſeculi noſtri Salomonem non potuit, utpote qui technas, & mille gyros & anfractus ejusmodi tenebrionum & Pſeudo-Alchymicorum, ex aſſe perſpectos habuit, quibus obviavit, ut veritatem & Abdita

Natu-

Naturæ erueret. Quare huic veritati propugnandæ non immoror, ſed Lect. Ben. perpendere volo, ac ſubducere calculum, facta hypotheſi, quod ſi unum granum Libras duas cum dimidia tangat, hæ autem duæ Libræ cum dimidia contineant grana 16470. quod tum quoque una pars Tincturæ totidem hoc eſt 16470. Mercurii tingendo transmutet.

Addo Confirmationis loco, quod hæc metamorphoſis & metallorum transmutatio jam temporibus Magni RUDOLPHI ſæpius fuit celebrata; quod in Germania notiſſimum. Unde FERDINANDUS III. hoc Numiſma in tantum redamavit, ut illud conſueto Aulæ Theſauro Magnifico adjungi paſſus non fuerit; ſed ſecretiſſimo & conclavis ſui ſcriniolo incluſerit, nullo aut paucis arbitris. Unde accidit, quod, cum recentiſſime ego apud Sacratiſſimam Majeſtatem LEOPOLDUM I. per Aulicum Theſaurarium *Nobiliſſ. Dn. Joh. Ladner* hujus rariſſimi Numiſmatis, ac vere Theſauri mentionem feciſſem, neque Sacratiſſimus Cæſar, neque Theſaurarius hujus notitiam, ac copiam habere perhibuerint, usque dum, me humillime inſtante, Clementiſſimus Imperator, in ſecretiſſima arcula reperit, mihique ad 14. dierum ſpatium ut Domi meæ æri incidendum cuſtodirem, clementiſſime conceſſit. Exhibuit autem hoc granum Tincturæ FERDINANDO III. Vir quidam Nobilis, cognomento, *Richthauſen*, quem deinde ad Baronis faſtigium erexit proprio motu Sacra Majeſtas, & *DOMINI de CHAOS* titulo inſignivit. Per hunc utpote Amicum olim ſingulariſſimum, & mihi unius & alterius Unciæ obrizi, & ex Mercurio tincti Auri copia obtigit; uti de facto tanquam pretioſum Theſaurum mihi ſervo & recondo. Hucusque Zwœlfferus.

Dictum Dominum de Chaos Tincturam non ipſum elaboraſſe, ſed aliunde accepiſſe conſtat.

III. Joh. TACKIUS, Archiater Haſſo-Darmſtadinus & Profeſſor Primarius in Academia Gieſſena in Chryſogon. Animali & Minerali p. 2. inter alia hæc profert: Multi Chryſogoniæ ſcientiam tanquam impoſſibilem, indigne & præter meritum calumniantur, contra virorum in Naturæ Myſteriis enutritorum Autopſiam, & manualem operationem absque omni fraude & impoſtura; Et pag. 3. Nam Divina Metamorphoſis Divo Imperatori FERDINANDO III. Pragæ 15. Januarii 1648. exhibita, hodieque Eminentiſſimi Electoris Moguntini Autopſia omnium fictas contra veritatem rationes plane convincunt & deſtruunt. Ibidem & pag. 4. poſt varia Exempla recentia adducta addit: Sufficiat memori illa recolere

 mente,

mente, quod Sereniſſimus Princeps ac Dominus meus ex liberali donatione Eminentiſſimi Electoris & Archi-Epiſcopi Moguntini adhuc in delitiis habeat Fruſtum Auri coram oculis Dn. Electoris factum. Qui enim tantorum Virorum & tot diverſarum Gentium conſenſui non credit, ille neque rationibus credet, neque vel ipſa experientia ſe victum fatebitur, dum ille ſibi ſoli complacens, nil, niſi quod ipſe ſcit & facit, rectum, juſtumque & Veritati conſonum profitebitur.

Et *Joh. Joachimus Beccherus* in Oedipo Chymico Tit. 7. p. 185. teſtatur idem: Tot extant, inquit, de Artis certitudine præclara argumenta, ut prorſus cœcum & inſipidum eſſe oporteat, qui ejus Veritatem neget; taceo reliquorum ſeculorum hiſtorias, quorum nullum eſt, quod non argumentis veritatem hujus Artis concernentibus plenum ſit; placuit unam e multis hujus Noſtri ſeculi, demonſtrationem Pragæ in præſentia *Ferdinandi III.* Imperatoris exhibitam, ærique inciſam hic apponere; Luſtro abhinc eadem perſona, quæ Pragæ, etiam hic Moguntiæ, in præſentia Eminentiſſimi Principis Electoris, aliorumque Magnatum, in ſat magna quantitate præſtitit, cujus Aurum etiamnum reſervatum, & hujus loci Monetæ Præfectus, qui e tali Auro ducatos excudit, teſtis eſſe poteſt. Idem aliis Exemplis hoc confirmat Supplement. in Phyſic. Subterran. Cap. 5. pag. 84. 85.

IV. *Joh. Frideric. Helvetius*, Sereniſſimi Principis Auraici Archiater, & indefeſſus Naturalium ſcrutator (qui in Amphi-Theatro Phyſiognomiæ Medico ſuo, & in Diribitorio Medico dedicatione finita, curioſe ſe ipſum ſubſcribit, & vocat Philoſophiæ & Medicinæ ſemper ſtudioſum) hiſtoriam memoria dignam deſcribit in Tractatu *Vitulus Aureus*, inſcripto: Relata ejusdem proponam, cum Liber in paucorum ſit manibus, contractius tamen: Anno 1666. die 27. Decembr. in ædibus meis me inviſebat Vir plane incognitus, perſona honeſta pariter gravitate, atque ſeria comitatus autoritate, plebejo amictus habitu, ratione ſermonis, geſtuum & ſtaturæ Batavo-Septentrionali, (Nord-Holländer) ratione vero ætatis quadragenario ſimilis. Finita ſalutationis comitate, referebat, ſe ſe amore in artem Chymiatricam jamdiu amicitiam meam deſideraſſe, præcipue cum legerit, nonnullos meos Tractatus, ibique dubitantem de Arcani Philoſophici Veritate meam mentem perceperit. Hac occaſione ex me quærebat, annon credere poſſim, in rerum Natura adhuc in quodam loco dari tale Myſterium, cujus beneficio

Medicus

Medicus morbos omnes valeat univerſaliter curare; niſi æger jam laboret defectu vel pulmonis, vel hepatis, vel ſimilis nobilis Membri principalis. Mihi reſpondenti, me nunquam talem Adeptum offendere potuiſſe, licet plura de rei & artis Veritate legerim; & ſimul quærenti, num ipſe ſit Medicus, regerebat negando, ſed ſeſe fuſorem Orichalci profitebatur, atque jam inde ab ineunte Vitæ ſuæ ætate teneriore ex Amico ſuo multa viſu rara cognoviſſe, & cumprimis rationem eliciendi per ignis torturam Arcana Medica e metallis; & hujus cauſa ſe etiamnum eſſe amatorem ſcientiæ prænobilis medicinalis. Poſt varios ſermones depromſit e marſupio pyxidem eburneam, in qua continebat tria ponderoſa fragmenta grandiuſcula, parvam juglandem fere æquantia, quæ coloris erant vitrei, ſubpallidi, ſulphurei, quibus adhærebant interiores ſquamæ crucibuli, in quo liquefacta fuit hæc nobiliſſima ſubſtantia, quippe cujus æſtimatio fortaſſe ad viginti Auri Tonnas foret excretura. Poſt hauſtos varios ex hoc ore philoſophico diſcurſus notabiles, de miraculoſa operatione Lapidis, tam quoad Corpus humanum, quam quoad metalla, quærebam, cur præſens hic Lapis Philoſophicus, colore ſit imbutus ſulphureo, cum alias legiſſem, Lapides Philoſophorum eſſe condecoratos colore rubinato, purpureo? Ad quod breviter: Mi Domine, hoc nihil facit ad rem, hæc enim materia eſt ſatis matura. Porro me ipſum deprecante, ut pro præmio, memoriaque ſempiterna mihi donare vellet fruſtulum pyxidi incluſæ materiæ in forma ſeminis Coriandri, abnuebat, reſpondens: O minime; hoc enim mihi non eſt licitum, etiamſi tot Ducatorum aureorum velles refundere mihi, quot capere poſſet tota hæc tua Camera, idque non propter Materiæ pretium, ſed propter aliam quandam conſequentiam. Hinc a me ſtatim petebat, fruſtulum optimæ Monetæ aureæ, atque interim pallium ſuum, & tunicam paſtoralem deponebat, nec non thoracem aperiebat, ſub cujus induſio in ſerico linteo viridi gerebat quinque magnas pendentes Taleolas aureas, complentes magnitudinem interioris ſpatii Orbis ſtannei, ubi inter conferendum reſpectu coloris & flexibilitatis inter ipſius Aurum & meum maxima elucebat differentia. Iſtis autem Laminis, ille ſtylo ferreo ſequentia inſcripſerat: Priori: Amen! Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Dominus DEUS Noſter; omnia plena ſunt ipſius Gloria! Leo, Libra. Alteri: Jehovæ Mirabilis ſapientia mirifica! facta ego ſum die 26. Auguſti Anno 1666. Tertiæ: ☉. ☿. ☽. Mirabilis DEUS, Natura, Arsque Spagyrica, nil faciunt

 fruſtra.

fruſtra. Quartæ: Sacer Sancte Spiritus! Halleluja! Phy Diabolo! Ne loquere de DEO absque Lumine Amen. Quintæ: Æterno, inviſibili, Trinuni, ſolum ſapienti, omnium optimo & omnipotenti Deorum DEO, Sancto, Sancto, Sancto, Gubernatori merito laudando.

Mihi porro inſtanti, undenam obtinuiſſet omnium maximam hanc Mundi ſapientiam regerebat: Accepi hæc Myſteria ab Amico extraneo, qui aliquot diebus in domo mea pernoctans, ſe ideo huc veniſſe aſſeverabat, ut mihi Philo-Chymico varia artificia detegeret, v. g. quomodo e Saxis & Cryſtallis pulcherrimi conficiantur Lapides, multo pulchriores Rubinis, Sapphiris, & id genus aliis, quomodo Martis crocus unico horæ quadrante parandus, ut ſubito ſed & dyſenteriam peſtilentialem. Item in Vitrum aqua pluviali plenum immiſcuit per puſillam pulveris albiſſimi quantitatem, quod Potionis ſapiebat ſaporem lactis dulcis; hujus hauſtuli dimidium mihi propinabat, unde videbar evaſiſſe valde hilaris. Jubebat idem, ut ciſtam plumbeam pluvialem e pariete depromerem, & in olla nova liquarem, hinc Artifex plumbo fluenti injiciebat modicum pulveris flavi, & aucto aliquantiſper igne effudit ex olla in culina ſuper lapides Aurum optimum. Hujus fruſti aurei, cape, inquiebat, decimam ſextam partem, & tibi ſerva pro memoria, reliquas quindecim partes autem cura diſtribui pauperibus. Tandem etiam me docuit hanc ipſam artem Divinam.

Meus hic Hoſpes, *pergit Helvetius*, aliquot petitionibus non ſubſcribens, abiit, promittens reditum, elapſis tribus ſeptimanis; hac tamen proteſtationis lege, ſi ipſi tunc licitum foret, nec interdictum. Finito dicto tempore, gratus hic Hoſpes promiſſis ſtetit, & poſt longam Diſſertationem magis Theologicam, quam Medico-Chymicam, aſſeverabat, quod hoc Myſterium ſpectaret, non niſi ad magnificandam ſolum DEI glorioſiſſimi famam dulciſſimam, & quod hominum pauciſſimi cogitarent, quomodo ſe ſe per ſua opera tanto DEO condigne ſacrificarent, ac ſi fuiſſet Paſtor Eccleſiæ. Poſt longas & largas preces meas dabat mihi fruſtulum æquans magnitudinem ſeminis raparum, dicens: Accipe de maximo mundi Theſauro, quem pauciſſimi Regum, magnorumque Principum videre potuerunt. Cum poſtea petierim majuſculam portionem, cum tantillum minimi fruſtuli non ſufficeret forte pro tingendis plumbi aliquot granis. Tunc datam mihi antea particulam pollicis ſui ungue diſſectam dimidiam igni injiciebat, alteram mihi reddebat, eandem ſufficere dicens, at-

que

que illo plus quam unciam ſemis plumbi poſſe tranſmutari in aurum. Simulque craſtino die rediturum, ac projectionem præſtiturum, promittebat, ſi ipſe non prohiberetur. Verum poſtquam ipſum uno & altero die fruſtra expectaveram, Drachmas ſex Plumbi in crucibulo fluere curavi: ſimul atque plumbum liquefactum fuerit, injectus globulus cereus pulverem tingentem continens, qui globulus cum ſibilo & flatuoſitate in crucibulo bene obdurato ita perfecit operationem, ut intra horæ quadrantem tota plumbi Maſſa fuerit transmutata in aurum. Hoc plumbum Lapidi Philoſophico mixtum & in igne liquefactum pulcherrimum monſtravit colorem viridiſſimum, ſimul atque in poculum fuſorium effuderim, colorem acceperat ad inſtar ſanguinis, ſed poſtquam refrixerit, optimi auri colore ſplendeſcebat. Cum Adſtantibus ſumme conſternatus, currebam ad Aurifabrum, qui decenter & rigoroſe id examinans pro auro obryzo proclamabat, & ſeſe mihi pro qualibet hujus uncia, quinquaginta florenos ſoluturum promittebat. Fama rariſſimum hoc præſtigium ſubito per urbem portante, die ſequente curioſitas plures Viros nobiliſſimos ad ædes meas compellebat, qui viſo illo, quod plures Reges non viderunt, petebant, ut denuo examini apud aurifabrum ſubjicerem, quo aliquoties facto, ſemper eandem reperiebamus veritatem; & cum particulam argenti addi curaſſem, nunquam non aliqualis Auri multiplicatio, vel additi argenti in aurum transmutatio ſucceſſit; Modo dictum aurum ego adhuc poſſideo, quis nam autem fuerit ille Elias Artiſta, aut ubi jam degat, nôrit DEUS. Plura vide ſis apud Autorem ipſum, Helvetium, qui ſimiles transmutationes paulo ante a *Küfflero & Grillio* factas aliaque varia curioſa ad Arcani hujus dilucidationem facientia proponit.

V. *Joh. Riſtius* Theologus Holſatus ob hymnos angelicos, variaque alia ſcripta curioſa Literato orbi non incognitus, in opuſculo, quod *omnium nobiliſſimam mundi ſtultitiam* inſcribit, duas producit hiſtorias Tincturæ Univerſali realiter demonſtrandæ multum lucis accendentes; Cum autem ſatis ample easdem deſcribat, contraham paulo relationem. Retulit mihi, inquit, pag. 243. Mag. *Antonius Buſcherus*, Concionator Aulicus Oldenburgicus, Vir ob Vitæ pietatem, Doctrinæ puritatem, Arcanorumque naturalium ſcrutationem memoria digniſſimus, Virum Theologum eximium affinitate ſibi junctum devotas ad DEUM Opt. Max. & ſerias ablegaſſe preces, ut ipſi detegeret, e qua materia pretioſiſſimus ille Theſaurus Philoſophorum conficeretur. Satisfecit gratioſus

Poliarcha devotæ hujus petitioni; hinc erogatis ab uno & altero Principum ſumtibus ſub favonio Divino laborem eſt aggreſſus, & mentis vigilantis, manusque indefeſſæ dexteritate eum eo perduxit, ut ultima manus operi propediem fuerit imponenda, pluresque confluxerint aliunde curioſi, miraculoſas operis figuras, colores, &c. admirantes, ſtupentes. Sed liberi hujus Viri ingenui expendentes, quantum honoris faſtigium ſint aſcenſuri, quantum quantum divitiarum ipſis ſit acceſſurum, per hoc brevi ad colophonem deductum Parentis opus, triumphum ante Victoriam canebant; aliis enim ſpretis intempeſtive nimis & faſtuoſe gloriabantur, quomodo pompoſam & delicatam velint vivere vitam, vix aliter ac opulentus iſte, quem depingit Sanctus Lucas Cap. XVI.

Verum enim vero, juſtiſſimus rerum omnium judex non permiſit, ut regale hoc donum ad abuſum dejiceretur, hinc parentem ſubitaneo & periculoſo percuſſit morbo, qui deplorans pravos familiæ ſuæ mores, & quod cœleſti hoc munere ſe ipſam redderet indignam miſere dolens, ad plures abiit. Hoc ſepulto, ſepulti ſimul quaſi erant ad tempus hujus arcani labores. Poſtea vero illi, qui impenſas ſuppeditarunt laboratori, conſultum judicabant, arduum hoc opus concredere viro in operationibus chymicis ingenue exercitato, ſed res e voto non ita ſuccedebat: Nemo enim audebat admovere manum tantæ rei, de cujus præcedente laborandi aut tractandi methodo ſibi nil conſtabat ſpecialius. Proinde pulverem huncce rubicundum aut potius auricolorem, ut & oleum & liquorem rubiniformem partim commiſerunt fidelitati docti & conſcientioſi cujusdam Chymiatri, qui in ſanandis morbis alias deſperatis, & inſanabilibus miraculoſa edidit ſæpius ſpecimina, hæc tamen ut plurimum tacite, inſcia famæ divulgantis buccina. Bona autem theſauri hujus pretioſi pars ab hæredibus ludicris ludicre fuit pro vili pretio divendita pluribus, & quidem illis, qui quid poſſiderent, non intellexerunt. Magnus tamen quidam Conſiliarius Ducalis arrepta pulveris portiuncula, laborem denuo ſuſcipi curavit, & inde Venere, Jove & Saturno in verum aurum transmutatis, incredibiles ſibi comparavit, ſuisque moriens reliquit hæredibus divitias.

VI. *Laudatus Riſtius* Lib. Citat. p. 255. modo dictæ aliam ſubjungit hiſtoriam non minus memorabilem: Familiaritate, inquit, uſus ſum Viri cujusdam præcipui, leges, quibus Chriſtiani ſumus, accuratiſſime obſervantis; Hæc mihi ſæpius retulit, ſeſe diuturno tempore Deum

Deum ſeriis fatigaſſe precibus, ut ad cognitionem materiæ Lapidis Philoſophici pertingere valeret. Subſcribit tandem cœlum voto ipſius, hoc detegit amico ſuo intimo, & quomodo res ſit tractanda, deliberant; concludunt tandem laborem ſecurius inſtitui extra urbem pro evitanda ſiniſtra Zoilorum, & Sciolorum cenſura; hinc in ſylva exſtruunt vile tuguriolum, & operario chymico perito rem committunt, ſub alternante tamen directione dictorum Amicorum.

Opere ſub manibus feliciter ſuccedente, ſæpius non ſine ſtupore, & ſumma miraculoſi Creatoris admiratione adſpexerunt colores pulcherrimos ab aliis ample depictos, quos in vitro transcurrit materia, ſub cauto moderati ignis regimine, & patienti manus dexteritate. Cognoſcentes tandem, Tincturæ abſolutionem, aut perfectionem inſtare; cucurbitam caute aperiunt, & quaſi attoniti, nec ſine decenti gratiarum actione accuratius adſpiciunt, quod hactenus per tranſennam viderunt, opus mirabile, quod tantus tantus, Artiſtarum numerus conſpicere fruſtra optavit & adhuc optat; & concludunt, dictam materiam perfectam, poſt quatuor dies pro uſibus deſideratiſſimis medicamentoſo metallicis ſeſe exempturos. Inter mille hæc gaudia, inter mille hos triumphos paululum diſcedunt a laboratorio, vitro primum legitime munito & clauſo, de arcaniſſimo hoc arcano deliberaturi, ac Deo gratias acturi; relicto ibidem ſolo laboratoris famulo. Hic lætis ſermonibus ſuorum Dominorum de inſtante tam pingui præda non minus turgidus factus, ſuo in cerebello quoque ſibi aureos montes fabricatur, iisque abſentibus pro augenda animi recreatione cucurbitam aperit, denuo Theſaurum captivum diu adſpicit, oculos paſcit, atque ob inde ſibi ſuisque ſecuturam felicitatem ſui oblitus, obliviſcitur plane vitrum claudere; hinc aër frigidus violenter & copioſe intrans, illud vel in mille particulas divellit, & quidem tanto ſonitu & fragore, ut modo abeuntes Directores crederent, quaſi dimidia ſylva horribili tonitru ac fulmine peſſundaretur. Hinc terrore maximo alas pedibus annectente advolant, reperiunt famulum extra portam tugurioli jacentem quaſi mortuum, domum vero (illo prius refocillato) ingreſsi, tam magnus & intolerabilis ſplendor occurrit oculis, & quaſi obcœcati per tempus fuerint, apparuitque tota domus interioris facies, quaſi auro puriſſimo craſſe fuiſſet obducta. Relata autem revera ita contigiſſe, ſanctiſſime mihi aliquoties affirmavit. Rarum inſuper hoc ſpectaculum diebus ſequentibus a plurimis aliis adductis & adcurrentibus ita viſum fuit. Reliquias hujus præter omnem expectationem erepti ſpolii parciſſime corraſerunt, e

parie-

parietibus, tecto, area domicilii mundarunt, uſuique caute reſervarunt.

Teſtatur laudatus Riſtius, hac Tinctura mirabiles & tantum non incredibiles operationes eſſe exhibitas, tum in proprio ſuo corpore enervato, tum variis aliis ægrotis pedem unum jamdum in cymba charontis habentibus per dictum Amicum illius poſſeſſorem; ſpeciales hiſtorias videſis apud Autorem.

VII. *Joh. Kunckelius* Chymicus ſecretus Sereniſs. Electoris Saxoniæ in obſervationibus de ſalibus fixis & volatilibus, Auro Potabili, &c. cap. 7. inquit: Cæterum facile credo, dari tale medicamentum, quod corpus humanum ſanet; an autem idem debeat eſſe (nimirum quod metalla transmutet) neſcio. Neque jam aliquid dicam de Theophraſto, qui plures homines ſanaſſe dicitur, ut & metalla; hic enim præter lapidem ſuum aliis etiam uſus eſt remediis. Sed jam adducam ſaltem primo Exemplum Sereniſs. Electoris Saxoniæ AUGUSTI, beatiſſimæ memoriæ, & Sereniſſimæ Ejusdem Uxoris, qui lapidem quadruplici modo per quinque annos obtinerunt, exceptis particularibus, quorum minimum tinxit 1604. partes. Secundo exemplum Sereniſſimi Filii Ejusdem Chriſtiani I. beatiſſimæ memoriæ, qui itidem per quinquennium poſt obitum Parentis Nobile hoc donum Dei poſſedit.

VIII. Inveterata eſt apud plures opinio, Sereniſſimam Rempublicam Venetam callere & poſſidere Chryſopœiam. Proinde inter varios diſcurſus quæſivi e Medico Celeberrimo, *Ottone Tackenio*, ibidem vivens, ut certiorem me redderet, de hujus rei veritate; Hic ſubridens reſpondebat: Quamvis arcana Status Noſtri mihi peregrino non omnia poſſint eſſe cognita & detecta; Nihilominus de hac re valde dubito; potius credens, illius Chryſopœiam conſiſtere in prudenti Reipublicæ totiusque Status Gubernatione, cum nemo ſine inſigni admiratione intueri valeat, quam extraordinaria ſapientia, & ſagaci dexteritate ad clavum Regiminis ſedeat Magiſtratus. Alias etiam minime fuiſſent ſufficientes (ſi quidem Divinam Omnipotentiam & Directionem exceperimus) tolerandæ diuturnæ virulenti Belli Turcici truculentiæ, ſumptibusque contra hoc erogandis. Non tamen neque, nonnullos ex ipſis quoque Venetis dictam opinionem de Tincturæ poſſeſſione præterito tempore foviſſe, cui anſam dedit fortaſſe caſus ſequens Thraſonicus; ex cujus relatione & Tincturæ Noſtræ Veritas, & Exhibitoris ſumma audacia pateſcit. „*Paucis abhinc annis, inquiebat*, comparere jubebar in pleno „conſeſſu Sereniſſimi Noſtri Ducis, totiusque Magni Senatus. Cum „autem

„autem optime ſcirem ſimile mandatum nemini fieri ſine prægnan-
„te cauſa, ideo de hac mirari ſatis non poteram. Conſtituto tem-
„pore publice comparens quærebat: Intelligisne Aurum conficire?
„Ad quæ ſubridens ego reponebam: Sereniſſime Dux, Patres Pa-
„triæ Sereniſſimi, de poſſeſſione ſpecialiſſimi hujus doni Divini
„minime gloriari poſſum; nihilominus non nego, me eſſe inſi-
„gnem Philochymicum, cum e Chymiæ cultura & cognitione
„maximus accreſcat Arti Medicæ, quam profiteor, ſplendor. Por-
„ro quærebatur an poſſem cognoſcere, num pulvis pro aurifico ha-
„bitus, ſit genuinus, an vero falſus. Ad quæ ego: me non late-
„re ſigna, quæ a pluribus Autoribus pro Tincturæ notitia prodan-
„tur; proinde nullum fore dubium, quin facile ſit cognoſcibilis.
„Porrigebatur hinc mihi portio pulveris cineritium colorem præ
„ſe ferentis, annexis his verbis: Superioribus annis vixit in no-
„ſtra hac urbe Comes quidam extraneus ſatis ſplendide: ut autem
„eo honeſtiorem viveret vitam, conciliavit ſibi nonnullorum e
„Noſtratibus Nobilibus imo Senatoribus amicitiam; quibus non
„ſolum faſſus eſt aperte, quod calleat Chryſopœiam, ſed & in non-
„nullorum præſentia ignobiliora metalla in aurum verum muta-
„vit; Pro majore ſibi fama & gloria comparanda Sereniſſimo Se-
„natui dono dedit hunc quem vides pulverem, quo eodem maxi-
„mam auri quantitatem poſſint conficere pro lubitu. Ut autem,
„illa conſumta commodo publico porro conſulere valerent, dedit
„ſimul modum præparandi dictum pulverem adjecta in ſcheda de-
„ſcriptum.

„Anteceſſores Noſtri tunc temporis large utentes incomparabili
„pacis auro, ac inde Republica ſumme florente, de alio auro confi-
„ciendo jure merito non erant ſolliciti. Jam vero truculento iſto
„Turcico bello theſauros publicos exhauriente, ac aurea pace orba-
„ti aliud in Terra aurum quærere cogimur. Ego accurata oculo-
„rum trutina ponderans pulverem exhibitum, reſpondi: Vereor Se-
„reniſſima Patrum conſcriptorum Corona, ut deſideratum præſtet ef-
„fectum pulvis præſens, facies enim ejusdem externa ſigna ab aliis
„definita non oſtendit; Hinc curo per miniſtrum cito afferri aliquot
„carbones ignitos, quibus ſuper vitri portiuncula impoſui dicti pul-
„veris modicum, ſed hoc incaleſcens, uti debebat, non fluebat:
„propterea pulverem hunc eſſe opus mentis & manus fraudulentæ,
„publice indigitavi. Jubeor poſthæc inſpicere & ventilare proceſ-
„ſus; verum primo quaſi intuitu video, huncce proceſſum eſſe Ari-
„ſtotelis Chymici, qui deſcribitur in Theatri Chymici Volum. 3. pag.

„ 100. His perceptis, mirari ſatis non poterant omnes mecum ho-
„ minis audaciſſimam temeritatem.

Aperuit mihi ſimul laudatus *Tackenius*, maleferiatum iſtum Oſtentatorem fuiſſe *Bragadinum* Nobilem Venetum, qui alteri cuidam Poſſeſſori veram Tincturam ſurripuerat. Cum autem non didicerit cautius poſtea mercari, ſed porro alis icaricis alibi juſto altiora petierit, paulo poſt conſumto pulvere vere tingente, corniculæ hujus æſopicæ fraus detecta: hinc non immerito Bavariæ Elector ipſum juſſit exaltari, atque in literam longam evadere.

IX. Dum olim exteras aliquot regiones viſitare conſtitueram, pro ſcopo meo primario (nimirum, ut uterer erudita converſatione Medicorum & Chymicorum hinc illinc celebrium) eo felicius & facilius obtinendo, Patronus meus inæſtimabilis, celeberrimus ille Profeſſor & Practicus Lipſienſium, *D. Joh. Michaëlis* intentionem meam egregie juvabat literis ad varios commendatitiis. Horum in numero continebatur quidam Chymiater Primicerius & incomparabilis νῦν ἐν ἁγίοις (Nomen hujus & cuinam fuerit a Conſiliis Medicis, ob diverſas rationes prægnantes hic reticeo) poſt varias ſermocinationes vere doctas in hæc erumpebat verba:

„ Ego me nunc non immerito Seniorem Chymiatorum jactare
„ poſſum cum per quinquaginta & quod excurrit annos eandem exco-
„ luerim artem. Poſt quam enim Annis aliquot ſedulam Medicinæ &
„ Chymiæ in Academiis & praxi Medica navaveram operam, fui conſti-
„ tutus Archiater Magnæ hujus Domus (quæ eſt una e præcipuis Europæ,
„ clarius eam nominare non licet) ſimulque conſtitutus Director labo-
„ rum Chymicorum ſecretorum, quorum proceſſus a Majoribus hære-
„ ditarie acceperat. Commodiſſima potitus hac occaſione, accurate
„ & gnaviter in Naturæ penetralia penetravi, ſumtus enim & Ama-
„ nuenſes pro lubitu mihi ſuppeditabantur, & ita non ſolum varia
„ rara inveni medicamenta, ac mineralium qualitates egregie ſum ſcru-
„ tatus, ſed etiam
„ poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum
„ ac poſt plurium annorum meditationes atque labores vix tole-
„ rabiles licuit mihi eſſe tam beato, ut acquiſiveram *veram Phi-*
„ *loſophorum Tincturam*, in re tam medica, quam transmutatione me-
„ tallorum, veterum requiſitis reſpondente. Dum ultimam impo-
„ nebam manum labori huic deſideratiſſimo, eumque poſt unius &
„ alterius ſaltem diei digeſtionem abſolvere decreveram, me accedit
„ Chymicus quidam, tenui veſtitus habitu, ac pauperculo ciniflonis ſi-
milis,

„milis, honeſtæ tamen faciei (lingua & mores eum Germanum eſſe „prodebant) qui ſeſe fama Nominis mei in arte Chymica motum, „pro nonnullis colloquiis chymicis inſtituendis huc acceſſiſſe, refe„rebat. Diſcurſus ſucceſſive inſtituti, hunc in arcanis veræ & pu„rioris Chymiæ plurimum profeciſſe, monſtrabant, ut non parum „mirarer, ſub ſordido hoc pallio vel veſte, latitare tam raram ſa„pientiam; tandem ad eam devenimus familiaritatem, qua mihi fa„teretur, ſeſe Lapidem Philoſophicum poſſidere, extrahebatque e „ſacculo ſcatulam, hujus duas fere Drachmas continentem, Ejusque „qualitates in ægris periculoſe decumbentibus, & in metallis impu„rioribus mirum quantum efficaces patefecit. Hic pulvis meo erat „tam ſimilis, quaſi in uno laboratorio, imo in uno vitro ſimul fuiſ„ſent præparati. Ceterum Vitam vir dictus agebat ſumme devotam „& humilem, ſermonibusque ſuis ut plurimum immiſcebat, actiones „noſtras omnes, ac præcipue tales labores arduos eſſe inſtituendos „ad promovendam Divini Numinis gloriam, ac pauperum ſolatium, „abuſusque horum ſumme vitandos.

„Me illi ſignificantem, Dominum meum valde mihi indignatu„rum eſſe niſi hoſpitis hujus, uti rariſſimi, ita gratiſſimi præſentiam „ipſi patefacerem, cum ſis ſumme curioſus, maximopere dehortatus „fuit, quippe vitam ſuam in ſilentio & ſpe, pie & ſolitarie Deo & „proximo inſerviendo conſumere debeat, non vero in Aulæ ſplendo„re, ac apud Magnates, mundique proceres tumultuoſe vivere: Ni„hilominus ipſo invito acceſsi Dominum meum, &

„quis novus hic noſtris ſucceſſerit ædibus Hoſpes

„detexi. Dominus meus, ut ipſum adducam lætiſſimus jubet. Dum „redeo, ille abiit ſine valedictione mihi meisque facta, ut hucusque „ego neſciam, unde venerit, aut quorſum tenderit, aut quis fuerit. „Inopinus hic abitus & ſuperiorem meum & me multo quidem mœ„rore afficiebat: Nihilominus contenti eramus, quod genuinum Tin„cturæ jamdum abſolutæ præparandi modum ſciremus, & quod Deus „O. M. nobis quaſi per Angelum indicaſſet, ſumtus & labores noſtros „non fuiſſe fruſtraneos, ſed veram ad metam nos perveniſſe. Ex „una enim & eadem materia, uno eodemque modo & nos & ille „eandem compoſueramus, uti capite 5. dicetur.

„Quid fit autem? paulo poſt Dominus meus ablegat me cum „Theſauro hoc inæſtimabili aliorſum ad Virum quendam magnum, „partim, ut nobiscum gauderet, de acquiſita aurei velleris præda, „partim ut rubore ſuffunderetur, cum ſæpius hunc laborem ſerio diſ„ſuaſiſſet, ac fruſtra aureo hamo nos piſcaturos, diu fuiſſet omina-

 „tus.

„tus. Verum in itinere, me, bellona tunc in Patria & vicinia do„minante, militum cohorte ſtipatum, invadebant copiæ militares „hoſtiles, quæ meos defenſores partim occidebant, partim vulnera„bant, partim in fugam convertebant, me autem honeſte veſtitum „cum aliis nonnullis captis privabant veſtibus, & rebus omnibus, „quæ mecum portabam. Precibus omnibus fruſtra adhibitis, petii „tandem ſaltem, ut redderent hunc pulverem chartæ ac ſcatulæ ar„genteæ incluſum, cum mihi valetudinario cederet in quotidianum „medicamentum, (ipſis enim detegere qualis ſit pulvis, conſultum „non judicabam) ſed placuit imperſcrutabili Divinæ Voluntati, ut „indigna iſta manus mavortia, rabida & invida furens truculentia, „theſaurum huncce regias opes æquantem in auras diſpergeret, reſer„vata ſibi argentea ſcatula pulverem tenente. Qua incredibili men„tis conſternatione & confuſione domum redierim, judicet quilibet.

„Proinde denuo relictis aliis negotiis totus totus eram in nova „præparatione ſummæ hujus Tincturæ: Severiſſime quidem ad hoc „itidem me ſtimulante Domino meo. Quamvis autem maxima ſe„dulitate, nocteque dieque quaſi incumberem huic labori omnes „item enchiriſes mihi fuerint optime cognitæ, ac in recenti memo„ria; nihilominus nunquam denuo ad optatum finem perducere pro„ceſſum huncce, vel ſolo nomine quoslibet ad ſui deſiderium cogen„tem, valui, licet aliquoties a principio caute & curioſe fuerit tra„ctatus. Deo enim procul dubio ſic volente, aut rumpebatur ali„quando vitrum, aut omittebatur aliqua Enchiriſis, &c. Donec „tandem, accedente torpore ſenili, torpeſcere quoque hunc labo„rem ſiverim. Propterea de Tincturæ hujus Univerſalis veritate au„toptes poſſem eſſe Teſtis, & quidem duplici modo, de mea ſcilicet „& alterius; lucrum autem indeſperatum & emergens aliis digniori„bus relinquens.„ Huc usque Vir ille magnus.

X. Prodiit duobus abhinc luſtris in lucem Amſtelodami Tractatus ſub titulo: *Introitus apertus ad occluſum Regis Palatium, Autore Anonymo Philaletha.* Incognitus hic Autor veluti varia ad rem hanc facientia per integrum Opuſculum partim perſpicue, partim obſcure proponit, ita in ſpecie de ſtabilienda poſſibilitatis veritate, Cap. 1. p. 2. inquit: „Poſſem omnes hac de re citare Philoſophos; „at teſtibus non egeo, quia ipſemet Adeptus & lucidius ſcribo, „quam antehac ullus.„ Et Capite 13. p. m. 25. de virtute medicamentoſa incomparabili ſic loquitur: „Hoc nuper ſum exper„tus in locis quibusdam peregrinis, ubi Medicinam moribun-

„dis

„ dis quibusdam deſertis, atque afflictis corporis miſeriis exhibui, & „ad miraculum ſanitatem recuperarunt. Murmur ſtatim factum „eſt de Elixirio ſophorum, ita, ut non ſemel, ſummis cum „moleſtiis, mutatis veſtibus, raſo capite, crinibusque, altera„to nomine, noctu fugam facerem, aliter in manus hominum „nequiſſimorum, mihi inſidiantium (ob ſolam ſuſpicionem una „cum auri ſiti ſacerrima conjunctam) incidiſſem. „ Et pag. m. 28. de Transmutatione metallica hæc proponit verba : „ Novi nos, „quod, dum quondam vendere Argenti puriſſimi tantum, quan„tum 600. libræ, tentaremus extra Patriam noſtram mercatori ſi„miles induti, metallici, quibus obtulimus, ſtatim nobis dixerint, arte „factum eſſe argentum. Cauſam, cur id affirmarent, rogantibus „nobis, nil aliud reſpondebant, quam argentum, quod ex Anglia, „Hiſpania, &c. affertur, diſcernere non jam diſcituri ſumus; at „hoc eſt ex nullo illorum genere. Quod nos audientes, clam nos „ſubduximus, & reliquimus tam Argentum, quam pretium nun„quam repetendum. „ Fuga autem ſibi conſulit Autor ob imminentes a nebulonibus inſidias, cum, uti paulo antea dicitur, a nullo alio loco argentum adeo ſinum affertur, ac arte noſtra productum eſt.

XI. Clariſſ. *Chriſt. Adolphus Balduinus*, Collega Honorandus, in Phosphoro Hermetico, Auro auræ adnexo, pagina ultima e Friderico Gallo refert : Hunc vidiſſe inprimis mirificam rem! nimirum illi oſtendiſſe, ſecreto Monachum, e nobili Trautmannsdorffiorum Genere oriundum, (quem a reliquo viventium cœtu religio ſua abduxit) Tincturam: magnitudinem, ſi ſpectes, non multum fabam excedentem, eamque majusculam. Colorem autem eum fuiſſe, qui & Granati Lapidis eſſe ſolet, quales e Bohemia adferuntur non pauci; Præcipua ipſi dos ſplendor, lampadem crediſſes in vitro ardentem.

Idem rarum transmutationis metallicæ & perſpicuum adducit exemplum dicto in Tractatu Aurum auræ inſcripto. Cap. 11. p. m. 148.

XII. Dum hæc ſcribo, nimirum Anno 1677. Menſe Junio, ſancte mihi affirmat Amicus fide digniſſimus, Vienna redux, ibidem Virum quendam peregrinum, oculos, aures & linguas omnium in ſe vertiſſe, & quaſi fatigaſſe, dum luem Veneream, aliosque morbos duriſſimam Herculis clavam poſcentes, pauciſſimis doſibus medicamenti ſui unici & univerſalis eradicaverat; nec minus metalla igno-

biliora ſæpius in aurum verum converterat; Monetam argenteam, dictus amicus ſe ipſum, ait, vidiſſe, dimidia parte ita tinctam, & in aurum converſam, altera vero parte nativam adhuc ſpeciem ſervante. Bonam portionem dictæ Tincturæ *Auguſtiſſimo Cæſari Leopoldo* exhibuit; ut ingens ignobilioris metalli copia tingi, & multa Aureorum millia inde cudi poſſint; atque ut ipſe quoque ſub potentibus Cæſareæ Aquilæ alis eo ſecurius viveret, cum variæ ipſi a variis jamdum ſint ſtructæ inſidiæ. Poſſeſſor autem dictus Tincturæ hujus fatetur, ſe ipſum illius conficiendæ, imo totius Artis Chymicæ prorſus ignarum eſſe, ſed eandem aliunde ad ſuas pertigiſſe manus.

XIII. D. Adam. Gottlob. Berlichius in Diſſertatione ſua inaugurali de Medicina Univerſali Anno 1679. Jenæ ſub Præſidio Excellentiſſimi D. Rudolph. Wilhelm. Krauſſii habitæ, refert partem hiſtoriæ, literis ſibi communicatæ, de Univerſalis Medicinæ exiſtentia agentis, quæ ita ſe habet:

Honoratiſſime affinis. Ultimam Epiſtolæ manum imponens, ex improviſo in Vreeswici (Præfecti quondam fodinarum metallicarum in India Occidentali) tractatulum de Leone aureo incidi, in quo quo ſequentes Belgico idiomate conſignatas reperi hiſtorias. Anno 1670. 17. Jun. (inquit citatus Auctor) eram Hagæ Comitum, in ædibus Doctoris Helvetii, qui mihi monſtraverat, aurum ipſo præſente ex plumbo factum, quantitate Tincturæ dimidii grani tingentis unam unciam Saturni, factitium vero illud Aurum, bis adhuc in Lunam projectum, magno cum fœnore eandem tinxit. Hæc acta in præſentia plurimorum fide digniſſimorum hominum. Aurum hoc puriſſimo nativo non cedebat, habuique id in manibus meis. Cumque Helvetium interrogaſſem, quisnam Vir ille fuiſſet, a quo pulverem accepiſſet, regeſſit mihi, fuiſſe quendam ex Batavia Septentrionali, Religioni Reformatorum addictum, qui bis ædes ipſius viſitaſſet. Eodem Anno, (pergit Autor) die 29. Octobris eram Aquisgrani, ibique in pleno conventu honeſtiſſimorum Virorum in Loco publico (auf der Bürger Trinck-Stuben) Dn. Guiliaem Monetarium & Aurifabrum narrantem audivi ſequentia: Hic Guiliaem inquiebat: Anno 1655. notum quendam Virum nomine Monte-Snyders in ædibus meis vidi, qui una cum Conjuge ſua vili incedebat veſtitu, nec tum eum magni æſtimavi, accedebat, quod ob præſentiam aliorum amicorum nullam cum illo confabulandi habuerim commoditatem, hincque ſponte Monte-

Sny-

Snyders valedicens, mihi poſthac e memoria exciderat. Hic inſperatus, duodecimo, præter propter poſt, anno, rediit in easdem ædes, in quibus adhuc maneo, ſummo mane, ſalutatoque me, comperi mox, eſſe hunc Monte-Snyderum, ut ipſe aſſeruit, mihique obtulit annulum, rogans, ut probarem, ex qua materia eſſet conflatus. Hunc ergo incude tractans, primo mallei ictu diſſilire comperi, reſpondique, adhuc eſſe fragilem. Snyder quærebat, poſſemne eundem finare, fragilitatemque demere, quod cum affirmarem, ipſe ut peragerem, annuebat. Tunc ego annulo in novo crucibulo liquefacto, pulveriſatum antimonium ad finandum adjeci, ſimul ac vero Antimonium injectum eſſet, penitus ab auro abſorbebatur, quod aurum alias facere nequit, cum Antimonium omnium Metallorum, ipſius etiam Auri Magiſter exiſtat. Cumque viderem Antimonium in crucibulo conſumtum, aurum vero in priſtina forma, quærebam ex Snydero, qualenam eſſet metallum, quod antimonium conſumeret? Snyder reſpondebat, vide qua arte id poſſis finare. Ego Nitrum & Sulphur anatico pondere injeci auro liquefacto, atque non ſine magno labore finiſſimum reddidi, & ecce Aurum erat ſplendidiſſimum, cui ſimile per vitam meam non vidi. Peracto ita noſtro labore, ibamus una in locum hunc publicum (Bürger-Trinck-Stuben) in quo jam præſens ſum: hîcque ille inter bibendum ſubridens dicebat, haberemne animum adhuc ſemel ita folles exercendi? me, ſi ipſi allubeſceret, annuente, ſequenti die ſummo mane ſe venturum promiſit, quod etiam præſtitit. Rediit enim mane, antequam fores eſſent recluſæ, pulſavitque, intromiſſus a me, an labori me accingere vellem monebat: ego aſſentiens, ignem ſufflavi, ignique crucibulum impoſui, tum ille purum ſine additamento plumbum petens, uncias quatuordecim inde liquavi, liquatoque plumbo, adhuc duas Drachmas Cupri addi unaque confundi volebat. Interea manum marſupio immittens, varias produxit chartulas, minimamque mihi dedit, dicens, ut lance examinarem, cum quatuor eſſe deberent grana; ego vero lance tantum tria cum dimidio eſſe comperi. Ipſe hæc miratus aliquandiu ſecum perpendebat; moxque ceram, cui pulverem Saturno & Venere fuſis injiciendam involveret, petebat. Simul ac cera eſſet injecta, operabatur in plumbum, cumque aliquando ſtetiſſet, materia caneſcebat, quam ego juſſus effundere & ponderare, comperi una uncia leviorem vitri fragilis formam referre. Poſt accepi novum crucibulum, omniaque injeci, Vulcano commiſi, & longo tempore in eo reliqui,

liqui, iterum effudi in infundibulum, & lance examinavi, tunc comperi, de nova ſex Drachmis leviorem, colore vero Orichalcum referentem, adhuc tamen fragilem materiam; Accepi iterum novum crucibulum, & ut antea tractavi, ſed validiore follium impetu, dicente me, omnia in auras redacturum, ita ut nihil remanſurum ſit. Monte-Snyders regeſſit id effectui ſi demandare potes, egregius certe es Vir, vide quid præſtare valeas. Ego follibus ſufflavi, ut ſudor faciem rigaret, Snyders vero tacendo ſubridebat, vinumque curabat apportari, quod bibebamus; ille vero ſemper ſuo ſedebat in loco, ab uſtrina ſatis remoto, ita ut neque corpore, neque manibus crucibulum attingere, vel aliquid injicere poſſet. Cum itaque aliquandiu in igne ſtetiſſet, effudi, ponderavi, & comperi, quod iterum unciam ſemis amiſiſſet. Hanc fuſionem & effuſionem continuavi ſexies, & animadverti, quod quavis vice minus decederet materia, ſed ſemper eadem pulcrior colore evaderet. Hac die laborem ad finem perducere non potui, aſt ille ſequenti die ad finationem, in ædes meas rediit, (aurum ergo retinui per noctem, ita ut nullum aliud metallum addi poſſet, cum ipſe etiam omnia tractaverim) atque tum finiſſimum feci, ſic ut tanquam optimum aurum, omnia examina ſuſtineret, conſtanter, pondere erat quindecim Lothonum, quod ipſi tradidi, illeque ſecum ſumſit, dicens: cum prandii tempus adſit, cogor abire, poſt rediturus, hoſpitium meum eſt in platea Kolderſtraſe ſub inſigni Spiritus Sancti. Ego, (pergebat Guilliaem) duabus a prandio horis adventum illius expectabam, cum vero non rediret, mittebam famulum in hoſpitium, ſcire avens moræ cauſam? famulo hoſpes reſpondit, eum profectum eſſe, nam poſtquam rediiſſet domum, ſolviſſe mox debitum, & equum conſcendentem Civitati valedixiſſe. Hujus facti fama cum urbem pervolaſſet, citabar a Conſulibus in Curiam, & quærebar, haberemne adhuc aliquid factitii illius auri? ego annuendo dabam illis grana duo, quæ inter effundendum crucibulo adhæſere. Dabam vero illa Conſuli Wilder & Conſuli Meu & aliis, qui adhuc ſuperſunt, & aurum illud poſſident. Hi Conſules quærebant ex me, cur artem hanc ab illo (Snyders) non didiciſſem, ego regerebam, id prius me facere oportuiſſet: Domini pergebant, id nobis, ſi ſignificaſſes, nos eum ad patefaciendam artem alia methodo compuliſſemus, atque ita me dimittebant. Poſtquam domum rediiſſem, triſti vultu intuens crucibulos eosdem minutiſſime pulveriſatos aquā ablui (vulgo geſchlemmt) purgatiorem partam ſeparatam, in crucibulo liqua-

liquavi, fuſam infundibulo infudi, iterumque in novo tigillo fudi & finavi. Tandem hoc aurum per antimonium finare conabar, mox vero atque antimonium injeciſſem, pulchrius & gravius evaſit; ego hoc viſo, animitus contriſtabar, ſuſpirans o bone DEUS! qualenam hoc eſt aurum? Iſtiusmodi per omne vitæ meæ tempus non vidi; hoc aurum nitidius eſt illo quod terra provenit: Accepi vero tantum hujus auri ex crucibulis ita tractatis, quantum octodecim Imperialibus emi poteſt. Hoc jam per totam urbem innotuit. Et facile nunc aſſequi poſſum, quod ſi Dominus Snyders pondus integrum quatuor granorum accepiſſet, omne plumbum in aurum fuiſſet converſum; id vero ille ſponte omiſit, ut me luderet, & follibus ſtrenue exercendo fatigaret. Hæc mihi ipſi (inquit Guilliaem) acciderunt, plurimi haud infimæ ſortis Viri Aurum hoc viſuri, ædes meas viſitarunt, quibus ego aſpectum illius nunquam denegavi, &c. Hucusque hiſtoria.

D. Berlichius addit, poſſem de hoc Joh. de Monte-Snyders adhuc plures alias reddere hiſtorias ejusdem argumenti, niſi in immenſum excreſceret Diſſertatio, quæ modicis coercenda limitibus. Quod ſi interea tibi, Lector, difficile videatur, his fidem adjungere, requieſcas in tua opinione, nam propter tuum affirmare, vel negare, nil mutabitur in re.

XIV. Artem noſtram Europæ Confinia tranſiiſſe & ipſam Sinam quoque intraſſe teſtatur *Joh. Nieuhofius* in deſcriptione Sinæ p. 295. & *Eraſmus Franciſci* in exterorum Artis & morum ſpeculo Libr. I. Hiſtor. 16. p. m. 98. ſequ. & quidem ex *Trigautio* & *Martino Martinio*. Quamvis autem dicti Sinenſes hac inſane nimis abutantur, ut propterea etiam vix & ne vix quidem, deſiderato potiantur fine, tam in re medica, quam metallica, illa enim reges nonnulli immortalitatem adipiſci poſſe falſo ſibi perſuadebant, hac vero ob inſatiabilem & damnatam auri & argenti famem; nihilominus adducam duo exempla, ſtolidam hac in parte Sinenſium vanitatem ſimul tamen artis veritatem demonſtrantia.

1.) Sinenſium vanitatem abſurdam haurias e dicto Franciſci loco citato p. 99. Imperator Hiaovus a chymico quodam perſuaſione deceptus firmiſſime credidit, ſi certum aliquod medicamentum ab eo præparatum aſſumeret, ſe mortalitati non fore obnoxium. Fidus ejusdem Amicus (Conſiliarius potius aut Miniſter) fruſtra ſæpius animum ejus ab hisce vanis impreſſionibus liberare tentavit. Aliquando

do tandem memorabili dolo Imperatorem ad frugem perduxit, dum potum, cui mixtum erat medicamentum, Cæſare talia neutiquam cogitante, ſubito ebibit. Cæſar valde ira percitus, ſtricto gladio illum aggreditur, mortem minans, ille vero ſubridens dixit: *Me non occidere potes, cum hauſerim potum immortalitatem nobis, uti credis, conciliantem.* Quibus verbis ad ſaniorem rediit mentem, erroremque riſu dignum faſſus eſt Cæſar, ſapientiamque Amici laudavit. *Olearius* in Itinerario perſico paulo aliter deſcribit hiſtoriam allegatam, nimirum poculum, e quo bibere conſueverat dictus Sinenſium Imperator, ex efficaci auro chymico fuiſſe præparatum ſcribit.

2.) Aliud Exemplum Sinenſe pro Artis veritate militans eſt tale: Idem Cæſar Hiaovus, creſcente debilitate ſenili, mortem inſtare judicat, propterea pro continuanda ea, qua Regimini publico ſemper laudabiliter præfuit dexteritate, convocat Conſiliarios ſecretioris Conſilii, & poſt varia alia jubet, ut aperte, & juxta conſcientiam proponant, ſi quædam pro ſubditorum & reipublicæ commodo eſſent melioranda, abroganda, mutanda, &c. Ad quæ quidam Conſiliariorum regerit: Nimis benignas, Gratioſiſſime Cæſar, dediſti aures illis, qui artem Vitæ prolongandæ, & immortalitatis acquirendæ docent, quonam vero affectu id factum ipſe jam experiris, viribus tuis ſenectute conſumtis; proinde humillime petimus, velis mentem mutare, ac artem hanc multa dicentem & pauca probantem deſerere. Cæſar reſpondit: Vera profers: Hactenus enim me fraudulenti iſti ſeduxerunt, hoc tamen propria mea culpa factum, cum nimium fuerim credulus, jam vero ipſorum verba mendacia fuiſſe certe patet, finis enim vitæ meæ inſtat, quam mihi prolongare, mortemque plane evitare ſperaveram: Multa abſurda hac arte inſtitui, magnas impenſas feci, hoc unicum tamen obtinui, ut caniſtiem hancce meam ſine morborum inſultibus, & ab ægritudine immunis obtinuerim, artem enim Alchymicam in hoc multum præſtare poſſe, nullus dubito, immortalitatem autem cuidam conciliare neutiquam valet.

XV. Coronidis loco produco quendam, qui veluti Sorex ſe prodit, ille eſt aliquoties hactenus citatus *Celeberrimus Kircherus*: Hic Mundi ſubterranei Lib. II. Sect. 2. Cap. 9. pag. m. 283. pro Alchymia ſummis opprobriis afficienda corraſis variis rationibus, tandem plane ad Acherontem a ſuperis deſcendit, ſtatuens, Dæmonem ut plurimum ſe ſe Alchymiæ Cultoribus eorumque laboribus immiſcere,

ſcere. Quamvis autem hoc fieri poſſe in genere concedam, præcipue ſi ſine legitima vocatione ac malo propoſito laborem hunc magnum aggreſſi ſint, ac proinde optato fine potiri non valuerunt, hinc formidine inſtantis ignominiæ & paupertatis, deſperati quaſi redduntur, ac illuſionibus fraudibusque diabolicis periculoſis ſe ſe ſua ſponte exponunt; cum inſuper tenebricoſus ille mille artifex pro capiendis atque decipiendis reproborum & ſecuriorum animabus, facultatum aliarum quoque cultoribus, chymia neutiquam concurrente, ſe ſe aliquando immiſceat, teſtantibus plurimis exemplis, pro acquirenda ſapientia, honore, divitiis, generoſitate, impenetrabilitate, &c. Vir tamen hic magnus denuo argumentatur a particulari ad univerſale, modo in Philoſophia irrito.

Ne autem iterum ipſi tenuia mea opponam verba diſſentientia, loquatur pro me cum aliis Curioſiſſimus *Eraſmus Franciſci*, qui in extraneo Artium & morum ſpeculo Lib. IV. Cap. 1. pag. 1214. inquit:

„ Proinde Alchymiæ hoſtes nihil evincunt larva diabolica, incumbit enim ipſis, ut probent, diabolum parare Tincturam Univerſalem, vel aurum purum immittere crucibulo, ſubducto viliore metallo. Quamvis enim exempla nonnulla poſſent dari, quod aliquot avaros ſeduxerit ac deceperit, vel alios juverit, inde tamen univerſalem concluſionem ſubnectere non licet. Corruit potius Antagoniſtarum ſuſpicio, diabolum, hoſtem hominum infenſiſſimum citius conficere venenum, quam Tincturam univerſalem, utpote medicamentum incomparabile. Et paulo poſt: Verum, uti dictum, hoc realiter fieri in hoc vel illo caſu, & quidem ſemper, clara indiget probatione, quæ deficit contradicentibus. Nihil ergo adſcribendum eſt Fonti Stygio, quod manifeſtis ratiociniis e fonte naturæ oriundis eſt demonſtrabile. „ Hucusque laudatus Eraſmus Franciſci.

Minime autem nos ferit Hiſtoria producta Kircheriana, quam verbis magis contractis addam:

„Vir quidam Chymicæ artis peritiſſimus mihi retulit ſequentia: „Cum ego plures annos in Alchymia ſine ullo profectu conſumſiſſem, „& quodam die intento ab Alchymiſtis ſcopo, id eſt, Lapidi conficiendo totus incumberem, & arcanum me penetraſſe, plane mihi perſuaderem, convenit me Vir quidam antea ignotus, ac humaniſſimis

„ verbis ſalute imprecata, quæſivit, quid agerem, & cui rei tanta ſol-
„ licitudine incumberem? Video, inquit, ex chymicis Tuis vaſis, &
„ materiarum congerie, Te magnum quid in arte chymica moliri;
„ ſed quod intendis, minime Te conſecuturum crede. Ego reſpon-
„ di: Si Tu aliquid melius noris, id me doceas velim; dixit, obſequar
„ voluntati Tuæ, & mihi in calamum dictabat, veram procedendi me-
„ thodum. Hæc juxta præſcriptam methodum operando in praxin
„ redegi. Labore peracto exemi materiam in vaſe reducentem in-
„ ſtar olei, & ſuperfuſo liquore mox congelatam maſſam reperi, quæ
„ in pulverem redacta, & ſupra 300. libras hydrargyri projecta, illud
„ in aurum obrizum naturali nobilius, apud aurifabros omne exa-
„ men ſubiens, convertit. Ego ad rei inuſitatæ eventum attonitus
„ præ gaudio jam in Crœſum redivivum me evaſiſſe cenſebam; Poſt
„ maximas gratiarum actiones quærebam, undenam eſſet. Reſpon-
„ dit: Se mundum peragrare, nullius ope aut opibus indigere, ami-
„ cis in deſperato Artis magnæ exercitio inutili labore ſe fatigantibus
„ ad proſequendum ſtudium nonnihil de arte ſua communicare. His-
„ ce dictis hoſpitio, quod humaniter obtuleram, recuſato, ad publi-
„ cum divertit. Poſtero die ſummo mane, benefactori iteratas gra-
„ tias acturus, ad diverſorium me confero. Sed tabernarius dicit, ſe
„ nullum ea nocte habuiſſe hoſpitem; accedo omnia urbis diverſoria,
„ ſed omnes dicunt, ſe nihil de eo nec vidiſſe, nec audiviſſe. Domum re-
„ verſus ſtatim ad novum artis ſpecimen me accingo, juxta tenorem præ-
„ ſcriptorum præceptorum; ſed operatione peracta nullum rei ſucceſſum
„ reperio, & quia credebam, hunc errorem contigiſſe ex incuria, aut
„ unius vel alterius intermiſſione, maxima diligentia repetii opera-
„ tionem; ſed rurſus ſpe mea defraudatus, iterum iterumque opera-
„ tionem inchoabam tantis expenſis, ut omne aurum ex prima pro-
„ jectione acquiſitum expenderim. „

Edictis Kircherus cum amico ſuo concludit hoc opus fuiſſe illuſionem diaboli ſub ſpecie hominis apparentis. Verum ut nihil de hoc dicam, quod Amicus non ingenue, ſed juxta animi paſſiones & præjudicia rem narraverit; Quis enim crederet, quendam in Chymia peritum ad Tincturæ elaborationem, licet aliquoties inchoatam, in præſcripti unici proceſſus labore conſumere poſſe 300. Libras auri naturali nobilioris? Nec capere poſſum, quomodo extemporaneo modo potuerit conficere Tincturam, præſente hoſpite, cum tamen poſtea 300. libras auri prius confecti in illius præparatione fruſtra impenderit. Hoc ſaltem dico, illum pro ſcopo laboris habuiſſe auri famem & divitias acquirendas, uti ſenſus hiſtoriæ manifeſte docet,

hinc

hinc ipſe fruſtra laboravit, poſtea Adeptus hoc facile ſubolfaciens, aut veram laboris methodum ipſi perfecte non communicavit, aut Deus cordium ſcrutator labori non benedixit (qua de re capite ſequente plura proponentur) unde & factum, ut ille Adeptus clancularie & tacite abierit. Tales enim adepti volunt eſſe occulti, nec mundo ſimiles, veluti teſtantur Hiſtoriæ Theſi 8. 9. allegatæ.

Plane ſimilem quoque refert *Celeberrimus Jeſuita Delrio*, Diſquiſit. Magicar. Lib. V. c. 5. Quæſt. 2. Sect. 4. p. m. 72.

Antonius Tarviſinus, inquit, pharmacopola coram Andr. Gritto, Duce & præcipuis Patritiis Venetis, Argentum vivum in aurum commutavit; Narrabat ille a Gallo quodam, domi ſuæ per aliquot menſes hoſpitaliter excepto eum ſe pulverem honorarii loco accepiſſe; ſed ut eo, tanquam arcano uteretur. Se vero non tam privati commodi, quam publicæ fidei ſtudio erga Rempublicam Venetam, hoſpite inſcio, Venetias navigaſſe, rem Patriæ patribus indicaſſe, ſpecimen artis exhibuiſſe, privatim quoque in Corneliorum ædibus non ſemel. Interea vero gallum illum inſalutatis omnibus diſceſſiſſe, neque ſe quicquam amplius de ipſo reſcire potuiſſe.

Ut autem ad hiſtoriam Amici Kircheriani regrediar, rationi ſanæ non videtur congruum, hic confugere ad illuſionem aut communicationem diabolicam. Quam, quæſo, clauda eſt hæc conſequentia: Vir ille peregrinus volebat pernoctare in diverſorio quodam publico, ſed tamen in nullo reperire potui: Ergo ille fuit diabolus ſpecie hominis apparens? An non poterit ille diverti in domo privata, obſcura, vel iter ſuum in alium locum inſtitui? cum tales velint latere, & apud indignos eſſe incogniti, ceu modo dictum, & in ſequentibus dicetur. Æquus Lector conferat dictam hiſtoriam cum antea allegatis, & nullam intervenire diſcrepantiam fatebitur.

Supereſſent varia adhuc perſpicua teſtimonia, v. g. glorioſiſſimi Imperatoris Rudolphi, certi hujus Myſterii Poſſeſſoris, variorum item aliorum, e quorum ore rei veritatem hauſi; Cum autem ſatis jam fuerim prolixus, & cavendum mihi ſit, ne æquo Lectori moleſtus ſim; a reliquis vero, quorum cerebella tanta pertinacia obſedit & ſtupefecit incredulitas, ut modo adductam tamque claram, Virorum Magnorum fidem ſpernant, dubiamque reddant, nullum aſſenſum obtineri poſſe crediderim, licet vel ſapientiſſimus Salomo, vel ipſe ſanctiſſimus Moyſes cum ingenioſiſſimo ſuo Bezaleele, ad artificioſas metallicas operationes divinitus electo redirent, ac de rei certitudine teſtarentur. Propterea hæc dicta ſufficiant.

Coronidis loco, & obiter quaſi, hic addo, ex allatis hiſtoriis pateſcere, dari etiam divites Chymicos, neque de eſſentia eorum eſſe, ut ſint pauperes. Veluti in artis Chymicæ opprobrium circum volitat invidiæ ſcomma; hoc enim ſaltem ferit infelices, & indignos Artis diſcipulos, qui vel plane veram materiam & enchiriſes ignorant, vel malo propoſito rem aggrediuntur, ut proinde a vero ſcopo aberrent, ac ſpe ſua excidant, temeritatisque ſuæ dignas luant pœnas.

(*a*) Vulgo nota ſunt, quæ pauciſſimis ab hinc annis, *Bragadino*, Nobili quodam Veneto, evenerunt; qui cum Venetiis metalla vilia in aurum transmutandi artem profeſſus eſſet, & a populo per excellentiam Magnus Alchymiſta vocaretur, adiit eum *Toparcha Picolomineus* proſcriptus, a quibusdam Italiæ Principibus, petit mutuum triginta aureorum millia, & cupit imprudenter edoceri præterea artem, unde tantum ſibi paret poſthac quantum velit. *Bragadinus* pavore exanimis, cum nec haberet, quantum ille peteret, & multo minus artem calleret, nihil ob ejus crudelitatem & temeritatem negare auſus, promittit utrumque: ſed cum differt & tergiverſatur, nunc hæc nunc illa excuſando, alter acrius inſtare & mortem minari, ni promiſſum exſolvat, nec enim ſe rideri a quoquam velle, aut parvipendi. Cogitur itaque ſtipatorum caterva ſe munire adverſus inſidiantis ferociam, quod tamen ipſi parum profuiſſet, niſi ſui immemor dum alteri laqueum tradit, *Picolomineus* ipſemet in caſſes incidiſſet, & captus fuiſſet. Evaſit tum Bragadinus pejori ſorti ſuæ reſervatus.

(*b*) Poteſt contingere fortaſſe, ut ars transmutandi metalla ad indignos aliquando deveniret, quos ad aliorum exemplum DEUS non ſerus vindex atrociter puniat, qui æque bonis ac malis utitur ad nominis ſui gloriam. Accepi a Nobili quodam Viro noſtra hac ætate, Monachum quendam Italum hac arte confiſum religioni & ordini ſuo renunciaſſe, & in Germaniam veniſſe, ut liberius viveret, cucullam & aſpera Monaſteriorum deteſtatum, ſed tum incautius ſe gerit, duos in intimam ipſius familiaritatem ſeſe inſinuaſſe, a quibus poſtea in ſylva quadam ex itinere maximo ſcelere trucidatus ſit, quorum alter pulverem apud Monachum repertum pro ſuo diverſis Principibus & Magnatibus oſtenderit, & mille impoſturis ſub falſo ſcientiæ nomine homines illuſerit.

(*c*) Induſtria Curioſorum eo deventum eſt, ut non amplius a calore & frigore, neque â forma vel qualitate, vel aura peculiari lapidifica, ſed ſolo

ſolo ſpiritu vel ſale plus minus acido ſalſo, & volatili omnes lapides generari, omnemque petrefactionem etiam ſubitaneam fieri conſtet: 1.) enim ſal, in primis acidum, propter partium hamoſitatem, eſt principium omnis coagulationis firmæ. 2.) Lapides tantum in locis ſalinis, & e materia ſalina proveniunt, quemadmodum etiam Tartarus Vini, & calculus in corpore humano tum demum generantur, quando partes terreæ mucilaginoſæ plicabiles, a ſalinis acidis tam copioſe colliguntur, ut in poris liquorum ſuorum amplius contineri nequeant, ſed ad latera præcipitentur, ibidemque, abſumta ſenſim reliqua humiditate, in concretum lapidoſum abeant. 3.) Ipſa ſalia, e plantis aliisque parata & moderata licet humiditate ſoluta, loco frigido in cryſtallos concreſcunt eoque elegantiores & ſolidiores, ſi iisdem ſpiritus acidus aſpergitur. 4.) Cornua, oſſa, teſtæ ovorum aliaque ſolida ſuam concretionem a ſale habent, indeque 5.) in reſolutione chymica copioſum ſal præbent; Sic Calculus humanus, Tartarus & ſimilia deſtillata dant ſpiritum acidulum, relicto capite mortuo friabili, quibus ſi idem acidum reaffunditur, novum coagulum oritur: æque ac teſtæ ovorum aliaque calcinata per ſpiritum ſalis affuſum rurſus lapideſcunt. Et quamvis relationibus iſtis de integris pagis cum omnibus viventibus inquilinis, tam hominibus, quam brutis, ſubito ab aura quadam lapidifica petrefactis, temere fides non ſit tribuenda, quales apud *Kircherum Mundi ſubterranei Tom. VIII. Aventin. Lib. VII. Annal. Bavaric. Camerar. in Memorab. Cap. IX. & Cap. LXX.* & alibi leguntur, nihilo minus tamen corpora quæcunque, etiamſi non mineralia, ſed animalia quoque & vegetabilia, ſucco ſalino acido largiter imbuta, etiam ſubito & in inſtanti fere petrificari poſſe, nullum dubium eſt, quoniam particulæ ſalium ramoſæ & hamoſæ, ob defectum & abſumptionem partium humidarum mobilium, aut etiam accedente aëris preſſura majori a frigore, non ſolum per ſe in duriorem conſiſtentiam abeunt, ſed quoque corpora iſta intervenientia hamulis ſuis involvunt, & ſimul in lapides convertunt. Plura vide D. Chriſtiani Vateri Phyſicæ Experimentalis. Sect. V. Cap. VI. Quæſtio. I. II. & III.

CAPUT

CAPUT IV.

VENTILANS, AN CONSULTUM SIT CHRISTIANO, IMMEDIATE IN TINCTURAM UNIVERSALEM INQUIRERE.

MUltis ſane ſuperflua, imo abſurda & inſipida videbitur hæc quæſtio: Cum tamen prolixius fuerim in demonſtranda hujus poſſibilitate: quia etiam tam incomparabilis utilitatis & miraculoſæ ſit efficaciæ hæc Tinctura, uti ſuperius de ejusdem uſu ampliſſime deprædicatum & diductum, tantum abeſt, ut dubitandum eſſe videatur de elaborandi ſtudio, ut potius curioſi ac Philo-Chymici omnes ad tam utile, imo Divinum opus exercendum ſtimulentur & impellantur; cum irrefragabili piarum ac ſanarum mentium teſtimonio, neutiquam tempus commodius impendi poſſit, quam in labore aliquo DEI Opt. Max. Gloriam ac Proximi commodum, modis extraordinariis præcipue, promovente.

Verum enim vero, quamvis negari minime poſſit, ſi artem hanc ipſam per ſe conſideremus, omnino conſultum videri, eidem quemlibet incumbere, aut ejusdem exercitio animum applicare; tamen ſi perpendamus ponderoſiſſimas nonnullas circumſtantias, ſummeque dubios, hic intervenientes eventus, & plurimum varianta accidentia, neminem jure mihi hujus quæſtionis ventilationem vitio vertere poſſe, certe credo, ſi ſequentia æqua animi lance perpenderit?

Pro hac Controverſia eo felicius & facilius dilucidanda & ſopienda, præmitto hanc Theſin: DEUS Opt. Max. (cujus opera ſunt magnifica, & cogitationes ejusdem nimis profundæ, quos Vir inſipiens non cognoſcit, nec ſtultus intelligit, juxta Pſalmum 92. v. 7. 8.) Regale hoc donum revelat ac concredit ſaltem pauciſſimis, & quidem illis quos extraordinaria vitæ ſimplicis integritate, ac inculpato puræ fidei, pietatisque ſtudio pro Divinæ Gloriæ augmento, ægrorumque ac pauperum ſolatio illud adhibituros, nec æterno propriæ ſalutis diſpendio eodem eſſe abuſuros cognoverit. Per dictam

reve-

revelationem tamen minime intellectam volo fictam aliquam inſpirationem Enthuſiaſtico-Quackerianam, ſed quod labor hic inſtitutus methodo naturali minime e voto ſuccedat ſine ſpeciali directione & permiſſione Divina.

Audio hic ſtatim nonnullos confugere ad experientiam contradicentem, & contraria producere exempla v. g. Paracelſi & aliorum qui actionibus ſuis impiis ac Vitæ Chriſtiano indignæ impuritate propoſitum Axioma facile ac manifeſte deſtruant. Theophraſtum Paracelſum quod attinet, controverſiam quidem hanc non facio proprie meam, cum mei non ſit propoſiti, hic ejusdem mores & vitam examinare, aut ventilare. Nihilominus breviter dico, illum laudari ab his, veluti culpatur ab *Oporino*, aliisque.

Omnino tamen multa Theologica in ejusdem Scriptis plane Atheismum olent, ac duriuſcule ſonant in auribus vere Chriſtiani; Econtra vero e pluribus ibidem legitimus ejus erga Divinam Majeſtatem cultus quodammodo poterit demonſtrari, ut proinde pateſcat, illum fuiſſe hominem ingenii vagabundi, & inconſtantis; rei vero Medico-Chymicæ eundem plurimum utilitatis exhibuiſſe, nec invidi negare poſſunt; Ut enim taceam reliqua omnia, immortale meretur nomen, vel ob ſolam inventionem *Elixirii Proprietatis* atque *Mixturæ Simplicis*, (quam Arcanum Caduci ipſe appellitat) e qua alii poſtea Tincturam Bezoardicam compoſuere. Sed qui plura de Paracelſica Vita deſiderat, præter alios conſulat radiantem Phoſphorum Septentrionalem *Olaum Borrichium in Tractatu Hermetis, Ægyptiorum & Chymicorum Sapientia vindicata* inſcripto.

Ut ego ad objectum ſuperius dubium redeam, eique ſatisfaciam, regero. Poſito, Paracelſum (aut alios Poſſeſſores Tincturæ) Atheismi poſſe convinci, ac ejus mentem levitate, imo impietate execrabili fuiſſe imbutam; hoc tamen mea Theſis non infringitur. Nam DEUS cognoſcens hunc abuſum eſſe hoc regali Dono, illud illi, tanquam indigno iterum abſtulit, dum ille, qui varios pedem jamdum in Cymba Charontis habentes ope ſua medica retraxerat, ipſe morte immatura ad plures abire fuit juſſus. Paracelſum enim Anno ætatis ſuæ 43. vel juxta alios 48. mortuum eſſe, teſtantur hiſtoriæ. Quod quidem mortis tempus Tincturæ poſſeſſori non immerito præcox & immaturum nominandum, (ut taceam inſuper, una hirundine non probari Veris præſentiam.)

Poteſt enim juſtus Polarcha, & ſolet pro meritis noſtris & dare & auferre; quemadmodum Regem Saulum, quem antea e toto populo elegerat, ob malos mores poſtea iterum deſerebat. Non minus

Benedictio Domini divitem faciebat ſine labore, Regum Sapientiſſimum Salomonem, quamdiu omnipotenti huic rerum Directori commendebat vias ſuas, adeo, ut non ſine ſtupore legi poſſit, 1. Reg. Cap. 10. v. 14. quantam auri farraginem cumulaverit, argenti autem tantam tantam fecerit copiam, ut nihil vel vili æſtimatum, vel lapidibus æquiparatum illud fuerit. Poſtquam vero Polygamiam & Idololatriam cum Ethnicis inſectabatur ille, ſevera, eaque juſta percitus incandeſcentia DEUS Opt. Max. regnum non modo maximam partem detrahebat filio, ſed etiam cornu copiæ ſuum largiſſimo antea alveo benedictionem effundens ita conſtipabat & claudebat, ut redituum Director Argentum paulo antea lapidibus non carius habitum a ſubditis extorſurus lapidibus obrutus ad plures fuerit miſſus.

Ac veluti idem miraculoſus DEUS e ſexcentis millibus, & ultra Judæorum Ægypto ideo miraculoſe eductorum, utpote benedictæ ſuæ gentis, duos ſaltem, *Joſuam* nimirum, & *Calebum* promiſſam terram intrare permiſit, reliquis omnibus propter varia crimina perpetrata rejectis & in deſerto mortuis; nec pepercit ob commiſſum diffidentiæ erratum *maximo Moyſi*, cum quo ſæpius facietenus quaſi collocutus, ac familiariter, ut ſic dicam, eo uſus fuerat antea. Sic *Judas Iſchariotes* Collegii Apoſtolici erat membrum, ut proinde olim potuiſſet inter Primarios Eccleſiæ Doctores lucere veluti ſplendor Cœli, ac ſtellæ; quam male autem avaritia ſeductus rerum ſuarum, ac inprimis animæ curam geſſerit, Divinæ Clementiæ paſſus jacturam, etiam Pueri noſtri e Sacris norunt.

Quam brevem perſenſerint fructum a liberatione Sodomæ imbre ſulphureo-igneo ſubverſæ & ſubmerſæ Uxor Lothi, Divino mandato inobediens, docet Liber Geneſeos Cap. XIX.

Sic omnipotens, cujus manuum opera ſunt cœli, & pedum ſcabellum eſt terra, e tot Mundi regnis, e tot Provinciis, e tot Urbibus conſtituerat, Hieroſolymorum urbem quaſi ſedem exercitii Pietatis, ejusque templum habitaculum cultus ſui Divini, ibidemque habebat ignem & focum ſuum juxta popolum ſanctum e cunctis aliis electum in glorioſiſſimi Nominis ſui ſanctiſſimi memoriam. Quomodo autem ingratum & impium hunc populum ſe ſe deſerentem deſeruerit, loquitur in omnium ore dictæ urbis excidium, excidiorum omnium horribilium, horribiliſſimum.

Eidem fato ac pœnæ, ceu jam de Paracelſo, Atheiſmi incuſato dictum obnoxii ſunt alii indigni, ſi qui dantur, Myſterii hujus Poſſeſſores. Cuicunque enim hominum licuerit eſſe tam beato,

ut hoc fuerit adeptus, idque poſtea ad uſus illicitos & impios adhibuerit, illi certe in propinquo eſt vindicta Divina interitum minans.

Juxta enim hiſtorias capite præcedente allegatas, ut & aliorum experientiam, DEUS tunc vel permittit, ut ante diem ſuum moriatur dictus Poſſeſſor; vel ut ab aliis ipſi eripiatur Theſaurus, & hoc quidem aut clanculum, aut manifeſte, ſæpe non ſine vitæ ſuæ diſpendio, vel ut aliis modis hic improviſo peſſumeat.

Similiter alii aliis hoc ſuffurantes, aut per fas & nefas comparantes brevi ſaltem temporis ſpatio, ac ſibi infauſto eventu de hujus poſſeſſione poſſunt gloriari, cum illegitima & prava intentione (ut plurimum Auri fame impulſi) id obtinuerint, ſecundum commune dicterium: Væ tibi, qui ſpolias, nam mox ſpoliaberis ipſe.

Objectionem illam ſcopticam, quod Paracelſus, aliique Tincturæ Poſſeſſores non fuerint longævi, nonnulli quoque ſolvunt per rationes Phyſicas; vitæ nimirum abbreviationem fortaſſe talibus accidere poſſe, ob Tincturam frequentiore ac largiore doſi ſumtam, dum a ſumme efficaci & penetrabili hujus virtute calor innatus quaſi ſuffocatur. Videmus quidem communiter multos mori ob ſpirituum reſolutionem & defectum; non paucos tamen etiam ob ſpirituum ſuffocationem, ſanguine plethorice & flatuoſe nimis ebulliente, & præternaturaliter fermentante, v. g. in febribus ardentibus, in copioſe hauſto vino generoſo, ejusque ſpiritu, &c. Aut veluti videmus ellychnyii flammam diu in ſtatu ſuo ſuſtentari vegetam, ſi debita olei portio ipſi affundatur; cito autem ſuffocari & extingui, ſi largiore olei affuſione obruatur.

Sopita hac Paracelſica Controverſia, regredior ad dilucidandum propoſitum meum Axioma, nimirum, quod DEUS Opt. Max. Arcanum hocce ſaltem concedat, & concredat pauciſſimis vere piis; Proinde rebus ſuis optime conſulit ille, qui antequam mentem manumque maximo huic labori applicat, prius ſecum habitet, cogitet, & ex ſe ipſo accurate quærat, quisnam ſit? hoc eſt ad quæ negotia pertractanda DEUS Maximus ille Pater Familias talentum ſuum deſtinaverit?

Illi igitur, qui vocationem legitimam ſibi promittere poterunt, eam obtinent, vel *mediate*, vel *immediate*. 1.) *Immediate* quidem hæc præcipue competit Medicis. Horum enim ſtudia & meditationes niſi conſcientiis ſuis ſtigmata velint inurere, ſunt inſtituendæ, non ſolum, ut medicamentis diuturna anteceſſorum experientia comprobatis corpora humana, a morbis præſervent, & per illa iisdem hos exturbent; ſed etiam ut Regnorum, animalis, vegetabilis & mine-

ralis res naturales magis magisque ruminent, in harum qualitates tam Philoſophia ſpeculativa, quam præprimis pyrotechnica laborioſe & accurate inquirant, nec ſaltem credant, quod veteres crediderint, ſed aliorum inventis pio & licito faſtu & æmulatione ſua addant, adeo, ut quo plus ſint potæ, plus ſitiantur aquæ. 2.) *Mediate* vero decenter & legitime ſeſe vocatos credere poterunt Proceres & Magnates mundi: in ſpecie illi, quorum ditiones cœleſtis Diribitor & Gubernator ditavit metallifodinis ac ſimilibus ad has pertinentibus, variasque ita naturalia ſcrutandi occaſiones præbuit.

Quemadmodum enim Rex aut Dux aliquis in Territorio ſuo ſummus Epiſcopus atque animæ ſuæ ſaluti conſulturus, rerum Theologicarum curam debet gerere, & de ſubditorum animabus omniſcio rationum examinatori ſtrictam olim reddere cogetur rationem, ac veluti idem ſupremus eſt Legislator, juſtitiæque Adminiſtrator, virtutes ſtabilire, vitiaque exturbare tenetur; ita non minus, ſi talentorum ſibi concreditorum debitam vult exercere diſpenſationem, metallorum, mineralium, imo analogorum omnium, rem phyſicam concernentium, quibus ſubjecta terra dotata eſt, per viros rerum, Medico - Phyſico metallicarum apprime gnaros rigoroſam merito inſtituat inquiſitionem, num inde aliquid emergere poſſit, quo DEI Gloria, commodior ſubditorum ſuſtentatio, ac proximi utilitas magis magisque promoveri; Sanitas item præſens conſervari, ac amiſſa reſtitui valeat.

3.) Hiſce *mediate* vocatis ſubjungimus & adnectimus alios Viros magnos & divites, qui Chriſtiana & laudabili curioſitate ad rerum metallicarum, aliarumque Phyſicarum indagandarum culturam rapiuntur, ac opes ſuas pio ac devoto fervore, aut hæreditario ſæpe ſtimulo huic impendunt. Si quando igitur unus & alter modo dictorum pia devotione ac vere Chriſtiano propoſito incitatus, atque animum curis publicis, meditationibusque aliis utilibus fatigatum recreaturus, dum miraculoſas Naturalium operationes ſcrutatur, aut doctos miniſtros ſuos ſcrutari jubet, ſimul audeat aggredi elaborationem Tincturæ Univerſalis, rem forte faciet Numini Divino non inviſam; caveat modo ne limites curioſitatis transcendat, aut per hæc obliviſcatur Muneris ſui ordinarie obeundi, aut invito marſupio ſuo tam ardua tenet. Si vero fortaſſe eveniat, ut loco deſideratæ pyxidis aureæ accipiat ſaltem argento aut plumbo repletam, (præſuppono tamen in methodo elaborandi non fuiſſe peccatum; alias habet, quod ſibi ipſi adſcribat errorem, & inde ſecutum irritum effectum) ægre minime ferat; ſed contentus groſſo

ſua

ſuo accepto, juxta Matthæum Cap. 20. v. 9. certiſſime ſibi perſuadeat, illum, qui animarum noſtrarum ſaluti invigilat, optime noviſſe, talem eventum ipſi fuiſſe magis conducibilem. Per adeptionem vero pyxidis argenteæ vel plumbeæ indigito; licet ſpe ſua nimirum Tincturæ adeptione, primario exciderit operator, nihilominus raro omnem ille ſit perditurus operam; cum hoc modo, ut plurimum inveniantur tam in re medica medicamenta egregia, quam in re metallica, &c. enchiriſes raræ pro valetudinis & crumenarum commodo. Ut enim nihil dicam, quam egregia menſtrua pro ſolvendo auro, argento, coralliis, &c. (a) & varia utilia alia inveniantur, dum meditationes & labores impenduntur Tincturæ Univerſali a legitime vocatis; unici Exempli loco adduco ſaltem *Spiritum Mundi* & huic analoga Medicamenta ſpecialia, laudabilibus effectibus ſe ſe pluribus in morbis manifeſtantia: de quo videatur Nietnerus, peculiari de hoc Tractatu, Frid. Hoffmannus Clavis Pharmaceutic. Schrœder. Lib. 3. Cap. 3. pag. 140. 141. & Lib. 3. Cap. 9. pag. 211. it. alii plures. Optandum eſſet, ut nonnulli e mundi primatibus potius reditus ſuperfluos impenderent in accuratiorem rerum naturalium perſcrutationem, unde DEI Gloria ac ſubditorum (quorum quomodo curam geſſerint, rigoroſum & horribile ipſis imminet examen) ſalus, ſanitas & ſuſtentatio commodior emergeret; quam ut ex ambitione, Avaritia, &c. delicias quærant in bello ſæpe ipſis inutili, imo ſumme noxio, ſimilibusque rebus ruſticorum cruore, lacrymis & ſudore anxio perfuſis. Negari enim neutiquam poteſt, beneficentiſſimum Creatorem ditaſſe varia loca theſauris inæſtimabilibus, in terræ non ſolum profunditate latitantibus; ſed etiam ſæpe ſuperficietenus, ſub vili quidem & ſpreta ut plurimum facie, noſtro viſui expoſitis, vel ipſam illam Poſſeſſoris ditionem, ſi venderetur, pretio ſuperantibus.

Si modo territorium nonnulli Domini, (nonnulli dico, quum alii deſideratum laudabiliter præſtent, aliis vero præſtandi occaſio deficiat,) oculos aperirent; & qui horum ſunt manus & oculi, (Conſiliarios & redituum Directores intelligo) in hos inquirerent, vel eruditos inquirere juberent; quod deſiderium quidem præprimis florente aurea Pace intellectum velim; cum enim inter bella ſileant leges; tantum abeſt, ut bellona ſimilia curioſa tractari ſit admiſſura, ut potius ſanguinem plebis, (metamorphoſi Philoſophis & Chymicis etiam acutiſſimis incredibili,) per nimias taxationes, & extorſiones fere crudeles in Aurum & Argentum ſit transmutatura; qua vero conſcientia id fiat, meum non eſt, hic inquirere, aut decidere.

Proinde Poſſeſſoris deſidiæ & indignitati eſt adſcribendum, quod ſimilia occulte ſepulta lateant arcana.

Quibuscunque vero aſſignatum eſt vitæ genus aliquod a medico-chymica rerum phyſicarum perluſtratione, ſeu *mediate* ſeu *immediate* inſtituenda, uti jam dictum, alienum, illi certe credant, ſe ſe carere legitima ad hoc opus vocatione; hac vero utpote ſumme neceſſaria deficiente, ii ſibi porro perſuadeant, ſe ſe ſua ſpe ac fine infallibiliter excidere; aut ſi forte Tincturam improviſo obtinerent, poſſeſſionem hanc futuram ipſis eſſe brevem, irritam, imo periculoſam. Si enim Cardiognoſtæ cœleſti, corda & cogitationes noſtras obſervanti, in magno illo rationum die cogemur rationem reddere de quolibet inutili verbo, teſte Scriptura Sacra, quam rigoroſa, quæſo, expectanda erit inquiſitio, de talento concredito, non tam ſermones, quam labores noſtros ipſos concernente, an illud decenter & legitimo modo fuerit expenſum: Minime enim ſupervacanee aut ludicre dictum judices dicterium Syracidis Cap. 3. v. 23. 24. 25. Non tibi conducit, ut proſequaris illa, quæ non habes in mandatis: & tui quod non eſt muneris, frivole ne aggrediaris, jam dum enim plus tibi eſt commiſſum, quam poteris exequi; qui vero periculum amat, in illo peribit.

Tales autem ſine debita vocatione laborantes optato ſcopo non eſſe potituros, ſed bona ſua pro lapide acquirendo dilapidaturos eſſe, vel inde conſtat, quod ob finem vero Chriſtiano indignum, nimirum avaritiæ, arrogantiæ, aliisque illicitis & impiis ſtimulis incitati laborem tentent & inſtituant.

Nec habent, cur majorem ſibi ſpem hoc de trophæo concipiant, omnes illi naſutuli Philiatri, utpote levioris armaturæ milites, qui vix Veſtibulum Theatri medico-chymici ingreſsi, ac primis ſaltem labris guſtantes Nectar & Ambroſiam Phyſicam, ſine jactis fundamentis decentibus in hac arte ſumme difficili, nec prius ſucceſſive cognitis ſcitu neceſſariis, cum Icaro altioribus nimis præcipitanter inhiant, nihil, quam arcana crepant, & meſſem quaſi inſtituunt, antequam ſerant.

Similes imo adhuc inferiores ſunt hiſce omnes illi indocti Cinifiones ac vagabundi laboraturculi, qui auſu temerario, illotisque quod dicitur, manibus in arduum hoc ſtudium irruunt, ac pro accipiendo hoc Eridos pomo manum indignam præcocius extendunt; falſo credentes, incumbere elaborationi Tincturæ univerſalis, unum eſſe idemque cum præparatione Vitri antimonii, ſalis Tartari, ſpiritus Nitri, &c. aut cum communi metallorum fuſione ac ſeparatione, &c.

Quam-

Quamvis autem præcipuum meum ſit propoſitum, hic tractare de Tinctura Univerſali, & quæ ad hanc viam pertinent, nihilominus obiter quaſi, & propter analogiam mentio itidem facienda illarum transmutationum, quæ *via particulari*, quam dicunt, inſtituuntur, dum nimirum metalla ignobiliora, item alia varia mineralia & metallica, mediantibus ſalibus, aliisque modis in aurum & argentum exaltantur. Quicunque igitur meditationes, labores & nummos ſuos talibus Particularibus impendunt; illi non minus de legitima Vocatione ſibi proſpiciant, alias, ſi ſua ſpe fruſtrentur, & non obtineant, quod volunt, non habent de quo mirentur, ſed expendant antiquum illud:

Quilibet fortunæ ſuæ faber.

Hi ipſi hactenus recenſiti currentes, licet a Deo non mittantur, ſunt præcipui e profanatoribus Tincturæ Noſtræ, dum enim cœcutientes aut cœco cœcum ducente, uti modo dictum, tantum opus tentant, ſine vero ſcopo, a vero ſcopo merito aberrant; & cum inflorente vegetæ ætatis æſtate cum formica rebus ſuis domeſticis, non adeo caute & prudenter proſpexerint, accedente famelica ætatis ſenilis hyeme, facta irreparabili & famæ & temporis, & nummorum divinitus concreditorum jactura, nimis tarde dolent, per intempeſtivam auri novi perquiſitionem proprio auro ſeſe ſpoliatos, ſero cum phrygibus ſapientes, nec alienis periculis cauti facti. Propterea non immerito omnium ludibrio ſeſe exponunt; inde autem fit, ut alii circumſtantiarum ſimilium ignari, ac rem ſuperficiarie expendentes illud, quod abuſui artis deberent imputare, Arti ipſi adſcribunt; atque ita inveterato illi plurimorum in hanc odio perpetuum additur fomentum, maledicusque linguæ invidæ acuitur ſemper aculeus.

Hoc fit eodem quaſi fato, quod jam ex ſuo abuſu experitur nobiliſſima Poëſis, dum nimirum rudis & illiterata iſta verſificum mendicantium ſecta, ut illa hodie a pluribus vili æſtimetur, anſam præbet. Cum tamen Viri illius juxta cor Dei, Davidis, Pſalmi, ut & innumerorum aliorum cantilenæ ferrea impiorum corda emollientes, nihil aliud ſint quam Poëmata ſacra; ut nihil dicam de vaſta illa & immenſa Gnomarum ac dicteriorum aureorum farragine, quam Poëtæ qua antiqui, qua neoterici, qua Ethnici, qua Chriſtiani oculis & auribus omnium, incomparabili proximi emolumento expoſuere, & adhuc exponunt.

Cum igitur pauciſſimi, uti dictum, hoc Myſterium adipiſcantur, ſecuriorem viam eligunt omnes illi, qui ſibi ipſis diffidentes, verentur ut fragilitate humana victi, imperſcrutabili Divinæ voluntatis mandato, omnia dirigente, ac ſua ſorte (acquirendo forte pyxidem plum-

plumbeam) ſint contenti, ſi integram & plenariam Tincturæ elaborationem non adoriantur, aut tentent; ſed ſecundum vulgarem illam chriſtianorum Normam: Ora & labora, in vinea Domini fodiant, id eſt, munere ſuo fungantur, curioſitatibusque naturalibus non adeo ſublimibus perſcrutandis immediate & ſerio incumbant. Spe freti certiſſima, Deum providum noſtrum Tutorem & benefactorem ſuis fidelibus dormientibus dona diſtribuentem, & hoc regale non minus improviſo illis eſſe exhibiturum, ſi æternæ animarum ſaluti conduceret. Veluti Divina Majeſtas olim ad majora opera ſua obeunda ſæpius elegerat ſpretos & abjectos, v. g. *Moyſen*, fugitivum, gratioſum Regiæ filiæ favorem aſpernentem, *Davidem*, opilionem, *Saulum* Agaſonem, *Deiparam Mariam* humilem, Apoſtolos piſcatores, &c. Siquidem fateri cogentur plures rerum phyſicarum Indagatores, ſeſe ſæpius, dum intenſo fervore invigilant, aut inſidiantur enchiriſeos cujusdam, aut alterius rei adeptioni ſua ſpe excidere; alio vero tempore ſuperficiarie quaſi hoc vel illud tractantes, reticula ſua, maximam Piſcium copiam conſtringere, illudque ex inſperato, quod antea ad faſtidium & laſſitudinem usque fruſtra quæſiverant, cœlitus accipere, quod ego multorum, propriaque experientia ſtabilire poſſem.

E contrario quemadmodum Deus O. M. dignis ſuis, quos ad hoc opus elegit, inter dormiendum quaſi exhibet id donum, ita illi omnes qui Deo quaſi abnuente huic inhiant, veluti cœcutientes, aut cœcos cœci ducentes, a ſcopo aberrant, quamvis inſigni polleant ingenii acumine ac oculatiſſima circumſpectione rem tractent; vel ſi etiam talium nonnullis licuerit eſſe tam felicibus, ut opus hoc maxima ſui parte, vel quoque plenarie abſolverint, tamen deſideratiſſimus illius uſus, aut plane non, aut breviſſimo ſaltem temporis ſpatio a Deo illis conceditur. Cujus rei plura mihi certiſſime conſtant exempla; ut unius ſaltem & alterius meminerim, addo ſequentia.

I. Primo rogatum volo amicum Lectorem ut regrediatur in caput antecedens, ubi nonnulla adductorum exemplorum Tincturæ exiſtentiam firmiſſima veritate demonſtrantium pro hac mea ſententia aperte militabunt & teſtabuntur.

II. Secundo retulit mihi Chymiater Lipſienſium maxime famigerabilis, D. *Joh. Michaëlis* ſeſe aliquoties non ſine maxima animi delectatione oculis uſurpaſſe materiam e Materia univerſali præparatam vitro incluſam, in locis tenebricoſis, & noctu radios ſcintillantes, inſtar candelæ, diffundentem, apud *Celeberrimum Sereniſſimi Saxoniæ*

Electe-

Electoris Campi-Mareſchallum, Joh. Georg. ab Arnheimb, cujus rerum bellicarum heroice geſtarum non oblivifcetur Europa noſtra; Hic negotiis militaribus fatigatus, inter alias utiles curioſitates chymicis operationibus ſpiritus ſuos refocillavit, & quod ſibi ipſi adeo commode non licebat, per alios fieri curavit. Flammivomi autem hujus arcani Hiſtoriam mihi clarius detexit, Nobiliſſimus Aulæ Noſtræ Præfectus, & Conſiliarius bellicus, *Johannes Chriſtophorus Pflug*, qui tunc apud dictum Arnheimium inter nobiles erat Ephebos. Hic enim præcipue cum famulo cubiculario aliisque, alternis vicibus per duos fere annos nocte dieque in itineribus, caſtris, &c. Vitrum oblongum, ſigillatum, pulverem obſcure viridem continens, in manu geſtare, ac perpetuo movere & agitare in mandatis habebat. Ad motum, per tempus magis continuum apparuerunt multa grana piſorum & lentium magnitudine quaſi ignis ſcintillantia. Ceſſante vero per temporis aliquot ſpatium motu fortiore, evanuit etiam radians & igneus pulveris ſplendor. Unde acceperit Vir generoſus dictum vitrum cum pulvere, non adeo certe conſtitit Nobiliſſimo Pflugio, niſi quod noverit, ipſum cum Anglo quodam Hamburgi degente ob varia curioſa & arcana ſæpius exercuiſſe colloquium literarium; Ipſe vero Dominus Campi Mareſchallus aperuit Domino D. Michaëlis huncce pulverem eſſe Tincturam Univerſalem, maxima parte abſolutam, & perfectam, ſibi a magno artis filio, theſauri loco concreditam & donatam. Sed audi eventum; Cum fatis urgentibus generoſiſſimus ille Archiſtrategus in hoſtiles inciderit manus, ſimul hoc vitrum ab iisdem indignis direptum manibus abiit, exceſſit, evaſit, erupit, & procul dubio confractum a milite ac poſſeſſore quodam imperito, pulverem pyrium huic pulveri anteponente.

III. Chymiatro conſummatæ Eruditionis & Experientiæ concreditur a quodam Europæo Principe proceſſus, vel deſcriptio Laboris Univerſalis, de quo certiſſime conſtabat, eundem ab Anteceſſoribus modo præſcripto fuiſſe elaboratum, ut denuo hoc opus tentaret, & felici auſpicio abſolveret. Hic ſecundum conſcientiam & ſcientiam facit facienda, ſed infauſto aliquoties effectu; vel enim vitra rumpebantur, vel quædam Enchiriſis, ipſo minime talia cogitante, aut ſuſpicante, erat omiſſa. Hinc expendens, vim unitam eſſe fortiorem, & quod plus videant oculi quam oculus; & plura perficiantur manibus, quam manu, concedente ſuo ſuperiore, pro re denuo caute aggredienda, & dextre finienda, duos ſibi adſciſcit

ſocios

ſocios veteranos in caſtris chymicis milites. Triga hæc Medicorum in laboribus pyrotechnicis rerumque naturalium perluſtratione exercitatiſſima, ut tandem tandemque poſt tantas meditationes, tantos ſudores, tantasque exhibitas impenſas reportent hucusque denegatum ipſis dignum Trophæum, nimirum *Tincturæ Univerſalis* acquiſitionem, concludunt, ſeſe velle *Materiam Catholicam*, accurate prius ponderatis, & ſancta fide invicem communicatis omnibus circumſtantiis, una eademque methodo, tractare, fervente autem inter manus opere ſeſe invicem frequenti literarum commercio, ingenuisq; conſiliis, cum diverſis in locis hæc fierent, adjuvare. Aliquot menſibus e voto ſuccedebat negotium, & eo feliciorem hujus eventum ſibi promittebant, cum id ſagaciori ingeniorum dexteritati ac concordi conſultationum in principiis phyſicis ſolide fundatarum fundamento eſſet ſuperſtructum, atque indefeſſa labor agilitate, & induſtria continuaretur. Verum enim vero hiſce omnibus nihil obſtantibus, Deo non placuit, ut ſibi propoſitum attingerent ſcopum. Horum enim unus moriebatur, alter ob inopinato intervenientes curas domeſticas non adeo decenter obſervabat neceſſarias enchiriſes, hinc a recta aberrabat ſæpius via: Tertius indefeſſo quidem fervore invigilabat operi, ſed irrito itidem effectu; vitrum enim debite excultum & quidem jamdum aliquot menſibus exactis, præter expectationem omnem rumpebatur: Hinc opus ab ovo, quod dicitur, denuo ordiebatur, non minore ac prius perſpicacia. Factis ita per tempus omnibus faciendis, res adeo e voto ſuccedebat, ut aurei montis partum ſibi certe polliceretur, ſed vitrum tam molliter tractatum, tam modeſto ignis moderamine fotum, non ſine ſtupore omnium, in multa diſſiliebat fruſta. Unde ſubolfaciens Director pollicem Domini hic latitare, ſuos digitos operi amplius admovere, & quidem non immerito, religioni ſibi duxit.

Niſi prolixitatem nauſearem ſuppeterent adhuc varia exempla, labores tales arcanos, indefeſſa quidem ſedulitate, & curioſa dexteritate infelici tamen & irrito eventu in variis Magnatum laboratoriis fuiſſe tractatos: dum nimirum aut improviſo mortuus laborum Director, enchiriſium præcipuarum ſolum gnarus, aut rupta vitra præter expectationem omnem, aut alias ob cauſas ſpe ſua firmiſſime ſibi concepta ita excidebat poſſeſſor.

IV. Nec Deus ſemper prima ſtatim vice annuit labori, in via hac Catholica inſtituto, uti quidem, plerumque fieri & facilius ſolet in aliorum proceſſuum tractatione: Sic novi Medicum, qui Tempus

am-

apliſſimæ ſuæ paraxeos exercitio ſubſtractum, perluſtrandæ Materiæ univerſali deſtinabat, & hoc quidem per integros viginti annos (quantum patientiæ hoc requiſiverit, facile quilibet judicare poterit) per illud temporis ſpatium ſorte ſua contentus, invenit ſucceſſive diverſa remedia raræ efficaciæ; Tandem juſtus Deus ſic benedicit hujus induſtriæ, ut inventa ſua medicamenta, ita exaltare & depurare didicerit, quo adeptus ſit Medicamentum, non quidem Univerſale, tamen huic Analogum, cum morbos varios ab aliis relictos, medicamentisque alias probatiſſimis infeliciter propinatis, ſæpius ſanaret.

V. Adnectam his aliud Exemplum, quod quamvis non ſit Panacea, nihilominus, cum præcipuum fere inter medicamenta particularia mereatur locum, non adeo inconcinne hic ſubjungitur; Cum Deus O. M. propter noſtram indignitatem, abuſum, aliasque cauſas, ſimilia magna arcana ſæpe nobis ſubtrahi permittat. Supra laudatus D. Michaëlis volebat præparare *Mercurium cum Auro* vere fixatum & præcipitatum, utpote remedium, in defectu Tincturæ Univerſalis, ac inter medicamenta particularia nulli alii facile cedens; ſed plures morbos alia medicamenta eludentes, edomans. Proinde Mercurium Antimonii (*b*) cum croco auri, juxta Baſilium Valentinum compoſito, ſumendo Mecurii partes tres & calcis auri partem unam, diuturna trituratione mixtum includebat ovo philoſophico, quod dicunt Chymici; Hoc quotidie debebat inverti pro faciliore mixtura, & feliciore contentorum circulatione, immittebaturque leni arenæ calori.

Laborem autem huncce concredebat manui laborioſæ ingenioſi Domini *Matthiæ Zittemanni*. Hic per integros octodecim menſes, vel ſequi annum laudabili vigilantia uno eodemque in teporis gradu continue regebat dictum vitrum. Poſt labores tam longos tamque moleſtos, cum jam ultima ipſi foret imponenda manus, atque ad uſum pulvis extrahendus, quadam nocte audit inſignem fragorem dictus Dominus Zittemannus in laboratorii confinio dormiens, hinc conſternatus e lecto proſilit, ac mala ominans, vitro ſuo approperat, ſed reperit ſaltem in arena pauciſſima pretioſiſſimi hujus pulveris granula, cum minutis vitri fracti fragmentis, reliquo & continente & contento omni in mille particulas disrupto, ac per totum laboratorium diſperſo.

Pro meliori dictorum dilucidatione, & quod non liceat cuilibet, pro lubitu indignis manibus arcanum hoc arcaniſſimum attingere atque e cœleſti Cornucopiæ illudquaſi eripere, in inexpertorum & avaritia, ambitione, &c. obcæcatorum gratiam, ingenue Chriſtiana

 impul-

impulſus charitate ex aliorum experientia ſequentes ſubjungam perſuaſiones.

1. Rogo omnes intempeſtive & nimium ad hoc opus avidos, ut evolvant Regum ſapientiſſimi Salomonis Proverbia; ibi cap. 30. v. 7. 8. 9. aurea memoriæ æternæ inſculpta eſt Gnoma, quam merito, teneræ Noſtrorum liberorum ætati inculcamus: „Duo a Te rogo Do„mine, quæ mihi ne deneges, antiquam moriar. Vanitatem & men„dacia fac a me longe aliena: paupertatem & divitias, ne mihi des, „ſed ſaltem victui meo neceſſaria: Ne forte ſatiatus alliciar ad ne„gandum & dicam, quis eſt Dominus, aut egeſtate compulſus, fu„rer & perjurem Nomen Domini mei.„

Ventila ſis, Mi Chriſtiane, ventila ſis accurate dictum dicterium, corda feriens, & oſſium medullas penetrans. Petitur enim in hoc, ut amoveantur Divitiæ, (quibus anxie inhiant Chriſtianorum plerique) addita ſimul ratione, herculea cujuscunque etiam Philoſophiæ ſpicula contraria retundente, nimirum, cum ita facile a mille Artifice diabolo, mediantibus luxurioſis varie inſidiantibus mundi illecebris ſeductus, dictis opibus poſſem abuti, atque ideo perjurium committere in Deum meum, illumque deſerere in æternam animæ meæ ruinam & interitum.

Stante itaque hoc, veluti perpetuo inconcuſſum ſtabit, quod Divitiarum amotio legitime petatur hoc in dicto, qua conſcientia, quæſo, mi Chriſtiane, qui ad prolatæ ſententiæ Autorem, de genuino nummorum uſu ſibi ipſi diffidentem, tirunculus es in exercitio pietatis, poteris quaſi importune ac Deo invito aggredi, & tentare laborem talem, qui ſi abſolveretur, & a Te obtineretur, quod deſideras, comitem haberet periculoſam, & Tibi forte exitioſam opulentiam; Cæterum confidas, velim, ſi Tibi conducibile foret, facillimum eſſe Deo O. M. permittere, ut in Vinea ſua fodiens, id eſt, deſignato munere rite fungeas, & naturalia ſcrutans, Theſaurum hunc inæſtimabilem reperias.

2. Ex hiſtoriis poſſibilitatem Tincturæ demonſtrationibus capite præcedente adductus pateſcit, quam vaſtum Auri cumulum poſſeſſores vel præſentem & confectum obtinuerint, vel mediante Lapide tingente extemporanea metamorphoſi pro lubitu perficere valuerint; & in ſpecie *Helmontius* in citato *Tractatu*, *Arbor Vitæ* dicto p. m. 630. hæc profert verba: Ille qui mihi primum dabat pulverem aurificum, habebat ſaltem & ad minimum Ejus tantundem, quantum ad ducenta millena librarum Auri commutanda ſat forent. Item quarta *ab Helvetio* adducta Hiſtoria docet, Adeptum illum totidem pulveris

veris tingentis ſecum habuiſſe in promtu, ut viginti Auri Tonnas ſubito parare, ſi ipſi libuerit, licuerit. Nihilominus hic & alii vilibus induċti veſtibus, vitam vivebant humilem, devotam ac a pompa & luxuria mundana omni alienam. Hic te denuo rogatum volo, mi Chriſtiane, velis interiora Cordis tui examinare ac animi ſenſa penitius trutinare ac perſcrutari, ſi Divinæ placeret voluntati, ut vel centeſima, imo milleſima talis portio ad liberas tuas pertingeret manus, num in ſilentio & ſpe vitam piam, probam, & tranquillam ſis transacturus; an non potius adamiticum peccandi deſiderium tantas ſit excitaturum illicitas cupiditatum mundanarum fermentationes, ut fidei tua ſcintillula neutiquam impedire poſſit, quin iisdem divitiis ſis abuſurus, ad varia æternam damnationem animæ tuæ patientia?

3. Ne autem infirma verbulorum meorum tenuitate tibi perſuadere velle videar, Amice Lector, Teſtes producam non ſaltem Philo-Chymicos, multo minus Miſo-Chymicos, ſed, audi, e pluribus aliis loquentes magnos Alchymiæ Patronos, ſuperius citatos, *Helmontium*, *Zvvælfferum*, *Helvetium*. *Helmontius* in Diſſertatione, quam *Arbor Vitæ* inſcribit: pag. m. 634. memoratu digna hæc profert verba: „Quantum attinet meam perſonam temeritatis ſcribendi inſuetam. Novit DEUS quod ſcribam, quæ ſcio, vera. Ago illi gratias, quod „cum contuliſſet in me Talenta quinque, feciſſemque me indignum, „& hactenus repudium coram eo factus eſſem, placuit, Divinæ Bonitati, auferre a me tria, & relinquere adhuc bina; ut me ſic meliorem frugem expectat. Maluit, inquam, me depauperare & tolerare, ut non eſſem utilis plurimis, modo me ſalvaret ab hujus „mundi periculis. Sit ipſi æterna ſanctificatio. Idem ibidem pag. „ſequ. Nemo vere Philoſophus Aulœdus (*c*) eſt, nec Principes ſequitur, iisque adulatur, quippe quia nulla re indigus, ſpernit quæcunque princeps dare poteſt. Idem *in Tractatu Medicaminum Poteſtas* „notato, inquit circa finem: Tandem ac tandem Chymia pro ſui „apice Univerſale ſolvens parat, quo cuncta remaneant, in primum „ens, præbetque dotes nativas, abſterguntur labes originales corporum &c. Sermonem ita concludit; Ah! utinam mihi Lagena „ſemel poſſeſſa non oblata! ſed novit DEUS cur capræ caudam tam „brevem dederit: Sit nomen ejus in ſecula exaltatum, fiatque ejus „ſolius ſola ſanctificans voluntas. Idem modo citata Diſſert. arbor „vitæ, pag. 633. Sed inutilis huic vitæ ſepeliar. Quia ſpiritus janitor Lagenam abſtulit mandato ejus, coram quo totus mundus fungus eſt. Sit ipſi laus, qui dedit, quique abſtulit, quod ſuum „erat.

Zvvelfferus, Mantiſſæ Spagyricæ Part. 1. Cap. 1. pag. m. 330. ſequentia profert: „Hæc de Tinctura Philoſophorum, quam Re-„verent. Pater, Athanaſ. Kircherus categorice negavit, adſtruenda „ſufficiant. Quam licet perpauci obtineant, e rerum tamen natura „proſcribere minime decet. Habet enim & illa, quemadmodum Ar-„bor ſcientiæ Boni & Mali Proto-Parentum Noſtrorum, ſuum de „cœlo genuinum, qui romphæa bis acuta eam protegat, & cu-„rioſos ac indignos arceat; cum pauci ſint, qui virtutem & divi-„tias affluentes jungere noverunt. Unde accidit juſto DEI judicio, „ut ii qui ejus vel jam compotes facti, aut eminus eam proſpiciunt „confuſionem patiantur, eam ex accidenti deperdant, remoram ac „obicem DEO opponente; NB. Ne aurum & argentum nundinantes „animæ propriæ patiantur detrimentum.„

Helvetius in ſuperius allegato ſuo Tractatu, *Vitulus Aureus* nominato, quamvis jucunde, ample & diſerte de Tinctura diſſerat, ac ejus realem exiſtentiam autopſia comprobet, nihilominus hujus elaborationem diſſuadet pag. 10. ſic loquens: „Nolim, ut credat quis, „meum eſſe ſcopum primarium, tanquam ſi filiis hujus ſeculi dignis „& indignis perſuadere velim, ut in hoc opere laborent. Minime „gentium; ſed potius dehortabor curioſos artis hujus indagatores, „omnes & ſingulos; ut ſancte abſtineant, ab iſtiusmodi periculoſiſ-„ſimo Arcano, tanquam ab aliquo Sancto Sanctorum,„ (veluti inter plures Sacerdotes & Levitas unico ſaltem nimirum ſummo Sacerdoti permiſſum erat intrare hoc Sanctum Sanctorum, reliquis omnibus ad varia alia negotia deſtinatis.)

Ad hæc Capite præcedente demonſtratum eſt, Sinenſes multum quoque Temporis largiſſimosque ſumtus impendere pro acquirendo Philoſophico Lapide. Quam infauſtis autem eventibus hoc volvant ſaxum, aurumque ſuum fruſtra dilapident viri illi acutiſſimis alias ingeniis & eruditione pollentes ampliſſime clariſſimeque colligi poterit, e lectione Autorum ibidem citatorum, adeo ut Alchymici ab incolis communi ſymbolo pronuntientur impoſtores. Cum aurum, quod capiendum illis erat, minime capiant; quod vero poſſideant, amittant, neque eas exhibeant, quas ſpondent, divitias; eorumque marſupia quaſi ſint confecta e pelle chamæleontis, quæ non alia re quam vento & aere impletur; ut elegantibus utatur verbis *Thomaſo Garzoni*, nella Piazza univerſale, Diſcorſo 13. de gli Alchymiſti pag. 140. Vel ut nervoſe jocatur Clariſſ. D. *Joh. Daniel Major*, Collega honorandus in navigatione in novum orbem ſine nave & velis Theſ. 36. qui e charactere DEI ſui putatitii, Auri nimirum, centrum

per-

perfectionis (⊙) amittunt, relicto ſaltem nullitatem indicante Circulo vacuo (O).

Quamvis autem dicti Sinenſes ſumme ſint ingenioſi, maximoque polleant in re literaria acumine, nihilominus apud nullum hiſtoriæ Sinicæ Scriptorem invenire mihi licuit aliquem, qui de accepto hoc aureo vellere triumphare potuerit, præter ſolum Regem *Hiaoum* ſuperius adductum, qui tamen in hoc ſaltem aliis felicior, quod gloriari potuerit, ſe ſe ſuam canitiem obtinuiſſe ſine morborum inſultibus, & ab ægritudinibus eſſe præſervatum, mediante chymico hoc remedio.

Proinde cenſeo, tam circumſpectos plurimorum labores, non forte fortuna ita accidiſſe infauſtos & fruſtaneos: ſed DEUM Opt. Max. Operatores hosce coram mundo oculatiſſimos, & ſapientia turgidos tanti myſterii revelatione indignos judicaſſe, dum iſti, utpote Ethnici, non honorem Divinum, proximique commodum, laboribus ſuis ſcopum præfixerint, ſed auri fame, aliisque ſtimulis impiis impulſi fecerint, quod fecerint.

4.) Dum ita ingenuæ diſuaſioni ſum intentus, audio nonnullos talia obloquentes: Si verum eſt dari in rerum natura Tincturam Univerſalem, mirandum ſane eſt, cur ſumme benignus Bonorum omnium Autor non largius, & pro alias ſolita ſua in genus humanum efflictim amatum munificentia hancce diſtribuerit; ſed reliquerit lucidiſſimum hunc ſolem obſcuris ignorantiæ tenebris & nubibus oppreſſum, reliquerit eam paratu non difficilem, ſed difficillimam, tractatu non periculoſam, ſed periculoſiſſimam.

Cur non ad minimum (ſi propter indignorum abuſum, vulgo innoteſcere eandem non conſultum duxerit) pluribus vera pietate & probitate orbi Chriſtiano ſe ſe commendantibus concrediderit, cum uberiore hac manifeſtatione incredibilis tam ad conſervandam & recuperandam valetudinem ægrotantibus, quam ad ſuſtentandam vitam pauperibus emergere potuiſſet utilitas & levamen?

Huic objectioni reſpondeo, de Tincturæ exiſtentia me hic ſupervacaneum judicare, crambem toties coctam proponere; ſed remitto dubitantes ad caput antecedens, ubi oculares plurium demonſtrationes reſponſi loco ſatisfacient. Hiſce ſpem præter omnem non contentus, pro reſponſo habeat, axioma illud Philoſophicum, quod contra Autopſiam diſputare, ſit inſipidi.

Si itaque revera hæc exiſtit, inexcuſabilem fere facit injuriam Divinæ Majeſtati omnis de hac dubitans. Niſi enim fœdum ingratitudinis ſcelus incurrere velit Chriſtianus, obſtrictus eſt, cogitatio-

n..

nes ſuas applicare, ad amplificandam & extollendam nunquam ſatis laudatam, nec laudandam miraculoſorum Operum Divinorum magnificentiam.

Ad quæſtionem vero ipſam dico, eandem eſſe nimis curioſam, imo quaſi ineptam & frivolam. Quis enim, mi homo, ingreſſus eſt ſenaculum cœleſte, & quis Sacro-Sanctæ Mono Triados conſiliis interfuit? quomodo poteris, argilla ex figulo quærere, quid facis? Si liceret, de talibus hæſitare, & controvertere, vellem te etiam interrogare nonnulla, v. g. da mihi, ſi potes, ex tua hac mota hypotheſi, rationem, cur permiſit DEUS ut Regum Sapientiſſimi Salomonis Scripta de rerum naturalium qualitatibus abſolutiſſima, a Cedro Libani ad hyſſopum usque parietis perierint, cum tamen ex iisdem ampliſſima potuiſſent ægrotantibus emergere emolumenta & levamina? cur idem DEUS O. M. non citius ex Indiis, &c. transmiſit nobis europæis ſub Chriſti vexillo militantibus tantum pretioſiſſimorum Aromatum aliarumque rerum medicamentoſarum cumulum, tantam item auri & argenti copiam, quæ potuiſſent cedere jamdudum, uti jam cedunt, in ſolatium ægrotorum, in auxilium pauperum? vel cur idem DEUS nos, populum ſuum, non a morbis præſervat, ut ita plane ſuperſedere poſſemus remediorum uſu? vel, cur Angelus non frequentius deſcendebat in piſcinam Bethesdam pro ſanando primum ingrediente? Joh. 5. Aut cur idem ſingulis vicibus non plures ſimul ſanabat, ut miſellus ille claudus reconvaleſcentiam per totos triginta octo annos non debuiſſet fruſtra expectare ab aquæ commotione? ut taceam alia plurima.

Poſſem item opponere, quæ acutiſſimi Philoſophi Sinenſes contra infinitam miſericordiam & omniſcientiam clementiſſimi Noſtri Protectoris & Nutritoris objiciebant *Jeſuitæ Xaverio*, pro propaganda Chriſtiana Religione, & convertendis argutis hisce Ethnicis lapidem moventi omnem, nec vitæ propriæ parcenti, velut videre eſt apud *Eraſmum Franciſci* in exterorum artis & morum ſpeculo Hiſtor. 11. pag. m. 55.

Ne autem in leges pietatis peccem, nec falcem in meſſem Theologicam immittere videar; crenam revoco, ſecurius ad τὸ ἐπέχειν confugiens, cum in tam arduis non conſultum ſit nimium philoſophari. Supra laudatus *Schrœderus* mihi faſſus eſt, quod oleum ſuum Auri bis ſaltem præparaverit. Hinc non immerito mirari & quærere poſſet aliquis, cur tantum myſterium non ſæpius compoſuerit? verum reſpondeo: DEUS imperſcrutabilis talia Regalia non vult divulgata, & tanquam uſualia haberi medicamenta. Propterea potius

ex-

exclamamus: Quam miraculoſa ſunt opera tua Domine! atque ſuſpirare cogimur cum Heinſio: Quantum eſt, quod ignoramus. Quantillum eſt, quod ſcimus. Et maxima pars eorum, quæ ſcimus, eſt minima pars eorum, quæ neſcimus. Notatu digna ſunt verba Heinrici Kunrathii Amphiteatr. Iſagog. in figuram tertiam pag. m. 200. „Si quæris, cur unus tantum ſit mundus, & cur unus tan„tum Philoſophorum Catholicus Lapis? reſpondeo: quia plures „DEUS noluit. Ratio eſt, quæcunque voluit, fecit Pſam. v. 3. Cur „vero noluerit, tu quære quære ab eo, ipſe ſolus novit.

Adcurate enim minime valet indagare innata humani ingenii imbecillitas, cur Polarchæ omniſcio non libuerit Anteceſſoribus noſtris ac nobis quælibet naturæ arcana revelare; ſed etiam Poſterorum Sedulitati nonnulla occulta & inexperta ſervare indaganda & detegenda. Multa ſiquidem ſuperioribus ſeculis fuiſſe cognita, quorum cognitio jam iterum evanuerit: e contra vero plura latuiſſe, & adhuc partim latitare noſtro tempore in Anatomicis, Botanicis, Chymicis aliisque rebus tam Medico-Phyſicis, quam aliis variis ſcientiis, fateri coguntur omnes illi, qui manifeſtiſſimis experientiæ teſtimoniis inconſiderate reluctari non audent. Præter meam opinionem forte hæſitantes ablegatos volo ad *Pancirolli*, ſuique Commentatoris *Salmuthii deperdita & nova reperta:* ibi enim invenient, niſi ſtupor animos obſederit quam miraculoſe & varie

Ludat in humanis Divina Potentia rebus!

Hiſce unum ſaltem addo: miratus ſum ſæpius, (cum notum ſit, quid non mortalia pectora coegerit & cogat auri ſacra fames,) quod impiger extremos currens mercator ad Indos (& qui negotiis mercatoriis proſunt proceres orbis) paſſi fuerint hucusque, ut *Terra Auſtralis incognita*, quam dicunt, illud nomen ſuum incognitum non mutaverit, hoc eſt, cur nullus exortus ſit novus *Columbus*, novus *Magellanus*, novus *Dracus*, &c. qui tot Myriadibus ignorantium ſuperſtitem huncce mundi angulum, indefeſſa inquiſitione detegere & propalare fuerit auſus; cum dubio procul omni divina munificentia, uti ubique, ita & ibidem tam ſanitati, quam œconomicis noſtris rationibus plura magno incremento & emolumento futura recondiderit?

Poſtquam multi hac de re varias mihi communicaverant rationes inſufficientes, tandem quidam, qui integro Decennio, Novam Bataviam in India Orientali incoluerat, rerum nauticarum & mercatoriarum apprime gnarus, ſolidam & fide dignam mihi aperuit ra-

 tionem:

tionem: Tentata quidem eſt, inquiebat, plus vice ſimplici transfretatio verſus terram Auſtralem incognitam; ſed vano & infelici ſemper effectu, & hoc ideo, quod Acus magnetica, nautarum utpote Hodegus, more alias ubivis ſolito hic operari deſinat, nec ſuum quærat Septentrionem; ſed vagabunde circumgyretur, ut inde neſciat nauclerus, quo ſuum dirigat curſum. Exinde omnibus pateſcere credo, Divinam ſapientiam hoc orbis reſiduum poſteris Noſtris, ſi qui futuri ſunt, indagandum & magnalia ſua ibi forte latentia propalanda revelaſſe.

Stante igitur hoc, quod varia mundo utilia & proficua, aut adhuc deliteſcant occulta, & ſepulta, aut iterum evanuerint, ex imperſcrutabili DEI conſilio, ſuperflua ſane erit controverſia, cur DEUS Opt. Max. Tincturam noſtram aut ſimilia regalia dona non in ora & manus omnium aut plurium ſaltem diſſeminari conceſſerit.

Cum vero per ultima hæc octo vel decem luſtra in Domini illius Magni Vinea, juxta Mattheum c. 20. plus ſit foſſum & laboratum in rebus Phyſicis, hoc eſt, plura Arcana Chymico-Anatomico-Botanico-Phyſico-Pharmaceutica ſint manifeſtata, ac in antecedentibus totidem ſeculis, videtur inſtar nona vel undecima hora diei; ut ita fortaſſe gratioſiſſimus bonorum omnium Autor ante inſtantem Orbis ruinam extraordinarie non modio aut trimodio, ſed toto horreo, ſit admenſurus dona ſua hactenus nondum divulgata.

(*a*) In Beati Avi Obſervationibus Manuſcriptis ſub Titulo Tincturæ Coralliorum præparatio, ſequentia leguntur:

Multi plurimum temporis impenderunt in inveniendo genuino Menſtruo pro Coralliorum Tinctura acquirenda. Quamvis autem pauciſſimis licuerit eſſe tam beatis, obtinuere tamen alias analogas extractiones non vilipendendas. In Anglia Chimiater multorum Librorum editione Clariſſimus mihi concredebat modum ſequentem: Deſtilletur lignum quercinum ſiccum in particulas conciſum, lignis ſolito more, & prodit acetum, vel acidus liquor, qui præbet Menſtruum optimum præ extrahendis coralliis, virtute valde antecedens illud acetum Zwœlfferi ex viride æris. Venetiis vero accuratius & aliter didici: ℞. Tempore verno turiones vel apices pingues quercuum, primo erumpentes, contuſas deſtilla per ſe in Mariæ balneo ex cucurbita, & habebis menſtruum corallia egregie ſolvens, facta ſolutione, abſtrahe hoc acetum Philoſophicum, ſolutioni affunde aliquoties aquam pluvialem deſtillatam, abſtrahe ut tollatur

ſapor

ſapor omnis acidus, deinde extrahe ſpiritu vini, abſtrahe ad ſiccitatem, ſolvatur in cella in liquorem, & gutta una rubre tingit totum vini vitrum.

(*b*) Omnium proceſſuum de mercurio antimonii perficiendo agentium optimus cenſetur, quem *Langellottus Archiater quondam Ducis Holſtatiæ in Epiſtola ad Naturæ curioſos de quibusdam prætermiſſis in chymia* deſcripſit, ubi probata oculari fide convictus, jubet regulum antimonii terere cum ſale tartari duplo & armoniaci ſubduplo, affuſa per vices urinæ; hinc digeſtioni exponere menſtruæ, & tandem deſtillatione per deſcenſum, mercurium ejus vivum in aquam, cucurbitæ incluſam propellere.

D. Ganzlandius quondam propria manu Mercurium antimonii ſequenti methodo præparavit, ut mihi ex manuſcriptis Beati Avi innotuit.

℞. Salis nitri fixi per Calcem vivam parat. Sulphur cum Oleo Tartari p. d. irrigati ana ℥j. Tartari crudi ℥ß. Salis fuſi ℥ß. Ex his omnibus fiat pulvis. ℞. hujus pulveris ℥j. Antimonii ℥ij. tere invicem, fluant in crucibulo, effundantur in pyramidem æneam (Gießbuckel) refrigeſcant, irerum terantur minutiſſime, & cum uncia una prædicti pulveris denuo fluant. Hoc repetatur tertia vice, reguli hujus Antimonii pulveriſati ſumetur una pars & Salis armoniaci dimidia pars, ſublimatur, tunc adſcendit Mercurius vivus quem manibus meis feci, hæc D. Ganzlandius.

Circa Langelotti proceſſum monet Illuſtris D. Georg. Erneſtus Stahlius in ſpecimine Beccheriano Part. I. Sect. II. illum melius procedere, ſi Sal Tartari e capite mortuo tartari immediate paratum ſemi oleaginoſum ſumatur quam aliud, quamvis nitidiſſimum & candidiſſimum.

Si hic Mercurius Antimonii cum Sulphure puro ex auro extracto miſcetur, & methodo D. Michaëlis tractatur, citius & melius panacea obtinetur. Conſentiente Illuſtri D. Friderico Hoffmanno in Notis ad Poterium Capite de Mercurio.

(*c*) Sive Aulicus, prout in verſione operum Helmotii germanica per vocabulum Hoffmann expreſſum legitur.

CAPUT V.

DECLARANS, E QUA MATERIA PRÆPARETUR TINCTURA UNIVERSALIS.

TAndem hic claris literis, verbis perſpicuis, proponitur, Materia illa, quam immuneri tamdiu vere & aperte nominari fruſtra deſudarunt, atque anxie expectaverunt, quam plurimi quidem tot ſeculis antea nominarunt & deſcripſerunt ſermonibus ſumme obſcuris, hieroglyphicis, ac Emblematibus tenebricoſo obſcuritatis velamento obductis; non pauci item Sermocinationibus plane ridiculis, quaſi fanaticis ac ſtolidis, figurisque enthuſiaſticis venum expoſuere, ut crediderim, eosdem ipſos neſciviſſe, quid dixerint, quid ſcripſerint; optandumque fuiſſet, ut plane tacuiſſent; cum ita incredibilem confuſionem & turbationem excitaverint in animis res phyſicas ſcrutantibus, & tantum abeſt, ut iſti ſuis narrationibus rei huic abſtruſæ & intricatæ dilucidandæ facem accenderint, aliquam, ut potius nova, eaque denſiſſima caligine illam obduxerint.

Propterea arrige nunc aures Avare, arrige aures ambitioſe, arrige aures pauper Alchymiſta, miſer laboratorcule, qui hactenus veſtiviſti cutem tuam fumo, ſudore, ſanguinemque exſugente miſeria, qui corpus nutriviſti ſpe exſucca, promiſſis, vanitate: Arrigite aures ſinguli & omnes, qui curioſitatis ſtimulo acti, aut alium quemcunque ſcopum intendentes, hactenus inhiaſtis conſecutioni Tincturæ Univerſalis. Sic enim ſedata fame auri, extincta ſiti argenti, divitiarum ſaturi poteritis indulgere veſtris geniis ac vobis vivere, poteritis impoſterum, neglectis laborioſis ſervitiis, vel officiis, curarumque domeſticarum moleſtiis, ſine ſudore facierum veſtrarum in aurea libertate toti eſſe veſtri. Arrige item Aures Philiater; hac enim cognita ſuperſedere poteris (niſi ſola curioſitate tibi talia pertractare arrideant) fœtidis ſectionibus Anatomicis, laborioſis collectionibus botanicis, ingrata carbonum in operationibus chymicis tractatione, tædioſis lucubrationibus, diuturnis tot annos expoſcentibus laboribus, ac cerebrum frangentibus meditationibus Philoſophico-

phico - Phyſico - Theoretico - Anatomico - Botanico - Chymico-Practico Pharmaceutico - Chirurgicis ; Sic poteris una fidelia parietes dealbare omnes, remedio unico morbos ſanare omnes, & quidem non tam cito, tuto, jucunde, quod ſemper deſiderarunt medici quilibet, quam penitus citiſſime, tutiſſime, jucundiſſime.

Verum enim vero fige pauliſper cogitationes tuas, jube parum ſubſiſtere pedem tuum, quisquis es horum modo adductorum, antequam ulterius progrediaris. Si enim forte compulſus aviditate rei deſideratiſſimæ, oculis tuis properaveris ad lectionem capitis hujus motu præpoſtero, vel ſuperficietenus ſaltem inſpexeris caput antecedens, ſupervacaneam cenſendo ventilationem, an conſultum ſit in Tincturam inquirere ; cogor autem te ſerio denuo commonefacere, ut prius rite frangas nucem, antequam e nuce nucleum eſſe velis; ceu Terentiana jamdudum monuit Gnoma, hoc eſt, ut præcedentia & circumſtantias prius ponderes antequam ad ipſum opus accedas.

Proinde regredere in dictum Caput antecedens, vel ſi grave & moleſtum foret integrum forte illud ruminare, perlegas velim ultimas tantum aliquot illius paginas, & fideliter ibidem doceberis, ſi modo doceri geſtis, quam ſubtilibus meditationibus ventilari, teneris manibus tangi, modeſtis oculis adſpici velit Myſterium hocce; Myſterium quod non abſurde æquiparatur herbæ illi, quam *ſenſitivam*, aut *Noli me tangere* vocitant Botanici.

Huc non inconcinne inſero vetus & argutum cujusdam de delicato Alchymiæ ſtudio ſingulos monentis dicterium, quod curioſus quidam operibus inſcripſerat Theophraſti Paracelſi: „Alchymia „eſt ars ſine arte, ſubjectum ejus eſt pars cum parte, proprium men- „tiri, & ultimo mendicatum ire. Sed alius ſubſcripſeret: „Fal- „leris Amice, ignorans enim, quid ſit Alchymia; Alchymia enim eſt „caſta meretrix, quæ multos invitat, paucos admittit amaſios.

Si dixerint forte ſive curioſi quidam ingenui, ſive momi: Quam abſurdus eſt hic Autor, quod audeat ſcripto publico materiam univerſalem non modo perſpicue depingere, & manifeſtare, ſed etiam, quomodo tot ſeculis deſiderata ac maximopere ab omnibus occultata Tinctura inde ſit elaboranda, detegere. Si enim vera non ſint, quæ ſcribit, omnium omnino exploſione foret dignus, quod toti orbi literato manifeſtum obtrudere conetur mendacium? Si vero veritati fuerint conſentanea, ac propoſitum methodo promiſſa ſuccedat, reſpondeatque eventus, mirandum ſane eſſe maxime, quod ille non ſibi ipſi, ſuæ familiæ, ac Amicis, (ad minimum antequam artificium

 pro-

propalaret) bonam hujus Arcani partem conficeret; ut ita a curis negotiisque practicis liber, ſuus prorſus eſſet, & non alterius; ac cum illo Villico potius ob divitem meſſem turgido facto, juxta Lucam Cap. 12. v. 16. 17. 18. 19. ſe ipſum bono ac hilari animo eſſe, horreumque amplificare juberet? Illi ſciant velim, me ingenue & aperte fateri, quod abſolutis Studiis Academicis & peregrinationibus in patriam redux, poſt devotas & repetitas preces, inter meditationes meæ vocationis medicas alias, aliosque labores chymicos quidem conſtituerim, aggredi arduum hoc opus; ſed poſtea animum mutaverim, manumque retraxerim, quaſi nolens volens: Partim quod certiſſime mihi conſtaret, imperſcrutabili DEI conſilio placuiſſe, nonnullos ſummo ingeniorum acumine, plenariaque Artis Medico-Chymicæ experientia dotatos, nullis ſimul (aliquando plus quam regiis) ſumtibus parcentes, remque ipſam cauta & indefeſſa dexteritate & juxta Artis leges omnes methodice tractantes, loco Philoſophici Lapidis acquirendi Lapidem lavaſſe, ac aurum quærentes inconfectum, confectum dilapidaſſe, juxta analogiam fabulæ de Cane Æſopico pontem cum fruſto carnis tranſeunte, aureumque ſimul tempus perdidiſſe.

Proinde ego tam fragilitatis humanæ, ob fermentum peccati Adamitici hæreditarium, quam tenuitatis meæ in re Medico-literaria mihi conſcius, non immerito obſtupui & abſtinui: Partim vero, in quo præcipuus hujus rei cardo eſt, eo minus Icarium quaſi huncce volatum inſtitui, quod perſenſerim, ſupremum Medicinæ Autorem & Directorem, me ab hoc opere avocaſſe, talentumque meum aliis negotiis, nimirum vere & mere practicis quaſi deſtinaſſe. Sæpius enim ob labores Medico-Practicos in Aulis alibique concatenatos, ob frequentia itinera & ſimilia, tantum abfuit, ut negotio huic ſerio, totum fere hominem, ac integrum operatoris cerebrum requirenti, decenter invigilare potuiſſem, ut potius per unam atque alteram ſeptimanam mihi ſæpius non licuerit, eſſe tam otioſo, quo curioſæ cuidam meditationi, aut librorum lectioni incumbere, uti debui & volui, valuiſſem.

Nihilominus cum Divinæ placuerit Majeſtati, nonnulla de ſummo hoc arcano mihi indigno concredere; aliis quos DEUS ad talia regalia & extraordinaria dona magis ſelegit, mihi indigno hac de re cognita ſincero corde & ingenua fronte exhibeo. Raphaëlis enim Angeli Elogio Libr. Tobiæ Cap. 12. v. 8. Regum arcana ſunt occultanda, DEI autem Magnalia divulganda. Fateor igitur quædam ex ore & laboribus Chymicis ſecretioribus Evergetæ mei incompara-

para-

parabilis Chymiatri Lipſienſium per Europam notiſſimi Domini D. Joh. Michaëlis didiciſſe. Didici non pauca ex literis aliunde ad eum perſcriptis, ab ipſo conciſis ac igni deſtinatis, pio autem furto a me ſurreptis, denuo compoſitis, ac clancularie deſcriptis, collectisque: Didici quædam dum contenta epiſtolarum talium arcanarum reſponſoriarum aliorſum ab eodem mittendarum, (a latere illi in menſa quotidie aſſidens) obliquis oculis exhauriebam, unguibusque meis, aliud quaſi agendo, cum manifeſte mihi non liceret, pro juvanda memoria interim inſcribebam, cum plura diſcipulis, aliisve ob datam ſilentii fidem detegere illi non erat conceſſum. Didici itidem & potiora quidem, dum laudatiſſimus modo dictus Præceptor, in meo per exteras regiones inſtituto itinere, Chymiatris magnis me hinc inde fideliter & ſecrete commendaverat; qui percipientes aliqualem meam hoc in ſtudio cognitionem, cognitionis ſuæ non minus me ingenue faciebant participem.

Gratias igitur ingentes repono Clementiſſimo Panto Cratori, quod largam ſuam benedictionem in me talia non merentem effuderit; dum nimirum pro comparanda artium bonarum & inprimis Medicæ ſuppellectile, conſumto plane Patrimonio, in patriam rediens, cum Socrate fere omnia mea mecum portabam, & Patriarchæ Jacobo Jordanem tranſeunti ſimilis eram. Nunc vero cum Davide merito exclamo: Quis ſum ego & quæ eſt Domus Parentis mei.

Non minus gratias eidem ago, quod Philoſophiæ Pyrotechnicæ adeo benedixerit, ut præter alia mihi detexerit raras nonnullas Enchiriſes in laboribus chymicis apprime utiles; peculiare item pro variarum rerum ſolutione commodum menſtruum. Qualia autem hæc ſint, cum huc non pertineant, reſervo Obſervationibus meis Medico-curioſis, Deo vitam concedente propediem edendis. Interim ſatis mirari nequeo, quomodo hæc, utpote manifeſtiſſimæ & facillimæ operationis, hucusque latere, & fallere potuerint, non quidem tam debile meum cerebellum, quam tantum numerum Chymicorum oculatiſſimorum & ſapienti experientia exercitatiſſimorum; Quia inſuper non ita pridem quaſi improviſo ac aliis intentus inſudansque hæc repererim, in quæ tamen & ſimilia per aliquod annos plus vice ſimplici inquiſiverim rigoroſo quidem fervore, at fruſtraneo eventu; Exinde quoque robur accedit ſententiæ meæ in antecedentibus propoſitæ; nimirum, quod nemo valeat Deo O. M. quaſi invito extorquere pro intempeſtive deſiderii ſui ſatisfactione & expletione, tam Myſterium Tincturæ univerſalis, quam aliorum quoque arcanorum communicationem & inventionem.

Pro-

Propterea denuo rogatos & monitos volo importunos tales operarios, qui accepto ſuo groſſo non ſunt contenti, ne impetuoſe, & illotis manibus irrumpant in occultum hocce Gazophylacium, & Sanctum Sanctorum; ſed ſecundum generalem & adcuratam Chriſtianorum Cynoſuram *Ora & labora*, legitimæ ſuæ vocationis, ac antiqui illius DIC CUR HIC, curam gerant, in ſudore faciei veſcantur ſuo pane, ac in ſilentio & ſpe expectent, quantum Majeſtas Divina pro ſua Clementia e gratioſo ſuo Cornu Copiæ ipſis in corporum & animarum commodum ſit admenſura. Mihi loco Tincturæ Univerſalis loco que magnarum divitiarum ſufficit cum Divo Paulo *Gratia Divina* juxta Epiſtol. 2. ad Corinth. Cap. 12. v. 9. & quod *Amor meus crucifixus ſit.*

Antequam nunc ipſam aggredior materiæ tractationem, prius monendum judico, me minime latere, quod materiæ hujus univerſalis ejusdemque præparationis manifeſtationem diſſuadeant plurimi; partim quidem hoc faciunt viri ingenui & prudentes, ideo ne perlæ projiciantur ſuibus, aut Regalia & occulta artis noſtræ indignis patefiant, atque ita iſtis indignis per divitiarum abuſum ad peccata perpetranda occaſio detur; partim vero hoc conantur naſutuli, arrogantes, impii, ſummum id læſæ Majeſtatis Divinæ crimen cenſentes, talique proditori, quem vocant, apoplexiam malaque alia omnia imprecantes: Hi enim malitioſa invidia commoti, quaſi plenaria hujus rei notitia ipſis competeret, omnibus videri volunt; Quamvis juxta veterem hiſtoriam, cum mercatoris illius luſcinia vox ſaltem ſint, prætereaque nihil, atque multa dicant, pauca vero probent, vel potius probare & demonſtrare valeant, ac publice erubeſcerent, niſi dictæ occultationis clypeo ſeſe a claris veritatis radiis defenderent.

Verum enim vero quemlibet ego ſuo abundare ſenſu permitto; ipſe vero potius aſſentior hisce diſſentienti meo *Sennerto*, communi illi præceptori ac Germano Hippocrati, qui libro de Chymicorum cum Galenicis conſenſu & diſſenſu Cap. 18. p. 135. inter alia ſic loquitur: „Si quidam ſunt, qui Medicamenti univerſalis notitiam habent, „illud vero plane occultant, næ! illi valde iniqui ſunt, & in genus „humanum injurii, charitatisque Chriſtianæ obliti, qui tantum theſaurum cum ſervo illo malitioſo occultant, eoque nulli proſunt: „ &c. Hucusque Sennertus. Proinde illud quod mihi de hoc arcano conſtat, mundo ingenue & aperte ſum declaraturus; Divinæ relinquens directioni, cuinam hocce detegere penitus ac concredere voluerit, alibi enim jamdudum monui, indignos & male hoc collocantes, licet ipſo Argo fuerint oculatiores, hic cœcutire, & licet Salomone ſapientiores, ſpirituum vertiginem experiri.

Hæc

Hac occaſione non poſſum non, quin quodammodo repetam, quæ primo Tractatus capite monui; nimirum me ad conſcientiam meam appellare, quod nullo alio plane fine crenam operi huic arduo admoverim, quam ut majeſtatico illi præcepto, homines omnes ferienti, quo jubemur ut diligamus Deum toto corde, & proximum veluti nos ipſos, pro virili obediam, atque Talentum mihi cœlitus concreditum, non in terra defodiam. Quilibet enim Medicus conſcientioſus hunc ſuarum actionum ponat ſcopum, ne chorda ſemper aberret eadem, aut ſaltem ſtupida ſimplicitate credat, quod Anteceſſores crediderunt, ſed ſtudeat naturalium rerum cauſas reddere certiores, & evidentiores, ne in eodem ſtatu per ignaviam noſtram quaſi torpeſcat Medicina, ſed amplior ac illuſtrior tradatur poſteritati, eique ſimul ſtimulus addatur, hancce ad majus ſemper gloriæ ac honoris faſtigium evehendi. Cum enim viderim, partim plures variarum in re literaria facultatum aſſeclas, viros eleganti & ſolida doctrina conſpicuos, e falſis hypotheſibus, diverſis rationibus, ſuperius adductis, partim vero non paucos alios, ſero cum phrygibus ſapientes ex animi levitate, atque indignatione, quod tempus in conficiendo auro inutiliter perdiderint, plane negaſſe exiſtentiam hujus Tincturæ, atque ita maximam Divino honori, (cujus tamen promovendi ſtudium Chriſtianis omnibus incumbit) intuliſſe injuriam, dum abrogare ita volunt unam e creaturis ſumme miraculoſam ac quaſi primariam. Propterea in capite tertio non ſolum hancce præparandi poſſibilitatem ſat prolixis circumſtantiis, firmisque uti ſpero rationibus demonſtravi, ſed etiam nunc materiam ipſam, quam ex aliis didici, modumque hanc ex ea conficiendi, ad contradicentes eo felicius & facilius convincendos ſubjungam.

Facile quidem mihi perſuadeo, propoſitum hocce meum non quorumlibet genio eſſet ſatisfacturum, cum omnibus placere ſit impoſſibile; ac veluti Divo Paulo Romam abituro prædicebat Propheta Agabus e Judæa, Actor. Apoſtolor. c. 21. v. 11. vincula & catenas, ita ſcripto huic meo obviam ituras prævideo irriſiones, convitia, contradictiones, naſus aduncos. Infernalis enim diſcordiæ promus condus lapidem movet omnem, ne peſſum eat illud dicterium, quod homo homini diabolus, & quod figulum figulus odio proſequi non ceſſet. Confido tamen, apud viros ſaniores, ac purioris literaturæ me veniam eſſe impetraturum, eosque me vel inde eo facilius excuſatum habituros, quod inſudaverim materiæ ſumme abſtruſæ, & non tam multis annis, vel luſtris, quam pluribus ſeculis præ omnibus aliis controverſæ & ventilatæ ceu fatebuntur medici ac eruditi omnes. Quod ſi igitur

uni vel alteri penitior & clarior ſuppetiverit hujus rei ſcientia, & ſi noverit hiſce a me prolatis quiddam rectius, rogo, ut candidus impertiat, ac placide exponat orbi literato, faciet ita rem non modo Academiæ noſtræ Naturæ Curioſorum, ſed etiam Chriſtianiſmi legibus digniſſimam. Illos vero qui cavillandi ſtudio me proſequentur, ac ſcommatibus adorientur, e fundamentis Ethicæ Chriſtianæ nihili æſtimabo, Davidem, Simei convitianti non obloquentem, ſecutus, nec aſininæ illi calcitrationi me opponam, quemadmodum integro hoc tractatu egomet ſane nunquam, vel minimo etiam verbo quempiam lædere, animum induxi. Miſereor potius illorum, quod charitatis chriſtianæ proximo debitæ ſint obliti, Deumque gratioſum rogo & obteſtor, quo impoſterum in illis majorem & ſinceriorem erga proximum innocentem excitet amorem, ut ita meliorem animarum curam gerere diſcant.

Materiam ipſam mihi nunc deſcripturo tam amplus ſeſe offert diverſarum opinionum hanc ſumme confuſe aut occulte tractantium ac depingentium campus, ut utrum eloquar, an ſileam, fere neſciam: integrum ſane conſcriberem tractatum, ſi eaſdem proponere conarer. Librorum enim de hac materia vagantium tantus eſt numerus, ut facile ſufficeret pro onerandis aliquot curribus ac navibus; & quod majore dignum admiratione, inter illos numero, uti dictum, plurimos diverſam, & ſinguli fere ſingulares fovent ſententias, ut omnes tantum non invicem, ad minimum in nonnullis principalioribus hypotheſibus & neceſſariis circumſtantiis diſſentiant, vel ſaltem diſſentire videantur, & quamvis me minime lateat, quod in horum uno vel altero ingenui & prudentes nonnulli artis filii veram & genuinam materiam, vel quodammodo tangant, vel etiam ſatis perſpicue proponant publico, Lectores tamen tantorum naturæ Arcanorum plane aut ſaltem quarundam enchiriſium ignari, nec manus ipſas operi antea admoventes, per inſpecta ſcripta alia chymica ſpuria materiam aliquam remotam & erroneam commendantia turbantur, quomodo verum a falſo diſcernant, & quo ſe vertant, neſcientes: adeo quidem, ut lucidorum veræ materiæ radiorum claritas non ſufficiat pro diſſipandis obſcurorum iſtorum tenebrionum & veſpertilionum tenebris, pro refellendis ludicris ſimiarum talium operibus.

Sane, dum in memoriam mihi revoco notatam diverſarum ſententiarum farraginem, vel mixturas ſimplices, parum abeſt, quin ſimul in indignationem, commiſerationem & riſum rapiar.

In indignationem, expendens, quod multi e faſtuoſa arrogantia hac de materia projiciant ampullas, & ſesqui pedalia verba, (poſtquam

quam e male intellecto ſcripto chymico nonnulla exſuxerint) ac tantis ænigmatibus, tantisque obſcuritatibus obvelent, tamque occulte orbi curioſo ſua obtrudant, ut nodos hosce Gordios ſolvere ſit omnium difficillimum, ſi non impoſſibile, & neque Davus, neque Oedipus aliquis mentem & ſenſus Autorum iſtorum penetrare valeat, ut crediderim, illos ipſos partim neſcire, quid intenderint, quid ſcripſerint; ac proinde optime in eos quadret illud dicterium, quod quidam obſcuriſſimo Poëtæ Perſio apponebat: Si non vis intelligi, cur ſcripſiſti.

In commiſerationem vero, dum non pauci miſelli, talium blateronum & vaniloquorum promiſſis ſpe auri arripiendi turgidis patiuntur ſibi imponi, ſuaque capita turbari ac repleri, inauratis vaporibus; atque ita videntes, multos alios occupari circa magnum hoc negotium, ne diabolus ipſos inveniat otioſos, illud idem aggrediuntur, tamen quaſi ſemi ebrii, ſine methodo, ſine decentibus artis fundamentis, illiterata & ſtupida in ſimplicitate; atque ita fruſtraneis his Tantali dapibus avide inhiant, Siſyphi ſaxam hocce volvunt, indefeſſo & laborioſo fervore, manibus tamen ſuaviſſimo dulciſſimæ ſpei melle illitis, atque ſub ſpe exſucca ſeneſcunt; non aliter ac illi, qui cellam cereviſia recenti aut muſto fervente plenam ingrediuntur, quaſi ebrii redduntur, ſine vera grati ipſius liquoris perceptione ac uſu.

In riſum vero rapior, dum horum Nugi-fumi-venti vendulorum aliqui videntes, quod veris per ignem Philoſophis nonnullis per allegorias, ſecretas deſcriptiones, variaque a rebus uſualibus & cognitis depromta, aliter vero penitus intelligenda nomina (ne hoc magnale dignis & indignis ſimul communicetur, nec perlæ projiciantur ſuibus) id deſcribere placuerit; itidem, ut etiam aliquid coram mundo eſſe videantur, publice exponunt falſa & ficta ſua Arcana per ridicula Emblemata, & ſtolida Hieroglyphica, vel ipſi Heraclito cachinnum extorſura, per hyperbolicas item paraphraſes & excurſiones; adeo ut nullus unquam Philoſophus tam abſurdas Chimæras, aliaque rationis entia animo concipere fuerit auſus. Atque ita geniis ſuis blandiuntur, crumenasque ob frequentem ſic dictam purgationem ad atrophiam vel marasmum proclives ſolantur, dum, quod fieri ſperant, gaudio intempeſtivo & quaſi ecſtatico-enthuſiaſtico ex ſe rapti jamdum factum credant, triumphum ante victoriam canentes.

Proinde ſeducti nonnulli, etiam non mediocris eruditionis Medici & Chymici, locutionibus dictis tam varie diſſentientium, tam varie ſibi contradicentium metaphoricis & occultis, pro laborum

ſuorum ſcopo tanquam genuinam materiam ſelegerunt ſumme diverſa, fere innumera. Multi quidem confiſi ſunt in Auro ipſo, utpote metallorum rege, Sole & Phosphoro; in hoc enim latitare incomparabilem vim balſamicam & reſtaurativam Archæi Noſtri debilitati, non habemus, cur dubitemus, nec ullus negare audebit. Quam anxie hinc per operationes pyrotechnicas omnes illi Aurum, & cum hoc ſeipſos laceraverint, cruciaverint, torſerint, quaſi inviti teſtatum eunt Libri plurimi. Et cum Aurum inter remedia Particularia principem facile obtineat locum, judicarunt, inde eo felicius adſcendi poſſe præ aliis omnibus ad univerſale: Cum etiam inter res metallico-minerales, nec invidia contradicente, ſit perfectiſſimum, eo citius & commodius inde ſperandum eſſe exaltationem ad Tincturam Univerſalem.

Non minus multi alii toties totiesque fruſtra inſudavere reliquis metallis omnibus, hic huic, ille illi, iſte iſti; præcipue quidem *Mercurio*, *Veneri*, *Saturno*, &c. Plures denique Nomen huic vel illi corpori mixto chymico alias dari ſolitum, a veteribus autem pyrotechnis Arcano cuidam impoſitum, atque hic diverſo plane ſenſu accipiendum juxta verbalem tenorem intellexerunt, & ſic cum aliis ſe ipſos deceperunt, dum nimirum mentes manusque fatigarunt in chymice tractandis variis rebus naturalibus, præprimis quidem e regno Minerali: *Antimonio*, *Vitriolo*, *Nitro*, *Sulphure*, *Sale communi*, *Sale armeniaco*, *Sale gemmæ*, *Alumine*, *Arſenico*, *Magnete*, *Mercurio ſublimato*, *Borrace*, *Lapide calaminari &c.* Ut & e regno Animali: *Sanguine*, *Mumia*, *Spermate*, *Secundina*, *Urina*, *Ovis*; nec non e regno Vegetabili: *Vino*, *Sale Tartari*, *Fuligine*, *Lunaria*, *ſanguine Draconum*, *rore Solis dicta herba*, *&c.* Quo vero eventu & ſucceſſu id factum, loqui jubeo talium infelicium Alchymiſtarum & Pſeudo-Adeptorum, vel querelas publicas, vel amicis concreditos animorum ſuorum morſus, vel pudorem tacitum.

Minime quidem negamus, dicta corpora phyſica, & ſimilia conſtare e *genuina Materia univerſali*, cum res omnes Mumia hac Balſamica ætherea ſint impraegnatæ, ea creſcant, nutriantur, conſerventur. Verum talia corpora ob ſuam maturitatem ſunt materia ſaltem remota, imo partim remotiſſima, minime vero propinqua vel proxima; dum in hisce dictus Balſamus nimium eſt fixatus, & coagulatus, copioſisque cruditatibus heterogeneis conſpurcatus, ut proinde ad primævam ſuam operi huic incomparabili ſumme neceſſariam minime reduci queat puritatem & homogeneitatem; cum nihil plane alieni aut extranei Tincturæ Noſtræ compoſitionem ingredi poſſit,

ac

ac debeat; Materia enim ejus abundanter in ſe habet, quod ad ſuam perfectionem habere debet; veluti in Manuſcripto Petri Johannis Fabri Cap. V. huic Tractatui annexo legendum.

Aliis tandem licuit quidem eſſe tam felicibus, ut propinquam & veram materiam arripuerint, & tetigerint, cito tamen a regia hac via iterum aberrarunt, dum non unitam & integram labori deſtinarunt, ſed huncce ſaltem ſunt aggreſſi in dimidia Materiæ parte, hoc eſt, vel nimis alta & ſuperiora petiverunt, eligentes partem ſolummodo aëream & volatilem, vel adhæſerunt nimium inferioribus, quærentes quod deſiderant, in ſola parte fixiore vel terreſtri. Alii denique omiſerunt enchiriſeum neceſſarium unam aut alteram, cum opus hocce ſuperficiarie ſe ſe tractari neutiquam patiatur.

Non defuere etiam multi, qui Materiæ veræ admiſcuerunt aliena, heterogenea, & jamdum compoſita & fixa corpora; ut proinde propria ſua culpa potiri optato fine minime valuerint.

Præmonitis hiſce veram Materiam Univerſalem declaraturus, brevius & accuratius ſimul illud præſtare nequeo, quam per duo verba ſequentia, depromta e ſecreto Manuſcripto, quod Sereniſſimo Holſatiæ Duci ac Norwegiæ Hæredi Domino Friderico, beatiſſimæ Memoriæ, tam in genere rei literariæ, quam in ſpecie Medico-Chymicæ Mœcenati incomparabili, communicavit Magnus Naturæ Myſta, *Petrus Johannes Faber*, dum Cap. 25. ſtatuit: *Tincturam Univerſalem præparari, e Puro Naturæ:* vel, uti Clariſſ. *Chriſtian. Adolphus Balduinus*, Tractatu de Auro Auræ Cap. 3. p. m. 37. unico verbo eandem appellitat, *Uranogæam*, h. e. Cœlum terrificatum.

Ne autem obſcurum per æque obſcurum curioſis obtrudam, ſed ſcapham ſcapham nominem, pro horum verbulorum dilucidatione ſubjungo ſequentia: E ſuperioribus pateſcit capitibus Tincturam Univerſalem perficere ſuam operationem non veluti alia medicamenta particularia, dum innata e qualitate unumquodque agit in ſibi contrarium, v. g. dum remedia alcalia extirpant morbos ab acido præternaturali & nimio oriundos; vel dum hoc medetur Epilepſiæ, illud ſanat Phthiſin, iſtud eradicat febres, aliud reſiſtit Arthritidi, quoddam menſtrua tarda pellit, iſthoc nimia ſufflaminat; unum eſt ſudoriferum, alterum purgans, tertium vomitorium, quartum adſtringens, & ſic porro: Sed Tinctura noſtra efficaciam ſuam exhibet roborando *Calidum innatum* veluti in Antecedentibus latius diductum.

Anima enim noſtra, unice hujus & ſpirituum utitur miniſterio pro integra conſervanda Oeconomia Microcoſmica. Hac enim Tin-

ctura incomparabile affunditur oleum lampadi ignis vitalis, quo ſpiritus ſuppreſſi recreantur, recenter illuſtrantur, & in actum denuo ducuntur; recreati hi & illuſtrati Balſamica ſua virtute maſſam ſanguineam imbuunt & renovant, hinc accepto neceſſario pabulo, ac nutrimento, quodlibet membrum rite ſuo, ad quod deſtinatum eſt, fungitur officio. Internæ partium diſſenſiones præcaventur, aut præſentes tolluntur, & quæ circulatoriam ſanguinis officinam turbant, ſedantur, expelluntur; breviter multa; Præſens ſanitas conſervatur, & amiſſa reſtituitur.

Non minus Tinctura laudata in metallorum imperfectorum exaltatione aut transmutatione *energia quaſi imperatoria* deſideratum abſolvit opus.

Stantibus & præſuppoſitis hisce modo dictis, (nimirum, quod Tinctura Univerſalis minime operetur methodo qua alia medicamenta, qualia ſint, ſpecialiter hoc contra hunc, illud contra illum morbum, aut ab alcali, aut ab acido vitioſo vel nimio ortum; ſed hæc ſola contra affectus omnes a quacunque etiam cauſa morbifica progenitos modo Archæali agat) ſequitur: Tincturæ Materiam ex qua, neutiquam poſſe quæri in corporibus mixtis, fixis, perfectis, unde ſuam haurit originem reliquorum medicamentorum copia; ſed altioribus rebus natales debere, atque ex occultioribus naturæ arcanis ortum ſumere. Proinde ex effectu, vel a poſteriori (velut in rebus Phyſico - Medicis, non infrequens eſt,) argumentantes, dicimus, affectum univerſalem præſupponere ſimilem, id eſt, univerſalem cauſam, ut ſic neceſſario ſit quærenda & expectanda ejusdem præparatio in rebus primis & univerſalibus, principiisque generalibus rerum omnium Macrocoſmicis, Cœli, Aſtrorumque influentia impraegnatis, e quorum diſpoſitione vegetatio & interitus, vita & mors Macro - & Microcoſmi dependet. Hæc ſunt illud Purum Naturæ ſuperius allegatum Petri Johannis Fabri: Hoc ille in citati Manuſcripti Cap. 26. definit: Quod ſit nil aliud, quam *quinta Eſſentia Cœli & Elementorum omnium, quod in Centro Terræ excoquitur, & hinc per poros Terræ amandatum, producibilia omnia producit, præſervat, alit.*

Quamvis de hujus Univerſalis Principii definitione ac eſſentia dilucidanda, e diverſis Naturæ Proceribus varia lucernam olentia, producere poſſem, (ſiquidem curioſum Lectorem, remitto ad Theatrum Chymicum, & Muſeum Hermeticum, quam inter plurimos & præcipue Neotericos ad Petrum Joh. Fabrum, in Panchymico, ad Joh. Tackium in triplice phaſi ſophico, ad D. Nuyſement de Sale & ſpiritu

ſpiritu mundi, ad Joh. Joachimum Beccherum in Phyſica ſubterranea, & ejusdem Supplemento; ad Heinr. Kunradum in Amphi-Theatro, ad Poſitiones de ſpiritu mundi Anonymi, annexasque huic Notas aureas Andreæ Cnœfelii Anno V. Miſcellaneor. Curioſor. German. adjunctas.) placet tamen pro firmiore veritatis eruendæ & propalandæ fundamento ac ſolatio inſtar plurium allegare verba *Athanaſii Kircheri*, utpote Viri ob rariſſimas ingenii dotes, in puriore Literatura, ac ſpecialiter in phyſicis Theorematibus, & ſimilibus, excepta Chymia Practica, incomparabilis.

Manifeſtus hic hoſtis ac acerrimus Antagoniſta Tincturæ noſtræ, tamen, tam in aliis ſcriptis, quam inprimis in Tomo ſecundo Mundi ſui ſubterranei accurate & nervoſe deſcribit materiæ noſtræ materiam, horum tamen inſcius plane, alienoque ſcopo propoſita proponens. Ex quibus denuo clareſcit, quam miraculoſa ſuis ſit in operibus & creaturis, uti ubique, ita etiam præ aliis in hoc noſtro Divina Majeſtas, dum magnus hic vir neſcit, quantum ſciat in rebus chymicis, & quam immerito & injuſte tantus ſit Chymico-Maſtix; cum e contra tot naſutuli, Philauti, Chymicaſtri crepent in ſimilibus ſe ſe multa ſcire, cum tamen omnia, vel ad minimum plurima & potiora arcaniſſimi hujus Myſterii neſciant.

Modo dictus immortalis *Kircherus* Mundi ſubterranei Tomo II. Libr. 12. Sect. 1. Cap. 1. pag. m. 327. inter alia, in hæc erumupit verba, de rerum Panſpermia, ſeu de virtute ſeminali catholica loquens: „ E Sacris Moſaicis oraculis, quæ merito omni humanæ cognitio- „ nis certitudini, multis paraſangis anteferre debemus, conſtat, „ Conditorem omnium, DEUM in principio rerum materiam quan- „ dam, quam nos non incongrue Chaoticam appellamus, e nihilo „ creaſſe. Glorioſus enim DEUS creavit omnia ſimul, intra quam, „ quicquid in natura rerum mixtarum, ſubſtantiarumque materia- „ lium poſtea producendum erat, veluti ſub Panſpermia quadam con- „ fuſam latebat. „ Et paulo poſt inquit: „ Quæ cum ita ſint, me- „ rito hoc loco quæri poteſt, quænam fuerit illa Panſpermia & vis „ ſeminalis rerum omnium productrix? Dico, fuiſſe ſpiritum quen- „ dam materialem, ſeu ex ſubtiliori cœleſtis Auræ, ſive ex Elemen- „ torum portione compoſitum, fuiſſeque vaporem quendam Salino- „ Sulphureo-Mercurialem ſemen Univerſale rerum, Elementis a „ DEO concreatum, originem omnium eorum, quæ in mundo con- „ dita ſunt, Entium corporeorum. Hic enim pro natura matricum, „ quibus inditus, in matricibus quidem inanimatis Mineralia & Me- „ tallica corpora, in Vegetabilibus plantas omnis generis, in ſenſi-

„ tiva

„ tiva natura Animalia juxta congruam unicuique naturam, inſitione „ mirifica producit, & in tot corpora mixta, quot ſpecies rerum ſunt, „ combinatione ineffabili, ſoli DEO nota, individuatur.„

Et in diſquiſitione pagina ſequenti: „ Unde non immerito hoc „ tanquam ſemen univerſale Naturæ Spiritum Salino - Sulphureo- „ Mercurialem, unam ſubſtantiam triplici virtute diſtinctam nuncu- „ pandam cenſuimus: Proximum rerum omnium principium, ele- „ mentis, quæ hujus vehiculum quoddam ſunt, & materiam remo- „ tam, ab initio rerum inditum, & ad rerum omnium conſtitutio- „ nem compoſitionemque a DEO deſtinatum: Cum nihil ſit in re- „ rum natura, quod ex hac triplici virtute, in uno ſale naturæ con- „ tenta non conſtituatur.„ Plura vide apud Autorem in hoc aliis- que locis pluribus.

Quemadmodum igitur ſpiritus hic mundi univerſalis, anima hæc univerſi, ſal hoc Naturæ Aſtrale, unum hoc a quo omnia, Balſamum hoc Catholicum, Mumia hæc generalis, genuinum hoc Aurum philo-ſophicum, deſideratiſſimus hic Philoſophorum Mercurius, puriſſima hæc cœli ac Elementorum omnium Quinta Eſſentia, ſuperiora & in-feriora omnia fovet, nutrit, conſervat, ſine cujus influxu, perpetuo nihil dictorum vivere, vel ſubſiſtere poteſt, ita quoque ex hoc ſub-jecto Jure-merito quærimus Tincturæ noſtræ univerſalis, Nomini ejus convenientem univerſalem materiam.

Cum vero Spiritus hic igneus, ſal hoc cœleſte ſumme ſit volati-le, inviſibile, ac quaſi inſenſile, ideo infallibiliter indiget cujusdam corporis vel materiati, per quod, ac in quod agat, vel quod me-diante operationes ſuas in actum deducere valeat. Sed quonam modo ac medio ſit concentrandum ac incraſſandum, verum hoc Jovis Nectar, Solare Sulphur hoc Philoſophorum, quomodo capien-da ſit hæc Hermetis Avicula, varie ſe ſe exercuerunt, ſuaque cere-bella exſiccarunt, atque in hujus captura non levius ſane, quam in ipſa materia invenienda, & cognoſcenda hallucinati ſunt Chymia-trorum plures, partim non infimi quoque ſubſellii. Proinde etiam, non minus ac ipſam materiam, Magni Artiſtæ occultarunt, vel obſcu-riſſime publico expoſuerunt, Chymicum hoc ſuum Rete, ſuum *Magnetem*, ſuum *Chalybem*, quem vocant; adeo quidem, ut non pau-ci veterum Chymicorum Philoſophicum Mercurium, vel ſpiritum illum aereum ſatis manifeſte detexerint; quomodo autem hic ſit fi-gendus, cum Sale fixo conjungendus, fermentandus, &c. hic aut aqua iis ipſis hæret, aut illi hæſitant, idque occultant, ut aqua aliis hæreat.

Quo-

Quoniam igitur ex hactenus dictis clareſcit, quod e Chaotico illo Ente primo res omnes generentur, quod ex hoc uno fiant omnia, DEO in generali creatione ſic volente & ordinante; dum nimirum illud ſemen Catholicum influit in cuncta corpora materiata, ibique ſubſiſtit in horum matrice; tunc virtute per Protoplaſten indita ab irradiante ſeminis Aſtralis influxu excitatur aliqualis mixtio, vel unio: (Neoterici magis nervoſe vocitant fermentationem) tunc e dicto ſubjecto pro hac vel illa Creatura efficienda diſpoſito oritur hæc Arbor, hæc planta, hoc minerale, hoc metallum; & ita porro procedit rerum omnium generatio, nutritio, auctio, conſervatio: ſic ipſe homo certe traducitur & generatur e ſemine Parentis.

Generatio autem hæc minime perfici alibi poteſt, quam in utero materno, ubi hujus fit miſtio & fermentatio cum illis, quæ mater operi confert. (Loquor de modo generationis ordinario, luſus & errores Naturæ, exemplaque extraordinaria me non feriunt.) Sic quoque ſemen Brutorum non generat, niſi in matrice apta. Idem eſto judicium de regno minerali & vegetabili. Quamvis enim, v. g. ſemen Braſſicæ, raporum, cochleariæ, &c. ſæpe ſæpius vel etiam diu exponas aeri, radiis Solis vel Lunæ, rori, pluviæ, &c. extra dubium dicto hoc ſpiritu Architectonico imprægnatis, neutiquam tamen perfecte, & ſolito more producet ſibi ſimile, niſi communicetur terræ, mediante Sale fixo ad generationem & fermentationem diſpoſitæ.

Proinde materiam Tincturæ Univerſalis perfectam & genuinam nullo plane alio modo exiſtere poſſe, ac jam dictum, ſtatuo. Hinc eandem Lectori propono ſub tali deſcriptione aut definitione: *Materia Tincturæ Univerſalis eſt ſubſtantia, e primis Catholicis, & purioribus rerum omnium principiis orta, mediante aëre, ſub forma Salis volatilis, inviſibilis, ac ſumme penetrabilis, legitimis & balſamicis Anni temporibus cum Sale Terræ centrali fixo, quod ejusdem cum Sale volatili eſt originis, unita ac fermentata.*

Dixi 1.) *Subſtantiam e primis, catholicis & purioribus principiis rerum ortam.* Quid per hæc principia indigitetur, modo adducta e Kirchero, aliaque docent, ut ample eadem hic repetere, ſupervacuum judicem; duobus ſaltim verbis addens, quod hæc ſint pars ſubtilior, purior & magis perfecta, ac quaſi quinta Eſſentia vel extractum Cœli & Elementorum; per quorum influxus aſtrales & æthereos non modo generantur, ſed etiam conſervantur, & nutriuntur res omnes,

& hoc per peculiarem a DEO implantatam ſuperiorum ac inferiorum familiaritatem ac harmoniam.

Dixi 2.) *Mediante Aere.* Quamvis enim dictum Ens Univerſale in omnibus contineatur elementis, illudque de horum eſſentiæ puritate participet; nihilominus, aër ob ſuam tenuitatem ac penetrabilitatem magis commodus eſt, loco vehiculi occultum hoc Principium tam generativum, quam conſervativum quibuslibet ſublunaribus communicandi. Conſtat enim phyſica experientia, huncce loca omnia, etiam abſtruſiſſimos mundi angulos permeare, veluti perpetuum quoddam Mobile, aut nunquam otioſum Macro- & Microcoſmi Oeconomum, inibi contentis pro naturali uniuscujusque deſiderio advehere novam generationi, Nutritioni ac Suſtentationi aptam materiam.

Adponam accurata verba *Joh. Joach. Beccheri*, Supplement. in Phyſicam ſubterraneam Capite 5. pag. 70. 71. prolata: „Hic eſt ille „ſpiritus, qui in Aere habitans, omnia etiam inſecta Terræ, vivifi„cat, fluminum aquas fermentat, in venis ſanguinem movet, & „tingit, in mineris metalla producit, in vegetabilibus in flores & „fructus excreſcit; omnibus omnia in omnibus, in Nubibus pluit, „tonat, ningit; in terris creſcit, floret, geminat; in animalibus „vivificat, alternat, digerit; in mineris fumat, penetrat, figit; „arte applicitus vitam conſervat, morbos curat, metalla transmu„tat; in volatilibus volatilis, in fixis fixus, in animalibus animalis, „in vegetabilibus vegetabilis, in mineralibus mineralis, Philoſophi„cus Chamæleon; in omnibus autem naturæ perfectiſſimæ, pro„prietatis penetrantiſſimæ, ſubſtantiæ tenuiſſimæ, &c.„ Hucusque Beccherus.

Propterea inconcuſſo innititur fundamento, antiquum illud Chymiæ Dicterium, quod occultus in hoc lateat cibus. Tantum enim contribuit conſervationi ac vitæ omnium Aer, ut citius cibo ac potu quam hoc ipſo carere poſſimus; adeo, ut firma ſtet connexione hic circulus: Quamdiu vivimus, tamdiu reſpiramus; quamdiu reſpiramus, tamdiu aerem attrahimus; quamdiu aerem attrahimus, tamdiu vivimus. Siquidem continua conſtat experientia; aerem clarum & bene conſtitutum, communicare creaturis omnibus ſanitatem, ſtatumque vegetum. Si vero atomi impuræ a globo terraqueo elevatæ illum conſpurcant & turbant, communi miſeria inſequuntur hominum non modo & brutorum calamitates morboſæ, ſed aliarum quoque rerum corruptiones ac interitus. In animalibus

enim

enim ſanguinis circulum in ſtatu naturali fovet, ſanguinem volatiliſat, ejusque cruditates præcipitat, & diſſipat. Sic norunt Philoſophi per ignem plures, caput mortuum ſpiritus Vitrioli libero expoſitum aeri per temporis ſpatium, (ita tamen ne manifeſtis radiis ſolaribus, aut pluvia alteretur,) ab aereis atomis nova virtute olim ſibi indita impraegnari, & quaſi reviviſcere; ut ſpiritum priore puriorem ac ſubtiliorem deſtillatione emittat. Quam Enchiriſin itidem in Sale Tartari, ac aliis alcalibus, item in coctione Nitri, Vitrioli, Aluminis, variisque rebus procedere, jam diſcunt pyrotechni curioſi, id eſt, qui non ſolum credunt, quod Anteceſſores noſtri, (ſummo quidem honore digni) crediderint, & cognoverint, ſed qui arcana Naturæ ſcrutantes in ſudore faciei veſcuntur ſuo pane.

Sic propria teſtor Experientia, me Venetiis, Patavii ac alibi in Italia obſervaſſe apud uno plures pharmacopæos rariorum ac novitatum avidis nonnulla publice exponentes, quod viperæ aliquot ſaltem dies natæ, vitro capaci, ligatura bene munito incluſæ vitam non modo ſuſtentaverint; ſed & ſolitum corporis augmentum acceperint; & hoc, neceſſitate ſic urgente, ſine ſolidioris alimenti uſu, ex ſolo illo dicto occulto aeris omnia penetrantis cibo.

Non minus elapſi Anni Menſe Septembri araneam magnam (die Creutz-Spinnen) incluſi vitro capaci, illudque ligatura bene munivi, experturus, quamdiu ſine craſſiore cibo ipſi ſolito, veſpis, muſcis, &c. viva ſupereſſe valeat. Hæc ad quinque ſeptimanas vegeta ſatis in vitro degebat, transcurrebat, aliquando fila texebat. Tunc vitro ſubito aperto indebam ſimilem araneam recens captam, has ambas aliquoties inveni acriter dimicantes & pugnantes, donec poſt 12 dies poſterius immiſſa a priore morſu fuerit læſa in corporis denſa & gibboſa parte materiam ſubflavam pinguem effundente, hinc mortua; Prius vero incluſa, finita decima ſeptimana, quietiorem ſe ſe ſucceſſive gerebat, atque ob nutrimentum ſolidum, ſolitumque tamdiu denegatum debilitata, tandem moriebatur. Jam non attingo exempla hominum longa & inſolita abſtinentia ſe ſe ſuſtentantium, ubi ſua itidem, omne extra dubium contulit aër: De quibus conſulantur *Fortunius Licetus*, *Sennertus*, alii.

Dixi 3.) *Sub forma Salis volatilis, inviſibilis ac ſumme penetrabilis*, Spiritum hunc æthereo-aëreum, verum illum & proximum DEI Opt. Max. pro conſervandis ſuis Creaturis omnibus Amanuenſem, non immerito Salis nomine deſcribunt Chymicorum plures; cum ipſi propriæ qualitates ſalinæ apprime conveniant. Sal enim generaliter

Q 2 ſumta

ſumta ejus voce indicat ſubſtantiam ſumme perfectam & balſamicam; adeo ut centrum cujusvis fere rei in ſale lateat. Sic videmus in reſiduis plantarum &c. combuſtarum, aut calcinatarum cineribus Sal eſſe præſens, efficaciam ſuam cuilibet excoquenti, vel elixivianti manifeſte demonſtrans.

Dixi autem hoc *Sal volatile, inviſibile, ac penetrabile*, cum ob ſupremam eſſentiæ ſuæ puritatem ac tenuitatem viſum & tactum noſtrum effugiat, ac ob incomparabilem ſuam penetrabilitatem ubique reperiatur. (Artificioſæ illæ & natura quaſi invita factæ vacui demonſtrationes Valeriani Magni, Domini Ottonis de Guerike &c. valde curioſæ me non tangunt, cum hic agatur de motu aeris ſpontaneo & naturali.) Quomodo autem aer cum ſuis contentis alia loca, occultiores quoque abyſſos penetret, cum a multis prolixe & perſpicue jamdum ſit publico communicatum, hic repetere, extra meum eſt propoſitum, propterea Lectorem ad illos remitto.

Dixi 4.) *Cum Sale terræ Centrali fixo*: Ex hactenus dictis manifeſte pateſcere nullus dubito, Materiam materiæ Noſtræ Univerſalis quidem conſtare e Sale hoc catholice principiante, e concentrata hac cœli, elementorumque eſſentia. Cum autem hoc ſit ſumme volatile ac fugitivum, ideo etiam, ceu de rebus aliis omnibus monitum ac probatum, retinaculi, corporeitatis, aut materiati cujusdam indiget, in quo operationes ſuas perficere, atque in actum deducere valeat. Et quemadmodum aer huic materiæ inſervit, ut mediante ejusdem vehiculo, volatilitate ſumme penetrabili loca omnia tranſeat, ita econtra Creator dignatus eſt terram, ut ſit ejusdem receptaculum, vel potius Macrocoſmi laboratorium.

Verum enim vero, cum non quodlibet fiat e quolibet, juxta commune Phyſicorum effatum, neque e quolibet ligno fiat Mercurius, ſic non eſt, ut quisquam ſibi perſuadeat, quamlibet terram, quodvis minerale aut metallum æque apta & diſpoſita eſſe, tanquam materiam proximam pro legitime recipiendo æthereo hoc hoſpite, pro capienda & debite retinenda hac Hermetis avicula, quam dicunt artis filii. Sed primus & primarius Orbis Architectus, omniſcia ſua Providentia pro fœtu hoc miraculoſo concipiendo, fovendo, nutriendo, pariendo non elegit aurum, argentum, adamantes, ambram, perlas, aut ſimilia pretioſa ſubjecta. Sed in viliſſima & nauci æſtimata quadam terra (quam itidem dignatus eſt olim, ut materiam præbuerit Adamo ad ſui imaginem condito) per hoc Sal centrale fixum fœcundam & fertilem condidit matricem.

Præ

Præ aliis igitur ad opus noſtrum eligenda terra pinguis, ſubnigra, vel e nigredine rubeſcens & nitroſa, (*a*) Salinis nitri atomis turgida, qualis pro nitri excoctione adhibetur; item fertilis illa, quæ pro agris fœcundandis in uſu eſt, & Marga (Mårgel) audit; limoſa item, mixta aliqua arenoſa parte.

Minime autem conducit terra nimium viſcoſa aut tenax, cum in tali corpore nimis glutinoſo non adeo large & copioſe inhærere, ac ſe ſe immiſcere valeat Sal aëris volatile. Multo minus ſit nimium ſicca & arenoſa, cum ſpiritus mundi aut minus ſufficienter ſeſe agglutinet, aut tranſeundo ob laxitatem corporis magis profunde terram penetret, & interiora petat; ſed ſit moderate pinguis, & ſimul quodammodo arenoſa, ut ſic ab admixtis arenæ corpuſculis, & ſtriis pinguiuſculum terræ corpus poroſum, dilatatum, & quaſi retiforme reddatur, quo gratiſſimus hic hoſpes eo commodius hic habitare valeat.

Hæc eſt vera minera, verum Metallum, verum Nitrum philoſophicum, hæc eſt vera terra virginea & pura, qualem deſiderant, qualemque innumeris fere occultis nominibus Artiſtæ deſcribunt. Debet quidem omnino pro recipiendo lubrico hoc aëris Mercurio, corpus eſſe glutinoſum, terreſtre, minime tamen nimis fixum, qualia ſunt Metalla, Nitrum & Mineralia, aliaque ſimilia corpora perfecta, utpote quæ multis heterogeneis, difficillime ſeparabilibus conſpurcata impuritatibus; ſed naturæ ſit inter hæc mediæ. In tali enim terra uberrime reperitur ſal centrale fixum, inibique facilius & copioſius poteſt obtineri, inque fermentationem commoveri, quam ex aliis ſubjectis.

Dicitur autem centrale, quod ſal aëris aſtrale & Volatile huic, quaſi terræ centro inhiet, utpote legitime diſpoſitæ matrici. Minime autem in proprio centro terræ hæc combinatio eſt quærenda & expectanda; ſed potius in philoſophico hoc centro, cum quælibet minera, & quælibet terræ particula ſuum habet centrum e phyſicæ chymicæ fundamentis.

Terram dictam, ceu genuinum ſpiritus mundi diverſorium, ac materiam proximam, aperuit mihi unus & alter Chymiatrorum ſaniorum, ex illis, quorum in ſuperioribus capitibus mentionem feceram, quod hac ipſa fuerit uſus ad Tincturæ Univerſalis laborem, eidemque optato eventu, ac feliciter ita ultimam impoſuerit manum; Alii itidem fatebantur, licet opus hoc non plane licuerit abſolvere, cum certo certius illis conſtiterit, Deum omnipotentem hoc impediviſſe, & clauſulam ab ipſis deſideratam inhibuiſſe; nihilominus rem

juxta puriorum chymicorum methodum, mentem & monita ſucceſſiſſe per tempus ex voto, talibusque circumſtantiis, quales ab hoc opere feliciter ad finem tendente ſunt ſperandæ.

Sicco pede hic transgredi non poſſum, nonnullos pro materia propinqua (& quidem non adeo inconcinne & abſurde, ſi ſecundum methodum philoſophicam & legitime tractetur) venditare ſequentem. Reperitur pluribus Germaniæ in locis, v. g. prope Caſſellas Haſſiæ, prope Numburgum Thuringiæ, &c. in terra pingui & limoſa lapis rotundus, vel oblongus, nucum juglandum vel ovorum magnitudine, coloris ſubnigri vel cineritii, nullius ſaporis. Hic confractus in fruſtula, paucisque ſeptimanis aëri, a pluvia & radiis ſolis actualibus munito expoſitus, a ſpiritu mundi attracto, redditur ponderoſior, dilabitur in pulverem vitriolico, id eſt, ſubdulci ſapore imbutum, qui aliquando manifeſto Vitriolo viridi imprægnatur, aliquando vero, & ſæpius per coctionem vel elixiviationem elegans tale Vitriolum inde extorquetur. Hoc ſuperficiaria ſaltem manu tractatum, exhibet egregiam Tincturam purificantem, aperitivam, antiſcorbuticam. Mente vero chymica ſagaciore reſolutum, inde paratur *oleum Vitrioli dulce* (*b*) veterum aliquot Philoſophorum. Imo juxta alios majora habet in receſſu. De hiſce conſulatur *Joh. Rud. Glauberus*, Furnorum Philoſophicor. Part. 2. cap. 10. 11. 12. p. m. 59. 60. 61. ſequent. & alii.

Hisce ſubnecto, magnum Patronum mihi detexiſſe, terram, de qua ſupra egimus, pinguem & fœcundam pro materia propinqua, imo proxima omnino poſſe haberi; Dari tamen adhuc magis proximam, ſi obtineri poterit, nimirum terram illam flavam, quæ circa & ſupra Auri mineram in Hungaria, Transſylvania, aut alibi reperitur. Hæc enim præter id, quod rete præbeat ſatis commodum, capiendæ aëreæ Hermetis Aviculæ, participat de ſulphure Auri latentis Volatili, quo mediante eo citius & melius ſe commoveri, exaltari, ac in actum deduci patiantur Entia noſtra univerſalia; & hoc ob analogiam ſympatheticam, quam Aurum, metallorum nobiliſſimum cum ſuperioribus habet; quamvis minime concedamus, quaſi auri magis perfectæ & fixiores particulæ hic requirerentur.

Pro cujus rei dilucidatione addo, celeberrimum illum, mihi nunquam ſine magno honoris titulo nominandum Dominum D. Michaëlis, e dicta terra ſolari Hungarica juſſiſſe præparari & extrahi per Amanuenſes ſpiritu aliquo appropriato Tincturam; poſtquam igitur aliquot diebus ſuper notata terra in cucurbita vitrea ſteterat menſtruum pro ſolita digeſtione abſolvenda; ecce! omnes eæ partes cucurbitæ, men-

menſtruo terræ ſolaris, quæ tangebantur firmiter auro obductæ conſpiciebantur, adeo, ut difficillime poſtea hoc aurum a Vitri lateribus abradere licuerit; Hæc autem extractio vel Tinctura egregium & raræ virtutis præbebat confortans & ſanguinem purificans.

Fateor tamen eundem Virum magnum ſequenti anno itidem inſtituiſſe ſimilem extractionem; at quamvis laudabilis efficaciæ obtinuerit remedium cucurbitæ tamen inauratio neutiquam ſuccedebat; eam procul dubio ob cauſam, quod una terra atomis aureis & aëreis ſit magis imprægnata ac dotata, ac pro ſpiritu mundi recipiendo aptior, quam altera; vel quod fortaſſis eadem non bonis conſtellationibus & debito tempore fuerit collecta. Hæc de terra ſolari dicta in medio relinquo, poſſetque eadem adhiberi eo modo, quo pro maturanda Tincturæ Univerſalis perfectione, nonnulli aurum debito tempore addunt labori; veluti caput ſequens docebit. Sufficit, quod ſuperius adducta terra pinguis & nitroſa a ſagaciſſimis chymiatris mihi cognitis, pro vere proximo, univerſali & Catholico ſubjecto labori fuerit deſtinata, eventu optato, nec auri perfecti auxilio per ſe indigeat.

Ex hac ita præſuppoſito commodiorem & efficaciorem præberet materiæ noſtræ materiam terra circa fluvios auriferos in India occidentali reperta, cum ſulphure auri volatili vel auro immaturo largiſſime ſit imprægnata. Querebatur enim mihi in Batavia præcipuum quoddam dictæ ſocietatis Indicæ occidentalis membrum, quod arenæ aureæ, uti notum, ibidem collectæ, dum eæ fuſione vel liquatione in corpus coguntur, ob nimiam & reliquo auro inſolitam volatilitatem, multum ponderis decedat, vel in aurum avolet, ejusdemque fixatio a pluribus rerum chymicarum & metallicarum apprime gnaris, fruſtra hucusque fuerit tentata.

Cæterum me neutiquam latet, aliquos peritorum e Neotericis Chymicorum materiam aliquam magis aptam judicare operi univerſali medicamentoſo, aliam vero ad metallorum transmutationem Catholicam. Quod egomet omnino in ſuo honore relinquo, ſaltem addens, quod talia oleant particularitatem, vel ſint analoga remediis ac modis particularibus, neutiquam vero ſint, nec vocari poſſint, vera Tinctura univerſalis, vel veterum ille Lapis philoſophorum proprie ſic dictus, cum communi teſtimonio vel aſſertione hic utrumque perficere valeat.

Dixi 5.) in Definitione, quod *ſal terræ fixum ejusdem ſit originis cum ſale Volatili æthereo*, id eſt, licet hoc quodammodo diverſæ videatur eſſentiæ cum ſale volatili aſtrali influente, cum hoc ſit natu-

ræ

ræ volatilis, illud vero fixæ; nihilominus poſtea mediante fermentatione amice congruunt & uniuntur. Ut ita ſal hoc terræ fixum, veluti omnia natales debeat quidem ſuos ſpiritui Elementari, tamen poſtea amandatum ſit a Creatore ac concentratum in fixam ſubſtantiam ad terram fertilitate imbuendam, ut & hujus matricem ad arduum opus noſtrum diſponendam. Hoc enim ſale fixo abſente minime fœcunda foret matrix terræ, imo plane inepta pro recipiendo, legitime fovendo, conſervandoque ſale volatili aëreo.

Dixi 6.) *quod ſit unita & fermentata.* Ex his duobus enim, quæ antea etiam fuere quaſi unum, hoc eſt, quæ iisdem principiis ſunt orta, ejusdemque ſunt naturæ, neceſſario denuo debet fieri unum; Volatile enim redditur fixum, & fixum volatile, vel volatile figitur a fixo, & fixum volatiliſatur a volatili, poſt aliquam eorum pugnam; ut ita ſuperius fiat ſicuti inferius, & inferius ſicuti ſuperius, per univerſalem illum magnetismum, vel ſympatheticum conſenſum ſuperiorum ac inferiorum ab Archæo Catholico in agente & patiente inſtitutum. Unionem autem dictam decenter & perfecte fieri non poſſe, niſi mediante aliqua fermentatione, teſtantur accuratiores pyrotechni, dum nimirum per humidum terræ pingue & unctuoſum retinetur ſal volatile, atque ita in illa, tanquam macrocosmico laboratorio, per virtutem matrici terreſtri innatam principiorum horum principiantium atomi heterogeneæ hactenus contentæ ſub ſubſtantia poſt amicum & lenem efferveſcentiæ motum denuo conjunguntur, ac in deſideratiſſimam hanc transplantantur materiam.

Verum quia generalis hæc unionis & fermentationis actio ac modus a variis naturæ myſtis uti ample, ita accurate fuerit jam dudum tractata; meus autem ſcopus non ſit, alibi ventilata & propoſita hic ventilare ac proponere, ideo curioſum Lectorem ad ſuperius citatos chymiæ proceres, aliosque ablegatum volo: in ſpecie ſaltem addens magnum Kircherum, ut ut Antagoniſtam Tincturæ noſtræ ſumme fervidum, magnam lucem itidem accendere huic actioni & operationi, licet plane hujus inſcium, aliisque intentum; dum nimirum generationem metallorum, mineralium, lapidum, vegetabilium, aliarumque rerum omnium more ſuo, id eſt, accurate & ſolide depingit & enucleat. Cum autem ampliſſime eam rem tractet, neque omnia ab eo ibi allata huc referre operæ ſit pretium, ideo ille ipſe conſulatur, tum in *Mundi ſubterranei* Tom. II. Libr. 8. Sect. 1. cap. 3. & 4. p. m. 6. 7. ſequ. it. Libr. 10. Sect. 1. c. 3. & 4. p. m. 167. 168. & Libr. 12. Sect. 1. cap. 1. & 2. p. m. 327. 328. 329. tam variis aliis in locis.

Dixi

Dixi 7.) *Quod fiat legitimis anni temporibus*, hoc eſt, neceſſarium etiam, inter tam varia alia quoque eſſe requiſitum, neceſſariamque enchiriſin, ad genuinam & proximam materiam eo perfectius obtinendam, uniendam & diſponendam conſiſtere in hoc, ut ipſa colligatur, vel præparetur tempore fœcundo & balſamico. Quamvis enim firmiſſima conſtet experientia, *Mercurium huncce Philoſophicum* nunquam feriari aut eſſe otioſum; ſed ſemper & continuo circulo influere, tempore diurno, nocturno, vernali, æſtivo, autumnali, hiemali; ac impraegnare quodlibet materiatum ſublunare tanto virtutis balſamicæ, quanto pro ſui generatione, nutritione, & conſervatione indiget. Nihilominus auram uno tempore magis eſſe maturam, magisque gravidam virtute balſamica ætherea, ac altero, ac modo largius, modo parcius mundi anima eſſe impraegnatam, radiosque ſolares, motusque lunares diverſimode & manifeſta alternatione operari, & mulieres & ruſtici noſtri norunt.

Ante omnia enim eligendus eſt aër purus, præprimis ſiccus, ſine vento violento, & inclemente, atomos ſpiritus mundi diſſipante. Cum autem Archæus Aſtralis circa æquinoctia & ſolſtitia ſit magis fœcundus, & occupatus in operationibus & influxibus ſuis, vel etiam tunc purior, ideo præprimis obſervetur, ac in honore habeatur tempus circa æquinoctium Vernale, menſe item Aprili & Majo, cum tunc aër turgeat largiſſimo effluviis generantibus, vegetantibus, nutrientibus; nec minus circa ſolſtitium æſtivum ſole exiſtente in ſigno Leonis; ut & in æquinoctio autumnali. Probe tamen ſimul obſerventur aliæ conſtellationes, prout aëris puritas & claritas prædominetur. Melior item effectus eſt ſperandus Luna creſcente: Tales enim leves quaſi enchiriſes vel ſolæ ſufficiunt, ut te ipſum decipias, ſperatoque operationis eventu excidas, de quibus uberius capite ſequente, ubi de quomodo agetur.

Hæc eſt ingenua & genuina bono animo inſtituta manifeſtatio *Materiæ Tincturæ Univerſalis*, materiæ illius, quæ inauditis & quaſi incredibilibus nominibus metaphoricis, locutionibus parabolicis, ac ænigmatibus Hieroglyphicis, deſcripta, depicta, publico communicata; rectius forte dixerim, per hæc magis occultata, magis obſcuritatum tenebris involuta, avidas curioſorum intentiones magis confundens, magis turbans: Hæc fuit huc usque innumerorum deſideratiſſime deſiderantium deſideratiſſimum deſiderium.

Lectorum cuique liberum eſto, utrum dictis fidem adhibere, an derogare placuerit: mihi perinde erit: denuo tamen affirmo, me propoſita partim oculis, partim auribus hauſiſſe ex ore magnorum

Chymiatrorum, fide publica ſumme dignorum, hæc propria experientia ſancte atteſtantium.

Rogatos quoque volo veros & peritos artis filios (cum ſpuriis illis & Pſeudochymicis, nummiſugisque Ciniflonibus, nulla mihi res eſt) ut modo prolata de hac materia conferant, tam cum genuinis ſcriptis Chymicis, quam in ſpecie cum *Tabula Smaragdina Hermetis Trismegiſti* (*c*) (de cujus extraordinaria eruditione præter alios conſulatur Nobiliſs. *Olaus Borrichius* in Libris de Hermetis ac Chymicorum ſapientia vindicata, ac de ortu & progreſſu chymiæ) utpote communi fere operum Chymicorum Cynoſura & lapide Lydio; & examinent num verba perſpicue hic adducta bene ſolvant Tabulæ illius metaphoras ac invicem congruant: Hæc autem ita ſonant:

„Verba Secretorum Hermetis, quæ ſcripta erant in Tabula Smaragdi, inter manus ejus inventa, in obſcuro antro, in quo humatum corpus ejus repertum eſt. Verum ſine mendacio, certum & veriſſimum. Quod eſt inferius, eſt ſicut id, quod eſt ſuperius, & quod eſt ſuperius, eſt ſicut id, quod eſt inferius, ad perpetranda miracula rei unius. Et ſicut omnes res fuerunt ab uno, meditatione unius; ſic omnes res natæ fuerunt, ab hac una re, adaptatione. Pater ejus eſt ſol, Mater ejus eſt Luna. Portavit illud ventus in ventre ſuo. Nutrix ejus terra eſt. Pater omnis Teleſmi totius mundi eſt hic. Vis ejus integra eſt, ſi verſa fuerit in terram. Separabis terram ab igne, ſubtile a ſpiſſo, ſuaviter cum magno ingenio. Aſcendit a terra in cœlum, iterumque deſcendit in terram, & recipit vim ſuperiorum ac inferiorum. Sic habebis gloriam totius mundi; Ideo fugiet a te omnis obſcuritas. Hic eſt totius fortitudinis fortitudo fortis, quia vincet omnem rem ſubtilem, omnemque ſolidam penetrabit. Sic mundus creatus eſt. Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus hic eſt. Itaque vocatus ſum Hermes Triſmegiſtus, habens tres partes Philoſophiæ totius mundi. Completum eſt, quod dixi de operatione ſolis.„ Huc usque Tabulæ verba.

Cum igitur hactenus ſit demonſtratum, materiam Tincturæ Univerſalis debere neceſſario componi, tanquam principiis ſuis eſſentialibus, e ſale volatili æthereo, & ſale fixo terræ per amicam fermentationem unitis, clareſcit illos omnes, qui duas hasce partes non conjunxerint legitime, ſed vel in parte volatiliori, vel fixiori ſola, meditationes ac labores ſuos impenderint, propria ſua culpa ſcopum verum non attigiſſe. Quisquis etiam fuerit ſpiritum Aſtralem capiendi modus,

Quam-

Quamvis enim hæc operatio fuerit inſtituta per calcinatos ſilices, marmor, magnetem, calcem vivam, ſal tartari, capita mortua, & plura ſimilia, attractioni deſtinata, nemo tamen plenam & perfectam ſibi inde promittat ſpem ad arduum hoc opus obtinendum; & quidem ideo, quod talia materiata ob abſentiam humiditatis unctuoſæ & pinguis, nec non ſalis fixi non ſint diſpoſita ad decenter perficiendam fermentationem & unionem; vel ſi ſale fixo partim non careant, tamen illud non eſt purum, ſed heterogeneum quiddam. Secundum Artiſtas enim noſtros nihil alieni aut extranei debet accedere maximæ huic operationi; cum puriſſima noſtra materia in ſe contineat uberrime, quibus indiget.

Minime tamen hæc intellecta velim, quaſi debitum honorem detraham ſpiritui mundi, nam hic non modo continue adducit ex Pandora ſua pro Macro & Microcoſmi vegetatione ſal Aſtrale, & ignem æthereum, ſed etiam egregia inde parari poterunt medicamenta, de quibus videantur, præter ſuperius allegatos naturæ Myſtas, *Nitnerus Tractat. de ſpiritu Mundi*, & *Frid. Hoffmannus* Clav. Pharmaceut. Schrœder. Lib. 3. cap. 3. p. 141. aliique plures.

Paulo mitius experiuntur fatum Ros, præprimis Majalis, aqua pluvialis, præcipue martialis, aut tonitrualis & nix; non obſtante enim hoc, quod imprægnata quidem ſint ſale Elementari volatili, eique vehiculum præbeant ad inferiora, aliter tamen conſiderari minime poterunt, quam materia remota, partim ob jamdum admixtas impuritates heterogeneas nonnullas, partim, quod neceſſarium ſal terreſtre fixum ipſis maximam partem deficiat. Ut proinde non pauca, eaque difficilia obſtacula occurrant illis, qui per hæc magnum hocce opus ſint aggreſſuri; perfectam & plenariam Tincturæ acquiſitionem ſibi hoc modo promittentes, quamvis nonnulli de tali inſperato ſucceſſu, ipſis accidenti teſtari poſſent, ſi vellent.

Quæ de ſpiritu mundi dixeram, hic repeto, nimirum me ambabus concedere, imo pro virili deprædicare incomparabiles horum virtutes, quas in ſublunarium quorumcunque commodum largiſſime exſerunt; de quibus, cum fuſius loquatur maximus Liber Scripturæ Sacræ, multis ſane in locis, ut & plures libri Medici, ego taceo, hoc ſaltem adjiciens, quod inſignem quoque uſum medicamentoſum exhibeant humano generi, ut adeo *Petrus Borellius* Hiſtoriar. Medic. Cent. I. Obſervat. 6. laborioſa & curioſa operatione e rore Majali rariſſimam paraverit auri ſolutionem; quod quoque teſtatur Nollius in Phyſica ſua Hermetica cum aliis. De pluribus aliis medicamentis laudabilis efficaciæ jamdum propoſuerunt varia alii Autores, hinc illa repetere

ſupervacaneum cenſeo, lectorem potius ad eosdem remittens: in ſpecie tamen videatur Clariſs. *Dominus Morhofius*, qui Epiſtola ad Dominum Langelottum de metallorum transmutatione p. 35. ſequ. varia curioſa de rore Majali proponit.

Ex antecedentibus innotuit Benevolo Lectori, meum ſcopum eſſe tractare de *Tinctura Univerſali*, id eſt, Myſterio non modo morbis omnibus ſeſe opponente, ſed etiam metalla imperfecta in perfectiora & puriora exaltante. Non poſſum tamen non, quin annectam, quod unus & alter in pyrotechnia alias quidem bene verſatus & exercitatus, ſtatuat; *dictam Tincturam* quoad uſum Catholicum medicum præparatu plane impoſſibilem eſſe; metallicam vero transmutationem perfici poſſe per ſalia ſimpliciter conſiderata, minime concurrente influxu, vel operatione Aſtrorum æthereo, veluti hoc in tractatu, partim rationibus phyſicis, partim variorum experientia & teſtimoniis demonſtravimus: ſpiritum autem mundi & ſal terræ centrale, ut & horum analoga, rorem majalem, aquam pluvialem, nivem, &c. nihil plane conferre imo ſupercanea, fruſtanea, inepta eſſe.

Fateor quidem, nec neutiquam hic pluribus litigando aut controvertendo extravagari velle, ſed patiar unumquemque abundare ſuo ſenſu, potius opto, chriſtiana monitus motusque charitate, ut quilibet mortalis experimenta ſua proximo ac poſteritati utilia communicet & quaſi immortalia relinquat; tamen pro veritate in naturalium ſcrutatione melius eruenda, ſine omni bile dico: me minime latere, quam accurate hactenus, non quidem tam prioribus ſeculis, quam aliquot ſaltem luſtris philoſophi per ignem inquiſiverint in doctrinam ſalium alcalium & acidorum; ut proinde gratuler nobis, quod Divina Clementia mirabiles horum operationes, incomparabilemque energiam in rebus Medicorum & Metallariorum, & quæ his affines, magis magisque patefieri conceſſerit. Gratulor quoque potius Chymiæ in ſpecie, quod in tantum honoris & perfectionis faſtigium fuerit perducta, ut contra tot tantorumque negantium, virorum in re literaria & chymia ſane magnorum autoritatem, mediante efficaci ſalium, & quæ his affinia ſunt caute mixtorum virtute, poſſibilitatem transmutationis metallicæ cuilibet incredulo hodie ad oculum demonſtrare valeat, veluti & ipſe oculos & manus meas ejus rei poſſum appellare teſtes.

Concedo inſuper, opus hocce ſic extendi & exaltari poſſe, ut præter dictam poſſibilitatem in ſimilibus mixturis metallicis neutiquam fruſtra ſemper inſtituatur labor; ſed aliquando non ſine lucello ac fœnore operetur curioſus: Verum enim vero, quod mediantibus

ſolis ſalibus, v. g. Borrace, Sale tartari, Cineribus clavellatis, Arſenico, Mercurio ſublimato, Nitro, Alumine, Lapide calaminari & ſimilibus (ſolis dico, quatenus propria horum qualitas, juxta hosce Autores, opponitur Tincturæ Univerſali transmutanti, vel influxu æthereo opem conferenti) dicta corpora impuriora metallica, mineralia, & his confinia, ut ut varie & vere phyſice mixtis ita perfici, horum firmiſſima repagula reſolvi ac divelli poſſint in tantum auri vel argenti augmentum, quale Capite tertio nominatum, & certa diverſorum experientia munitum eſt, ut videlicet unicum Tincturæ granum aliquot centum imo millia granorum tingere valeat, hoc ſane nondum credent plures pyrotechniæ medicæ Cultores, usque dum rationes firmiores, clarioraque in lucem producantur experimenta. Effectus enim univerſalis aliam quam univerſalem præſupponere non poteſt cauſam. Nam in omni actione proportio requiritur neceſſaria inter effectum & cauſam.

Dum igitur Salia, per ſe intellecta, fundunt corpora impuriora metallica aut mineralia, perfectioris & purioris ſubſtantiæ pars major extorqueri inde minime poterit, aut expectanda erit, quam vel illud corpus metallicum ratione eſſentiæ in ſe continet, vel Salia addita ratione innatæ qualitatis communicare poterunt. Hinc talia Salia e Philoſophiæ Pyrotechnicæ fundamentis nervoſe & decenter mixta pro ſua virili, hoc eſt, quantum pro naturæ ſuæ viribus valent, in ſubjectum corpus agunt ſubtili penetrantia, ibique contentas & reperiendas diſperſas valde & fixas atomos auri vel argenti cribrant, vel percolant quaſi, & ſeparant a cruditatibus impuris. Ipſa autem ſalia multo ſunt pauperiora, quam, ut ope innatæ qualitatis tali corpori aliquam portionem puriorem auream contribuant, vel ut illud ditent, ac imprægnent virtute aurifera, ultra enim poſſe ſuum nemo obligatur, nec ullus plus poterit dare, quam habet in receſſu.

Hoc modo per Salium penetrabilitatem paratur *Venus alba*, item e Zincko, cupro, &c. varia auro & argento quoad figuram externam analoga, examen autem cupellæ, vel etiam crucibuli evincit, & demonſtrat differentiam talium a genuino auro & argento manifeſtam.

Propterea plenaria & tam larga metallica transmutatio e conjunctione & auxilio Salium proprie conſideratorum minime erit ſperanda; ſed opus hoc omnino ſub favonio Divino diriget influxus aſtrorum; cum Sal æthereum inſignem habeat familiaritatem & analogiam cum corporibus Salinis communibus, & hæc illius ſint quaſi

 ſpon-

ſpongia, matrix, vel receptaculum attractivum, & ita ſe ſe facile & libenter uniunt invicem, ſubjectaque hæc terreſtria virtutibus cœleſtibus irradiantur continuo, & fœcunda redduntur. Aſtra enim regunt homines & ſublunaria, ceu regit Aſtra DEUS.

Sic *Fridericus Hoffmannus* in clave ad Pharmacop. Schrœder. Lib. 3. Cap. 9. pag. 195. cum Morhofio ex Epiſtol. de metallorum transmutatione ad Langelottum pag. 29. 30. nervoſe inquit: „ Magna Naturæ Architectonicæ ſunt inſtrumenta ignis & ſalia,ſed varia,ut varia ſunt „ corpora, corporumque miſtiones, quorum Miniſterio, pro ſubjectorum ingenio in compoſitione & diſſolutione illorum non ingrediuntur. Miras in corporibus tum aliis, tum metallicis beneficio „ Salium natura facit viciſſitudines, &c. &c. „ Non minus accurate philoſophatur Joh. Joachim. Beccherus in Supplementis Phyſicæ ſubterraneæ Cap. 5. pag. 76. qui cum acutiſſimo Digbæo de plantarum vegetatione, dum granum unum hordei artificialiter nutritum & præparatum 249. caules & 18000. grana produxerat, ſic loquitur: „ An exiſtimas tantummodo eſſe Sal Nitrum, quod attractum in ſemen aut radicem hanc fertilitatem adfert? minime gentium; illud „ extemplo exhaurietur, nec tam immenſæ progeniei materiam ſubminiſtrare poſſet. Sal nitrum eſt ibi inſtar Magnetis, quod attrahit ſimilem ſalem, quo aer redditur fœcundus. Hinc Coſmopolita „ anſam arripiebat, ut diceret, quod in aëre occultum ſit vitæ alimentum, &c. &c. „

Salium (ſecundum ſuam naturam intellectorum) ad arduum hoc opus perpetrandum inſufficientiam demonſtrant quoque a Protoplaſta ſic ordinatæ, perpetuo circulo continuantes in ſublunaria omnia influentiæ cœleſtes, teſte quotidiana experientia, in ſingula tria regna æque imperium ſuum exercentes. Quamdiu igitur dictus Aſtrorum influxus in ſublunaria non poterit negari, quamdiu harmonia ſuperiorum & inferiorum firmo ſtabit talo, ceu ſtetit a primo rerum creationis principio, & quamdiu contra Autopſiam non audebit diſputare Vir prudens, tamdiu etiam magna hæc metallorum transmutatio non aliter, quam univerſali hac ætheris irradiatione erit poſſibilis. Artem enim æmulam & miniſtram vel ad ſummum aliquando adjutricem eſſe naturæ, non vero Magiſtram, Sole, cum ſudum eſt, clarius apparet.

Pro regno quolibet vel unicum ſubnectam exemplum: & ut jam a Minerali incipiam, dico: Caput mortuum Vitrioli poſt deſtillationem plane exſuccum aeri per tempus expoſitum primævam & innatam ſuam qualitatem recipit; quod adhuc largius & felicius experitur

peritur terra mortua e coctione Nitri & aluminis reſidua, ut poſtea majori fœnore prioribus uſibus coctionis poſſit deſtinari. Idem illud in pluribus aliis ſic etiam procedere, norunt ſagaces chymici: *Nobiliſſimus Langelottus* in Præfatione in Tilemanni Experimenta, ut & in Epiſtola ad Naturæ Curioſos pag. 19. inquit: Veram auri ſolutionem fieri non poſſe, niſi per Sal aeris, unicum ſolvens catholicum. Si itaque Salia communia, ſine auxilio Salis aerei, tantum non poſſunt, ut reſerent aurum, quomodo vilioribus corporibus plane poterunt communicare nobiliſſimam hanc & fixiſſimam auri eſſentiam.

In regno animali, homo per aliquot menſes, vel ſeptimanas hypocauſtum non deferens, vel carceri incluſus redditur cachecticus, præcipue ideo, quod ſanguinis maſſa non decenter circulata, nec a Sale aeris influente debite volatiliſata, nec ſpiritus noſtri novo robore balſamico aerearum atomorum, more ſolito, ſint recreati & fœcundati.

Sic auram unius Provinciæ, imo urbis eſſe ſalubriorem altera, homines item uno in loco eſſe vivaciores ac in altero, quis eſt in œconomia phyſica tam rudis, ut negare audeat? Sic v. g. in Italia ob radios ſolis magis exaltatos, aeriſque tenuitatem, conſpectui noſtro ſe ſe offerunt plures ætatem ſenilem ingreſſi, quam in Batavia inter maximam etiam hominum frequentiam, cujus cauſam non immerito adſcribimus evaporationibus putridis e locis pluribus fuliginoſis, aquiſque ſtagnantibus, hic copioſe in auram adſcendentibus, illamque corrumpentibus. Imo in una atque altera urbe juxta puriorem vel impuriorem aeris diſpoſitionem, tam homines, quam etiam bruta & vegetabilia vitam ſuam vivant modo vegetam modo morboſam; dubitans, adfectus contagioſos, peſtilentiales, item catarrhales quos dicunt, conſideret.

Regnum Vegetabile quod attinet, frutices, herbæ, & ſimilia vegetabilia contra hiemis injurias in cellam repoſita, vivunt quidem, aliquando etiam protrudunt folia, flores, quod quoque dicto tempore præſtat ramus ceraſi aliusve arboris, hypocauſto calefacto immiſſus. An autem hæc colore & odore ac vigore ſint æquiparanda illis in horto creſcentibus, roris, vel aquæ pluvialis ſimiliumque aeriferorum balſamo quotidie refocillatis, an item ceraſi ramus in hypocauſto fructus producat, teſtem appello experientiam, rerum omnium Magiſtram. Sic poterit curioſus, contrarium ſentiens vegetabilia tempore æſtivo frequenter humectare aqua fontana Sale volatili, aeris non adeo fœcundata, & experietur debiliorem vege-

tatio-

tationem, vel plenarium herbæ interitum. Quantum fertilitatis ſæpius vel unica pluvia regno vegetabili adferat, ruſticorum puſionibus & aniculis notum eſt.

Sic aromata, aliaque innumera ſub noſtro climate non creſcere ob radios ſolares magis obtuſos & debiles reſpectu climatum calidiorum norunt omnes. Crocus autem, rhabarbarum, Tabacum aliaque transplantata, analoga ſaltem, non vero æquali virtute operantur. Notum eſt nonnullis Botanicis, florem mirabilem noſtrum Peruvianum, ceu vocatur, eſſe Galapium Indorum, ſed ſumme debilem edere purgandi effectum, & extero Galapio minime comparandum. Hinc non inconcinne ſtatuit *Clariſſimus Balduinus* Tractatu de Auro Auræ Cap. 3. pag. 40. rorem in germania minus Salis mundi eſſe feracem, ac in ceteris calidioribus regionibus, præſertim Ægypto.

(*a*) *Joh. Siboldus Archiater quondam Epiſcopi Magdeburgenſis* rerum chymicarum & alchymicarum inſignis Patronus, & Amicus *Helvvigii*, qui Autor Phyſices inſtauratæ inauditæ fuit, teſtante D. *Katſchio* Phyſico Hallenſi, hujus Archiatri Amanuenſi, Spiritum ſeu Menſtruum Univerſale ex terra Nitroſa eliciendum curabat, prout Illuſtris D. Frid. Hoffmannus Obſervationum Phyſico Chymicarum Lib. II. Obſervat. II. teſtatur.

(*b*) Si ſumatur Olei Vitrioli optimi $\frac{1}{4}$. ℔. illique 3. vel 4. menſuræ aceti Vini deſtillati affundantur, & per retortam vitream acetum abſtrahatur, ſemper vero poſt abſtractionem vovum affundatur acetum deſtillatum, hæcque abſtractio & affuſio aceti tribus vel quatuor vicibus peragatur, deinde tres partes Spiritus Vini rectificatiſſimi affundantur oleo Vitrioli, & quoque aliquoties de eo abſtrahantur, acquiritur oleum Vitrioli dulciſſimum.

De Arcano Vitrioli dulci D. Matthias Tilingius Dec. II. A. III. Ephemerid. Nat. Curioſ. Obſervat. 68. ſequentia profert:

Medicina hæc ex Vitriolo parata paucis nota eſt: de ea tamen Chymicorum plurimi gloriari non dubitant; ejus uſus mihi frequens eſt, ſucceſſum habeo ex ea talem, qualem cupio. Confortat, purgat, deoppilat, & in quibusvis morbis etiam periculoſiſſimis infinitarum eſt facultatum, nec opus eſt in magna quantitate & Doſi hanc ſumere, unum granum ſufficit in quovis liquore convenienti exhibitum. Hoc Arcanum ſic parari queunt Eximii Spagyrici Artifices.

℞. Vitrioli Romani aut Hungarici libras 12. diſſolve illud in aqua vulgari deſtillata, poſtea pone in cineribus calidis, ut aqua evaporet, donec cruſtam aliquam

aliquam accipiat, tunc colloca in loco frigido ad 2, 3. dies, & Vitriolum ſepoſitis nonnullis fecibus, lapilleſcet.

Accipe hoc Vitriolum & pone in concha vitrea in hypocauſto calido, ita tamen ut concha ſit tecta, & videbis Vitriolum abire in pulverem primo album, dein flavum: tunc iterum in aqua communi deſtillata diſſolve, & permitte ſtare in cineribus calidis 24. horis, atque plurimas feces in vaſis fundo invenies. Decanta quod purum eſt, coagula, ſepone in concha, atque iterum diſſolve tamdiu, donec nullas amplius feces deponat & ad dulcedinem vergat. Albo autem calculo notabis, ejus viriditatem probe probeque eſſe conſervandam, alias enim oleum & opera perderetur. Poſtea pone illud Vitriolum purificatum in phiola, quam hermetico ſigillo bene occludes, & in furno philoſophico pones, ubi ignem de decem diebus ad 10. gradatim augebis, ut Vitriolum ad rubedinem appropinquet, donec tandem inſtar rubini rubeus ſit. Rubeum hoc Vitriolum exime & pone in cucurbita vitrea; affunde Spiritus Vini puri & correcti bonam quantitatem, & 4. aut 5. diebus bene clauſum in calore leni aſſerva. Poſtea ſpiritum decanta & alium recentem affunde, quousque omnem vim & efficaciam ex Vitriolo hoc extraxiſti. Extractiones has pone in cucurbita, & in Balneo Maris ſpiritum ſepara. Affunde ſpiritum iterum, & ſepara ad tertiam vicem, ſemper remotis fecibus. Demum aquam pluviam deſtillatam extracto affunde, lava, & 4. aut 5. dies in cineribus colloca, ut quantum poteſt, extrahat, quod ſolutum eſt decanta, & aliam aquam deſtillatam appone, totidemque diebus in cineribus calidis aſſerva, idque tribus vicibus reitera. Extractiones hasce confunde, & in Balneo Maris aquam ſepara. Poſtea accipe hoc noſtrum extractum, pone in cucurbita mediocri, appoſitis & allutatis alembico & recipiente, atque deſtilla primo igne lento, deinde auctiori, & adſcendet ſanguis Leonis Viridis inſtar Rubini rubeus. Qui nocte intempeſtiva & tenebroſa inſtar Carbunculi lucet, cujusque odor omnia alia odorifera antecellit.

Idem Arcanum Vitrioli dulce ſeu Oleum & Balſamum legitur in Petri Poterii Andegavenſis Conſiliarii ac Medici Regii Manibus.

(c) Eadem verba Tabulæ Hermetis Beatus Wedelius in fine *Introductionis ſuæ ad Alchymiam* addit, ex volumine de Alchymia Norimbergæ apud *Joh. Petreium* MDXLI. excuſo longe rariſſimo.

Olaus Borrichius, Medicus Regius & in Academia Hafnienſi Profeſſor Publicus in Diſſertatione de Ortu & Progreſſu Chemiæ, oſtenſo, Vulcanum illum a diluvio viventem Mizraimum fuiſſe, Hermetem ſeu Mercurium tot in Ægypto artium Inventorem, Vulcani illius fratrem habendum eſſe, hoc eſt, Chanaanem ſequentibus probat:

Primo, Jovis uterque filius traditur, uterque enim Chamo ſatus.

Secundo, utrique mercatura curæ: Chanaan Mercatorem ſignat, Mercurius mercatorum agnoſcitur DEUS.

Tertio, ad fratrum miniſteria damnatur in Sacris Chanaan, & ad Jovis Deorumque miniſteria in profanis Mercurius.

Quarto, nota callida Mercurii furacitas Chananæorum ſeu Phœnicum in commerciis exprimit vafritiem.

Quinto, Mercurius ex Sanchuniathone, Diodoro, aliisque primus literas & Aſtronomica invenit; Cadmus Chananita ſeu Phœnicius ex Plinio primus in Græciam invexit literas. Hinc aſtrorum periti Phœnices maritimos ſuos curſus, quibus hodiernorum exemplo Batavorum, omnia perſultabant maria, diducente rem in *Phaleg Bocharto*, ad ſtellas dirigebant, a quibus Aſtronomia ad Græcos tandem devoluta eſt, Autore *Strabone* Lib. Geograph. XVI.

Sexto, Chanaan in Sacris exiſtimatur Chamo Patri aſſiſtens, erubeſcendo ſe oblectaſſe ſpectaculo: nec minus in Paganis Mercurius Jovi fingitur adſtare laſciviæ miniſter & amorum Proxeneta.

De Scriptis Hermetis ſeu Mercurii, inquit Borrichius, nihil adeo ad noſtras pervenit manus, quod tuto, affirmateque ab ipſo Hermete profectum audemus ſpondere. Fuiſſe olim non dubitamus: Bene *Diodorus Siculus* Lib. II. Cap. IV. Sacerdotes Memphis ſecretiora quædam Scripta habent. Hermetis illa fuiſſe ex Clemente Alexandrino demonſtratur. Manifeſte Plutarchus Trajani Seculi ſcriptor, de Iſide & Oſiride: proditum memoriæ eſt, inquit, in libris, qui Mercurii dicuntur. Qui hodie nomine Hermetis ſe orbi commendant libri, pauci ſunt, & multorum telis obnoxii.

Poemandrum Hermetis, Sermonem Sacrum, Clavem, Sermonem ad Aſclepium & Minervam cum paucis aliis quaſi ex orco revocavit magni ingenii Philoſophus *Franciſcus Patricius*; defendit *Fluſſates Candalla*, aliique, qui tamen ſuccumbunt oneri, quod ex *Voſſio*, *Caſaubonoque* evidenter oſtendantur Scripta illa recentioris eſſe officinæ, & quaſi Semi-Platonica, & Semi-Chriſtiana.

Patres Eccleſiæ Chriſtianæ Hermetica Scripta legerunt, laudaverunt. Meminere eorundem Euſebius in Chronico, Cyrillus, Nazianzenus, Lactantius, Clemens Alexandrinus.

Jacobus Golius præter Gebri Scripta Arabica, ex Oriente ſecum attulit Hermetem de Venenis & Antidotis, & Aſtrologiam Hermetis. In Bibliotheca Th. Erpenii Libellus Arabs extabat, titulo Hermetis de Lapidibus pretioſis, quo credibile eſt uſum jam olim Albertum Magnum erudito de Mineralibus opere.

Attributa fuerunt Hermeti Jatromathematica ad Ammonem Ægyptium: quæ jam olim publico donavit David Hœſchelius Anno 1597. Auguſtæ Vindelicorum

licorum Græco Latina, quæ tamen Anno 1532. jam ante quoque Norimbergæ Soſiorum prælo ſubjecta.

De ſeptem illis Hermetis capitulis Theatro Chymico inſertis judicandum illa junioris cujusdam Hermetis eſſe. Quanquam enim modus docendi reconditum quiddam ſpiret, & ſatis Ægyptium, quia tamen priſcorum ille Autor meminit Philoſophorum, aliosque citat philoſophos: quia in quatuor Elementorum pugna multus eſt; quia literas Græcas ad partes vocat (quæ ævo Thautico fuere nullæ) quia toto opere Chriſtianum redolet, neutiquam genuinus Hermetis vetuſtiſſimi cenſendus fœtus.

Quod cætera ſpectat modo recenſita Scripta, liberum cuivis eſto judicium, ſpuriane æſtimanda ſint an genuina. Nos in denſis illis Antiquitatis tenebris, ubi hariolari promtum, ſcire difficile, fidem noſtram non interponemus, eo tamen proniores, Germana Hermetis non eſſe, ſed cum Jamblicho, Hermeticas continere ſententias aliter atque aliter interpolata.

Cæterum de *Tabula Smaragdina* judicium *Kircheri* & *Kriegsmanni* cum ſua *Epicriſi Borrichius* addit ſequentibus.

Kircherus in Oedip. Ægypt. ita rem perſequitur:

„ De Smaragdina tabula altum eſt apud omnes Autores ſilentium, quisnam „ fuerit ille Hermes, quando vixerit, ubi inventa hæc tabula, quo inventore, „ qua lingua conſcripta. Eſtne poſſibile tam Celebre Hermetis monimentum „ curioſiſſimos Græcorum Philoſophos, qui data opera in Ægyptum proficiſcebantur, latuiſſe? Solus Albertus Magnus in Libro de ſecretis Chymicis (qui „ tamen inter ſuppoſititios Alberti libros numeratur) ait, Alexandrum Magnum „ in ſuis itineribus ſepulchrum Hermetis omnium Philoſophorum Parentis inveniſſe plenum omnibus theſauris, non metallicis, ſed aureis ſcriptis in Tabula „ Zatadi, quam alias Smaragdinam vocant. Sed unde hæc Albertus? quo Autore? Bernhardus Caniſius Alchymiſta, primus, quod ſciam, eam mundo „ obtulit, aitque in ea totum opus, & totius mundi theſaurum contineri. Ad„ do, quod omnia pene, quæ in Tabula iſta habentur ex Hermetis Poemandro, „ & Aſclepio, Jamblicho & Proclo hinc inde extracta ſint, &c. „

Willhelmus Chriſt. Kriegsmannus vero ſingulari opuſculo alia omnia judicat:

„ Ut taceam, inquit, traditionem de Tabula Smaragdina, ſeculis aliquot poſt „ diluvium, in antro prope Hebron a muliere Zara manibus cadaveris Hermetis, „ exemta, nulla ſui parte male ſe habere, ſi de Abrahami Uxore Sara intelligatur; cum tempora denati Hermetis, id eſt Chanaanis Noachi Nepotis atque „ Saræ congruant; ac locus (urbs Hebron a Chanaanis ſive Hermetis filio Heth „ exſtructa, ad quam ſedem fixerat Abrahamus) convenientiſſimus rei ſit; mos

 „ ad-

„adhæc Phœnicum, poſterorum Hermetis corpora demortuorum uncta caver-
„nis ſepultum abſtrudendi, pulcre concordet.

Borrichius addit: Sequatur & hic quam quisque volet ſententiam. Fragilitatem vero rationum Kircherianarum ſequentibus monſtrat.

Unde ſecuros nos reddet, inquit, Kircherus de illo Antiquitatis ſilentio? verſavitné manibus omnes, qui periere, Autores? forſan unus *Manethon*, unus Sanchuniathon, ſi extaret integer, audaciæ nimiæ convinceret Jeſuitam. Neceſſe eſt *Albertum* illum *Magnum*, utcunque forſan ſuppoſititium ab alio hauſiſſe, quæ tradidit, & quis novit, anne ab Antiquo ſcriptore? Sed non fugiſſet ejus notitia peregrinatores Græcos. Quidni? non admittebantur peregrini in conſcientiam Arcanorum Sacerdotalium. Quis Græcorum illos XLII. Hermetis Libros inſpexit, Sacerdotibus Ægyptiis familiares? quos fuiſſe tamen in Ægypto teſtis eſt luculentus *Alexandrinus* ille *Clemens*. Quis Græcorum Mumias Ægyptias imitari didicit? quis pullitiem? quis Chordas Memnonis? Aut ſi hodierna placent, quis Danus in Moſcovia peregrinator modum temperandi coria Ruſſica incolis extorſit, elicuitve hactenus? Quis advena Gobelinios Pariſienſes ad nobilem illam ſerici, pannique Tincturam aperiendam potuit hucusque permovere? Quin & gratum illum Chirothecarum Romanarum odorem ſcrutantibus exteris hodieque inimitabilem reddidit artificum taciturnitas. Idem *Tabulæ Smaragdinæ*, recondito illi Chymicorum oculatorum theſauro accidiſſe non alienum.

Et ut preſſius intendamus hanc chordam, quotusquisque veterum *Tabulæ Iſiacæ hieroglyphicæ* meminit, admirabilis illius ex ultima antiquitate Gazæ, quam cum periiſſe itidem in Italia ſcriberet, doleretque nuper Kircherus, ego in Italia ſuperiori anno ſpectavi, illam ipſam antiquam, Gemanam & Cambyſe vetuſtiorem, in Aula Ducis Sabaudiæ, Auguſtæ Taurinorum, officioſe monſtrante magno illo Italiæ lumine Dn. *Marchione de Pianezza*, primo Ducis Sabaudi Status Miniſtro, quam ſi *Hervvartius*, *Pignoriusvé* rei ſublimitate victi, nondum ſatis ad amuſſim excuſſerint, nihil hoc officiet elegantiſſimæ Tabulæ antiquitati.

Merentur hic locum illa Kircheriana ex Oedip. Ægypt. allata:

Anno MDCXXX. inquit, in miſeranda Mantuæ urbis direptione ita evanuit Tabula Iſiaca (ſive Bembina) ut tametſi ſummo ſtudio inſtitum ſit, ut ſciretur, quid tandem de ea factum ſit, in hunc usque diem nemini explorare licuerit. Hanc tabulam, quam evulgavit Herwartius, irrefragabiliter concluditur ab Ægyptiis, & in Ægypto, ante Cambyſis in Ægyptum factam irruptionem confectam eſſe.

Scilicet, veluti hic diligentiam quærentis Kircheri fugit hactenus *Tabula Iſiaca*, ita multo magis fugere potuit *Smaragdina* Græcos, vel non quærentes, vel

vel quærendam ignorantes. Credibilius Tabulam illam Smaragdinam, ſi quidem *Hermetis* eſt, uti non ſine ratione æſtimatur, in bellicis illis Ægypti colliſionibus jam Phœnicibus, jam Cambyſe Cyri filio, jam Cornelio Gallo Auguſti Seculo, Ægyptum vexantibus, & Dioſpolin, atque alia Sacerdotum adyta penetralia evertentibus, raptam, alioque aſportatam fuiſſe, & raptore forſan pereunte, in cœno aut palude obtritam, quod *Celebratiſſimo* illi *aureo Cornu Danico*, contigiſſe certum eſt, quantumvis Kircherus, aliique in Chymiam obliqui eodem confutandi artificio facile oſtenderent, aureum illud cornu in Cimbria repertum fuiſſe nunquam, quod in Danorum Hiſtoriis nullum illius extet monimentum evidens. Vidi ego ante biennium Romæ ex ſuggrundario templi Minervæ poſt plurimorum tenebras ſeculorum, in lucem ex inſperato produci, eruique *obeliſcum* egregium *Ægyptium* hieroglyphicis, hinc inde diſtinctum notis, illene Kirchero æſtimandus ſpurius, quippe nulli vetuſtiſſimorum Autorum Scriptis attactas? Erectum id loci fanum olim Iſidi fuiſſe non tantum *Nardinus* jam ante evicerat, ſed & dimidiati vituli ex lapide lydio ſimul ex eodem ſuggrundio effoſſi perſuadebant, Apim bovem ſimulacris referentes.

Accedit, vel ex eo non parum fidei adſtrui *Smaragdinæ Tabulæ*, quod jam ante erudierit nos *Jamblichus*, & Lycius ille *Proclus*, varias olim in Ægypto Hermetis extitiſſe ſive columnas, ſive tabulas inſcriptas Mercurii doctrinis, quarum quid prohibet unam velut ex naufrago ſalvam remanſiſſe? ut non infelicior *Hermes* judicetur *Duillio*, primo illo Poenorum in undis debellatore, cujus adhuc Columna roſtrata, mille aliis pereuntibus, in Capitolio poſt viginti circiter ſeculorum a prima fabrica intervallum ſalva triumphat.

Pergit Kircherus: „In hac Tabula univerſalis quædam Productio rerum „naturalium ad perfectiſſimum ſtatum deſcribitur, poteſtque juxta analogiam „quandam non tantum terreſtribus & metallicis, ſed & vegetabilibus, anima„libus, cœleſtibusque optime applicari. Senſus igitur Tabulæ nil eſt aliud, „quam theoria quædam præſtantiſſimæ Eſſentiæ, quam Elixir Vitæ, aurum „potabile, quintamque Eſſentiam vocant.

Verum, addit Borrichius, in Alchymia illa Ægyptiaca, quam in Oedipo ſuo Kircherus proſequitur, mirum ſe præſtat Andabatam; hic nullum alium Tabulæ ſenſum attribuit, quam Theoriam auri Potabilis, & tamen neſcio qua vertigine circum actus eodem puncto, applicari optime quoque poſſe vegetabilibus, animalibus & cœleſtibus adjungit. Eſto tamen, poſſit omnibus applicari dum convenientiſſime Chymico applicetur Magiſterio, id quod nemo experitur clarius, quam qui Sacris Chymicorum rite initiatus, manus inter verſat, quod Hermes intendit.

Non tamen theoriam duntaxat Chymiæ apud Ægyptiorum Sacerdotes viguiſſe, ſed & efficacem praxin Kircherus ipſe in *Oedipo Ægypt.* agnoſcit. „Artem, inquit quandam auriferam primævos homines nemini niſi, Re„gibus, familiarumque capitibus, eamque non ſcriptis, ſed oretenus tradi„tam poſſediſſe, ſive ea in auro ex omnibus rebus educendo, ſive in cæte„ris metallis unum in alterum transmutandis conſtiterit, adeo certum eſt, ut „de eo nemo, niſi totius hiſtoriæ ignarus dubitare poſſit.

Hucusque Borrichius contra Kircherum in ſtabilienda certitudine Tabulæ Hermetis Smaragdinæ.

Breviſſima quondam, ſed tamen Tabulæ Smaragdinæ tam ſimilis, ut ovum ovo, prope Memphim Copticis literis Saxo inſculpta fuit inſcriptio, quam inde deſcripſit *Michael Schatta* Coptita Memphitanus, & latine reddita verba ita ſe habent:

„Cœlum ſurſum, cœlum deorſum, Aſtra ſurſum, aſtra deorſum quod „ſurſum, omne id deorſum, hæc cape & beaberis.

Videntur hæc ex Tabula in ſaxum translata eſſe.

De Tabula Smaragdina Hermetis Illuſtris Beatus Wedelius in Introductione ad Alchymiam Capite VI. de artis Antiquitate hæc habet.

„Fama tralatitia eſt, eaque in re fundata, natam Chymiam eſſe in Ægy„pto, omnium artium præcipuarum fonte, ſaltim unde ad reliquas orbis in„colas transmitti potuere, unde & non tam a Chamo, quam ab Arabica radi„ce Chama, exarſit, calore examinavit, derivari poteſt. Cumque Hermes „Trismegiſtus antiquiſſimæ ſit notionis, de Thubalcaino & inde Vulcano „dicto loquamur, & plurimi Chymici, nemine diſſentiente quaſi, hujus „meminerint; nil obſtat, quo minus Tabulam Hermetis pro genuino lemma„te artis habeamus, quamvis nonnulli Mercurium potius, quam viri nomen „innui velint.„

CAPUT

CAPUT VI.

MONSTRANS, QUOMODO PRÆPARETUR TINCTURA UNIVERSALIS.

CApite præcedenti ingenue propoſui, cuinam materiæ natales debeat Tinctura Univerſalis, quantum quidem de ardui & incomparabilis hujus Myſterii notitia detegere tenuitati meæ per veteranos nonnullos in veræ Chymiæ caſtris milites placuit Divinæ ſapientiæ. Nunc operæ erit pretium, ut ſubjungam eodem candore, eaque ingenuitate proximo exponam, quanam methodo legitima illius præparatio ſit obtinenda & inſtituenda. Poſt materiam enim cognitam hujus ignorantia ſimilis omnino eſt fugitivis illis famem, ſitimque augentibus Tantali dapibus; vel adamanti radios lucidos non ſpargenti, niſi remota per polituram impuritate & craſſitie; vel carni crudæ per coctionem ſtomacho eſurienti non accommodatæ; vel panno pro frigore arcendo in veſtem non conſuto.

Antequam vero ipſam aggredior tractationem, denuo & quaſi ex ſuperabundanti moneo, quod quidem cuilibet liceat legere & mirari miraculoſa Majeſtatici Dei opera; illos vero, quos in ſuperioribus indignos nominavimus, benevole iterum iterumque rogatos volo, ne obliviſcantur cautelarum ibidem propoſitarum. Si vero mentem aut frivolam manum intempeſtivo ac impio ſcopo huic operi admoverint, accidatque eventus fruſtraneus, inſperatus, triſtis, jacturam temporis auro carioris, aureorum nummorum, ac famæ non ſine mundanæ & æternæ ſalutis periculo perpeſſam, ſolummodo propriæ pravæ concupiſcentiæ adſcribant.

Quamvis enim quilibet in ſuo officio aut profeſſione Talentum concreditum legitime ut obſervet, conſcientia ſua obligatur, tamen, qui manum applicat operibus medicis, unum de rebus inter mundana magis arduis aggreditur, licet a multis leviter ſaltem judicetur & tractetur. Nam non hic luditur de corio brutorum, ſed hominum, non agitur de auro, de gemmis, ſed de homine ad Dei imaginem condito, in quo aliquid Divini habitat, quemque Chriſtus pretioſiſſima ſanguinis ſui purpura redemit; Agitur etiam de animæ Medici

ipſius

ipſius ſalute; dum hic aliquid neglexerit, de illius ægroti ſanguine in magno illo rationum die rationem ſibi reddendam certo ſciat & cogitet. Si itaque conſcientia in genere cuilibet Medico, & praxin medicam exercenti tam ſeveras præſcribat leges; facile concludendum eſt, non cuilibet liberum eſſe frivola mente, ludicraque manu tractare *Tincturam* univerſalem, utpote quæ eſt τὸ πᾶν rerum Medicarum.

Quemadmodum igitur debita veræ materiæ cognitio, maximus innumeris operatoribus fuit lapis offenſionis, ita non minus ingenua hujus jam cognitæ elaborandi via non pauci ſibi ipſis impoſuere, quam plurimi in acquirendo hoc aureo vellere variarum opinionum ac diverſarum deſcriptionum procellis agitati, naufragium ſunt paſsi: inque turris hujus Babylonicæ exſtructione linguarum mutationes ſenſuumque turbationes exortæ ſunt innumeræ.

Cum enim cuidam operatori licuerit eſſe tam felici, ut genuinam arripuerit materiam, & neutiquam erraverit, pro laboris materia fortaſſis eligendo aurum, plumbum, mercurium, vitriolum, nitrum, ſimiliaque corpora nimis fixa; neque etiam ſaltem in partem materiæ cœleſtem & volatilem, aut fixam & terreſtrem inquirendo, vel materiæ veræ heterogenea admiſcendo, aut materias remotas tractando: tamen quia totum hoc arduum negotium conſiſtit in ſolis his duobus: Vera nimirum materiæ cognitione, ejusque debita præparatione; quilibet credat, velim, ſi inter centum alia, in hac methodo pyrotechnica conſideratu neceſſaria, vel unica Enchiriſis omittatur, ſola ſufficit ad oleum operamque plenarie perdendam: Vel ſi oleum & opera non plenarie perdatur, tunc ad ſummum acquiritur, in re medica quidem remedium laudabilis efficaciæ, minime tamen univerſale; in re metallica vero levidenſe ſolum lucellum obtinetur, veluti in antecedentibus capitibus ampliſſime demonſtratum.

In ſpecie multi fortunatas Inſulas non attigere, in portu bonæ aſt fruſtaneæ ſpei morantes, quod nimis ſuperficiarie, & manu feſtinante hancce operationem, omnium operationum magis ſeram & graviorem, inſtituerint; ſibi falſo perſuadentes, eandem ſpatio paucarum ſeptimanarum vel dierum, aut ad ſummum aliquot menſium integre abſolvi poſſe, atque hoc modo præcipiti diverſa neceſſaria minime omittenda certo omiſerunt. Negari quidem non poteſt, in variis Alchymicorum libris hoc ita definiri, ab iisdemque nominari *opus mulierum aut puerorum*. Quod ita factum judico, vel, ut imperitos indignosque artis ſcrutatores ſeducant & confundant, more ipſis ſolito, vel intellecta volunt ſua verba de labore Tincturæ poſteriore, qui potiſſimum conſiſtit in hoc,

hoc, ut materia beneficio longæ digeſtionis vel circulationis per æqualem lenioris ignis gradum ad deſideratam ac perfectam deducatur maturitatem, poſtquam prior labor, depurationibus & deſtillationibus tædioſis, diuturnis fixationibus & volatiliſationibus poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum fuit conſummatus.

Unicum hac de re adducam e Neotericis exemplum: Refert Clariſs. *Helvetius* in *Tractatu Vitulus aureus* inſignito, Adeptum illum, cujus hiſtoriam cap. 4. propoſuimus, ipſi aperuiſſe, quod hicce labor quatriduo perfici poſſit, quod ſane, tenui meo quidem judicio, pro hujus adepti mendacio officioſo reputo. Deum nimirum laudatus Helvetius nimium ſuum fervorem intenſumque pro cognoſcendo hoc arcano deſiderium propalavit, & quidem ita, ut uxor more plurium mulierum Batavicarum ultra ſexus ſequioris leges curioſa, ut & reliqua ejusdem Familia, linguis, oculis, auribus, manibusque huic operi ſeſe intermiſcuerint. Proinde hoſpes hic rariſſimus virum de re medica alias optime meritum, procul dubio pro genuino adepto, quos vocant, non habuit, ſed materiam cum elaborandi methodo occultavit, ipſumque, ne operi huic incumbat, ſerio monuit.

Dictis hisce tamen ego nullius experientiæ aliquid derogare audebo, quia ille, qui mundum integrum creavit, modo ſubitaneo, & extraordinario methodoque peculiari ac ſupranaturali, facile poſſet cuidam quoque Tincturæ præparationem detegere & donare. Verum, cum Deus O. M. bona ſua vendiderit, & adhuc vendat labore, quis, quæſo, tam facile credat, ut ille bonum hoc optimum, bonum hoc ſummum, otioſis & indignis, in ſomno quaſi, & parvo negotio concedat?

Propterea ad ipſam progredior elaborationem; de qua magnus Chymiater (qui paucis abhinc annis debita naturæ ſolvit) mihi devoto animi fervore literas D. Michaëlis ipſi in itinere meo offerenti, poſt varios diſcurſus fideliter ſequentia verba proferebat. *Quam certe ego credo, Chriſtum eſſe Dei Filium, tam certe ſcio hanc materiam eſſe veram & proximam, & hanc præparandi methodum genuinam:*

Philoſophus quidam Pyrotechnicus per catenam vel circulum elementarem hoc opus nervoſe ſic deſcribit: *Fac ex igne aërem, ex aëre aquam, ex aqua terram, e terra ignem.* Sed cum hocce dicterium plures forte legant, quam intelligant, addo per ignem intelligi debere tenuiſſimam & puriſſimam Superiorum partem, quæ in aëre quodammodo incipit incraſſari, poſtea hoc mediante in aquoſam humiditatem, ac tandem in terram, vel potius in ſal terreſtre fixum, amicæ fermentationis adminiculo convertitur. Per idem vero fermentum ſal fixum

hoc terræ volatiliſatur, & quaſi igneum redditur, depoſitis terreſtribus ſuis ſcoriis, atque quisquiliis: vel ut brevius explicem: *Materiæ partem volatilem fige, & fixam volatiliſa.*

Ego autem ſcapham voco ſcapham ita: Dixi ſuperius, laborem noſtrum commode diſtingui in partem ejus priorem & poſteriorem. Prior conſiſtit in hoc: Menſe Septembri, circa Æquinoctium autumnale, ſole libram ingrediente, paretur fovea aliquot ulnas, vel ad ſummum tres, profunda, ſub dio, aut in loco aëri libero expoſito, verſus orientem vergens, ſi verſus occidentem huic collis eſſet oppoſitus, eo foret commodius. Dicta fovea eodem tempore impleatur terra limoſa, pingui, e nigredine rubeſcente, fœcunda, nitroſa, qualem capite antecedente deſcripſimus. Æqualiter tamen ſaltem ſit repleta, ne terra ſuper foveam protuberet; aqua enim pluvialis affluens & elabens ſimul terram ſale volatili aëris imprægnatam ſua efficacia privaret. Hæc autem non profundius effodiatur ac ulnæ longitudo penetrat, ac prius ſeparatis ſuperius gramine, ſimilibusque ſcoriis ſuperfluis. Locus autem liber ſit a brutorum aditu, muniaturque ab aliis impuritatibus, ut ita eo felicius & facilius influxu aſtrorum, ut & ſucceſſive modo per rorem, modo per pluviam, & nivem, toto ſemeſtri hiemali fertilis reddatur, ac ſale volatili aëris largius imprægnetur.

Poſtea circa æquinoctium Vernale Menſe Martio, vel etiam Menſe Aprili aut Majo, prout nimirum temperies aëris eſt fœcunda & ſerena, aliæque conſtellationes concurrunt laudabiles (tales enim circumſtantias plurimum conferre, ac neceſſarias eſſe operi, teſtatur experientia verorum Chymiatrorum) terra deſcripta eruatur e fovea, in patinis & vaſculis largis & latis non adeo profundis, tempore nocturno exponatur aëri libero, radiisque lunaribus; muniatur tamen tecto a pluvia (quamvis enim hæc ipſa alias ſit aliquale vehiculum ſpiritus mundi, hic tamen tenuitate ſua aquoſa diluit, & diſſolvit illum extraordinarie & largius in ſubjectum hoc optime capax influentem) interdiu vero ac cœlo tempeſtuoſo ac flantibus ventis violentioribus ſal illud ſumme tenerum & ſenſibile diſſipantibus removeatur.

Expoſitio autem hæc continuetur ita ad minimum ſex ſeptimanis vel aliquot menſibus, præcipue usque dum præterierit ſolſtitium æſtivum atque ſol leonem fuerit ingreſſus. Ubi monitum volo; quicunque pyrotechnorum operationem hancce maturare audet, eandem incipiat Menſe Martio, ſtatim e terra eruta materia, licet per hiemem non digeſta, præparata ac imprægnata fuerit. Quamvis dige-

digeſtio notata hiemalis, longe præferenda, magisque commendanda. Ad hæc, ſi poſſibile eſt, dicta terra ante effoſſionem per tres ſeptimanas pluvia non tangatur, cum eadem glutinoſum terræ corpus liquidius reddat, ne tam copioſe huic inhærere poſſit æthereus ille hoſpes ad opus ſumme arduum, præcipue temporibus illis Anni Balſamicis, & quod cardo rei eſt, cœlo exiſtente pluvioſo, Spiritus mundi non poterit communicari purus, ſed vaporibus craſſis terreſtribus elevatis eſt inquinatus.

Tunc recipe terræ hujus ita ſale aſtrali volatili, & centrali terræ fixo, uberrime fœcundæ redditæ, aliquam partem (poteris laborem in aliquot vaſis ſimul inſtituere pro majori copia acquirenda) deſtilla per retortam vitream optime lutatam, (terream enim præprimis non lutatam pars volatilior penetrat & avolat) igne primum leniori, nec ultimo etiam fortius aucto, ſpiritum vel partem volatilem materiæ noſtræ. Deſtillatum iterum affunde reſiduo, ſtet ita in vitro bene munito pro circulatione, fermentatione, reſolutione, melioreque unione promovenda, in leni digeſtione per ſex & plures ſeptimanas, tunc denuo deſtilletur ſpiritus modo jam dicto, denuo affundatur reſiduo, ſtetque ita per tempus, & hoc aliquoties repetatur, ut ſal volatile ſalis fixi partem volatiliſet.

Poſtea ſpiritus ſeptem vicibus in Balneo Maris per alembicum rectificetur, ut per repetitas hasce cohobationes liberetur ab omni heterogenea ac inutili aquoſitate, inſimulque ſecum ſuper alembicum ducat partem ſalis fixi volatiliſati, per repetitas circulationes cum parte volatili amice conjuncti. In reſiduo capite mortuo, cum adhuc lateat bona portio ſalis fixi, hoc elixivietur phlegmate proprio in ſpiritus deſtillatione & rectificatione ſeparato, (nihil enim heterogenei miſceri debet materiæ noſtræ, cum jamdum in ſe contineat omnia ſibi neceſſaria) ſal inde evaporatione præparetur, quod per ſæpius repetitam ſolutionem & coagulationem dicto phlegmate proprio factam ac in ſummam puritatem & albedinem cryſtalliſetur. Et hoc plerumque demum poſt vigeſimam operationem ſolutionis perficietur. Tunc ſpiritus rectificatus & ſal cryſtallinum denuo uniantur pondere vel proportione philoſophica, quæ conſiſtit in hoc, quod fixum recipiat de volatili quantum deſiderat, vel neceſſe habet, quod in ſuperfuſione lenior ſtrepitus ortus docet; ut plurimum tamen requiruntur ſpiritus volatilis partes decem, ad ſalis fixi partem unam. Hac igitur proportione miſceantur ſpiritus & ſal; indantur retortæ vitreæ optimæ lutatæ (terream enim ceu dictum antea, præprimis non lutatam pars potior volatilior penetrat ac avolat) deſtilla obſervatis bene ignis

gradibus; niſi enim antiquum illud *feſtina lente* obſervaveris, experieris, quam fragile ſit vitrum, quam fallax tua expectatio, quam irritus tuus labor; ultimo tamen ſemper ignis fortius eſt augendus, juxta leges quarti gradus. Deſtillatum iterum ſuperfundatur reſiduo, poſtquam aliquamdiu ſteterit, denuo in nova retorta vitrea bene lutata deſtilletur, & hoc toties repetatur, usque dum prodierit liquor lacteus pinguis, in frigido coagulabilis, in calido liquabilis, veluti butyrum, quod in plurimum ſexta vel ſeptima accidit deſtillatione. Dictus hic liquor aduc aliquoties itidem eſt rectificandus pro meliori volatilis & fixi unione. Atque hæc dum abſolviſti, abſoluta eſt anterior, isque laborioſior operis noſtri pars, obtinesque verum aurum Philoſophicum adhuc tamen immaturum.

Priori huic parti tandem ſuccedit pars poſterior; pars poſterior dico, quæ eo magis grata, cum laboris tam tædioſi, tam deſideratiſſimi finem afferat; eo magis quoque grata, cum in hoc ceſſent graves, moleſtæque operationes, eidemque leni modo digeſtioni, longiori otio ac patientia ultima imponatur manus. Poſtquam igitur dicto modo per crebrius repetitas digeſtiones, ſolutiones, rectificationes, ſcoriæ ac impuritates e materia remotæ, poſtquam principia decenter depurata, conjuncta, pars volatilis fixata, & fixa volatiliſata, reſtat nunc, ut blanda circulatione in catholicam illam Tincturam traducantur, & in veram quintam eſſentiam concentrentur.

Propterea dicti liquoris portio indatur Phiolæ vel cucurbitæ parvæ, ut tertia ſaltem ejus pars repleatur, vitrum hermetice & caute ſigillatum imponatur cineribus, vel arenæ, (alius commendat balneum vaporis, vel etiam maris, de quibus plura paulo inferius, ubi agitur de ignis regimine) digeratur ita leniore ignis gradu, & videbis materiam incluſam miris gyris aſcendere, deſcendere, elevari, deprimi; & ex circumgyratione penitiorem atomorum volatilium & fixarum unionem & combinationem concludes; donec petetendim & ſucceſſive materia colore nigro imbuatur, quod *Caput Corvi* chymici vocant. Mirandum ſane eſt, quomodo materia tamdiu, tam curioſe & laborioſe, tam diverſis modis depurata nigreſcat, & videtur excrementitiis adhuc ſcatere impuritatibus, aut tales feces deponere. Quod ideo hic monitum volui, ne quidam per hoc ſibi imponi patiantur, ſed ſciant, colorem huncce eſſe vere philoſophicum. Cum ad nigredinem ita in labore tuo pertigeris, expectanda erit poſtea *albedo* & ultimo *rubedo pellucida*, licet colores alii quaſi intercalares illas interveniant. v. g. Poſt nigredinem apparent figuræ variegatæ, quam *Caudam Pavonis* vel *Iridem* vocitant, poſt albedinem vero *flavedo*. Apparente ita per tempus

veluti

veluti dictum, reali & perfecta nigredine, modice augeas ignem tuum, hucusque valde modeſtum, & oculos tuos exhilarabit lente oriens pulcherrima illa Iris vel pavonis cauda paulatim degenerans in *Terram albiſſimam* quaſi foliatam ſcintillis argenteis per vitrum radiantem.

Conſpectus hicce *Cygneus color* oſtendit & offert tibi perfectam Tincturam, quod quamvis non ſit plenaria Tinctura Univerſalis, tamen unum vel alterum hujus granum virtute quodammodo generali morbis omnibus medetur, ac impuriora metalla in veram lunam convertit.

Poſtquam tibi licuerit eſſe tam felici, hæc ita abſolvere, tunc iterum paululum exalta ignis gradum, cautiſſima tamen, & parca ſemper manu; ſic ſucceſſive gratiſſima illa *albedo* per varios colores, præprimis *flavedinem* in fine *crocatam*, vel e flavo rubeſcentem, ultimo adipiſcetur perfectionis ſuæ gradum, nimirum *rubedinem* dum lento modo ſeſe materia transformat in granum vel corpuſculum globoſum rubiniforme pellucidum.

Hoc eſt illud conſummatum rerum Phyſicarum omnium Myſterium, veriſſimum rerum quarumlibet medicamentoſarum centrum. Cujus incomparabilis efficacia tam in ſanitate præſente conſervanda ac amiſſa reſtituenda, quam in metallis ignobilioribus magis nobilitandis ac in aurum conſtanter transmutandis partim e ſuperiori cap. 3. patet; partim ejusdem cognitio & operandi modus non latet Chymicos prudentes, cum quibus mihi res eſt, ut ita eadem prolixius hic deprædicare ſuperfluum plane judicem.

Quantum temporis requiratur, antequam fortunatarum harum Inſularum portum inire liceat, tam accurate definiri non poteſt, cum antecedens, eaque laborioſior operis pars citius ab uno, quam ab altero abſolvatur. Varietas enim Enchiriſium in depuratione, digeſtione, cryſtalliſatione, &c. laborem aut prolongare, aut abbreviare valet. In poſterioris vero partis negotio moderata nempe digeſtione, itidem operator alter altero eſt peritior, imo felicior mediante ignis regimine, in quo cardo rei conſiſtit. Cautus tamen & expertus, & ſimul patiens pyrotechnus non adeo facile errare poterit, ſi modo certam ſibi præfigat regulam, mutationem colorum depictam in materia incluſa conſpectui ſeſe offerentium. Quamdiu enim vel plane non, vel nondum perfecta adeſt nigredo, tamdiu requiritur ignis ſumme lenis. Color autem dicto apparente, augendus eſt paululum ignis, donec albedo acceſſerit & diſceſſerit. Tunc iterum modice ignis eſt augendus; (cavebis tamen ne quid nimis) usque dum illuxerit deſideratiſſima illa rubedo, & tunc continuandus eſt per temporis ſpa-

tium calor; Quo diutius enim digeritur vel circulatur materia, eo maturior, eo perfectior certiſſime tibi erit expectanda Tinctura. Quandocunque enim admodum lenis adhibetur ſaltem tepor, neceſſaria partium volatilium & fixarum mixtura, tardiore quoque motu ad ſuam perfectionem, ad ſuum finem tendit; Si vero juſto celerius ignem augeas, materia contenta molliori ac delicatiori inhians tractationi, vitrum rumpit, atque ita laboris præcocem & infauſtam facit periodum.

Faſſus ſiquidem mihi eſt Chymiater Celeberrimus ſancta fide, quod Magni Principis juſſu ac ſumtibus aliquot annorum ſpatio Philoſophiæ Pyrotochnicæ incubuerit, ac tandem primicerium hoc opus chymicum fuerit aggreſſus, alacri mente & manu indefeſſa. Poſtquam autem ad duos annos, & quod excurrit, huic methodice inſudaverit, ac jamdum ex albedine tantum non perfecta per vitrum radios lunares ſpargente, maximam optati eventus ſpem conceperit, una vice improviſo fortaſſe ob ignem paulo fortius auctum, vitrum penitus diſruptum in cauſa fuiſſe, quod loco præmii, præter olei operæque perditionem nihil reportaverit. Quid in laboratorio Michaëlitano acciderit laborioſo ac provido Domino Zittemanno, dum Mercurius cum auro præcipitatus, per octodecim menſes cautiſſimos igne tractatus, paulo nimium ſaltem tepefactus, vitrum ruperit & evolaverit Cap. 4. meminimus.

Proinde illa loquendi formula, dum poſteriorem operis hujus partem vocitant opus mulierum & ludum puerorum, cum grano ſalis debet intelligi; nimirum hic non requiri adeo difficiles Enchiriſes ac tædioſas diverſitates, veluti in antecedentibus, ſed ſolummodo neceſſe eſſe, ut longinqua mora, otio, ac lenta patientia moderati caloris beneficio abſolvatur: præcipue cum modo præmiſſa doceant non minus & hic accurate tractandum eſſe ignem.

Sic ex ore Magni Chymici, Tincturæ elaborationi incumbentis, percepi, ipſum carbones fornaci injiciendos parum humectare, ne præcipiti flamma incenſi inopinatum & triſtem cauſentur effectum, domicilio vitreo raræ illius avis impatientis diſſiliente.

Petrus Johannes Faber in manuſcripto annexo digeſtionem humidam ſiccæ præfert, id eſt mavult ut circulatio perficiatur in Balneo humido Mariæ, quam in arena aut cineribus.

In Magni cujusdam Principis Laboratorio ſic procedebatur: Phiola vel cucurbita parva ad quartæ ſuæ partis repletionem onerata Tincturæ materia, continuandæ poſteriori laboris parti deſtinata, & mixta, indatur pyxidi ligneæ, pro phiolæ figura tornatæ, hæc imponan-

ponantur ita tripodi ferreo, qui reponatur in Balneum Maris cupreum, duas ulnas altum; huic infundatur aqua, duos tamen digitos transverſos profundius, quam ut pyxidem ligneam tangat, tepefiat hæc aqua, tam leni tamen ignis ſervato gradu, ut ſit analogus ovo cui gallina incubat.

Quidam in hiſce naturæ ſummis arcanis optime exercitatus mihi aperiebat loco magni ſecreti, ſe ſe ſolum uti igne ellychnii, vel lampadis, modeſta olei affuſione nitrito; cum verebatur ne materiæ in vitro contentæ ab atomis carbonum ignitorum penetrantibus aliquid heterogenei, cujus plane eſt impatiens, accedat.

Chymici etiam genuini pro ſimilibus arduis proceſſibus rite tractandis abhorrent utplurimum ignis actualis violentiam; ſed ſæpius & ſecurius adhibent ignem, quem dicunt, frigidum & humidum, dum ita per excitatam curioſam mixtionem, & modeſtam fermentationem res deſtillandæ, circulandæ, figendæ, &c. in ſe ipſas quaſi agunt, & quod ab igne communi periculoſa vehementia expectandum, ſic caute, ſecure & lente perficiunt. Quæ de arcano igne ad Tincturæ operationes adhibendo proponit Joh. Joachim. Beccherus in Phyſicæ ſubterraneæ Lib. I. Sect. 5. Cap. 3. ibidem poterunt videri.

Dixi aliquoties in hoc & præcedente Capite, materiam Tincturæ noſtræ continere in ſe omnia pro acquirenda ſua perfectione neceſſaria; neutiquam vero alieni quiddam eidem miſceri debere; prout hactenus propoſita & declarata erudient, Divino fato electos, dignosque ad hoc judicatos. Non poſſum tamen hic ſilentio præterire, haud abſurde, vel contra artis fundamenta Aurum aut Argentum vulgare & perfectum addi aliquando ſolere & poſſe.

Cum per hæc nobiliora metalla ob ſyncretiſmum & Analogiam, quam habent cum ſuperioribus, labor citius ad finem perducatur deſideratum. Cuicunque igitur non libuerit dicta methodo hunc juxta ſua principia ſola & pura tractare per circulum Philoſophicum, uti loquuntur, ille non adeo aberrabit a vera ſemita, ſi juſto tempore ac modo addiderit aurum, vel argentum vulgare, vel perfectum.

Cum hac additione autem ita eſt præcedendum: Poſtquam abſoluta priore operis parte aggreſſurus es poſteriorem, longinqua illa, tarda & patienti digeſtione perficiendam; tunc partibus decem materiæ dictæ univerſalis admiſce partes duas argenti, ſi ſaltem Tincturam albam; totidem vero auri, ſi Tincturam rubram, vel opus abſo-

abſolutiſſimum deſideras. Debent autem ſumi Sol vel Luna puriſſima, vel in pulverem aut Crocum redacta; quo melius enim antea eadem ſunt reſoluta, & citius materiæ ſe ſe uniunt eventu optato: Commodior Auri crocus habetur, dum hoc cum antimonio purificatum amalgametur cum Mercurio, hinc ſuperfundatur ſpiritus vini ſumme rectificatus, qui evaporetur, vel deſtilletur aliquoties, & fiet pulvis optime levis, tenuis & poroſus.

Ego quidem eligerem, vel huic præferrem arenam illam auream Indiæ Occidentalis nativam, ob ſuam volatilitatem ſulphuris ſolaris innati citius communicabilem.

Facta hac materiæ & Auri miſtione progredere in Proceſſu tuo, lente feſtinando, laboremque per rotam vel circulum Philoſophicum, veluti hactenus clare deſcriptum, continua. Si forte aurum vel argentum prima vice non fuerit integre mixtum materiæ univerſali, tunc adde denuo materiæ hujus portionem Auro, ac veluti hucusque, ita adhuc aliquot ſeptimanis vel menſibus illa tractes, & uniantur ſucceſſive, juxta tuum deſiderium.

In Capite Schediaſmatis hujus ſecundo propoſui ex nonnullorum Neotericorum, (cum Veterum fides hic, non adeo recte quidem, quaſi dubia reddatur) autoritate & experimentis poſſibilem Tincturæ augmentationem. Quamvis autem de hujus veritate ipſe ego teſtari non valeam; ſed peritiorum Chymicorum judiciis ac Cenſuræ hoc relinquam; nihilominus de hujus praxi inſtituenda hic Curioſis ſubjungam, quæ unus illorum, integrum hoc negotium arcanum, ceu ſuperius monui, fideliter mihi detegentium, ſignificavit: ita autem procedi debere affirmabat:

Capias Tincturæ tuæ rubiniformis pellucidæ partem unam, huic adde denuo liquoris illius lactei butyroſi in finita prima operis parte confecti partes decem; ſigillentur hermetice, digeranturque per unam vel alteram ſeptimanam ſolitis illis lenioribus ignis gradibus, augendo tamen ſucceſſive calorem, & quidem ultimo fortiſſime; atque ita maxime eſt fixatum ac multiplicationi aptum. Hic labor ita aliquoties repetatur novi liquoris affuſione; & pervenies ad illum multis incredibilem perfectionis gradum. Hujus pars una ſi injicitur decem partibus auri fluentis, hoc omne ſimile reddetur Tincturæ injectæ pro exhibendis illis miraculoſis in re medicamentoſa & metallica operationibus.

Atque ita, ceu promiſeram, poſſibili perſpicuitate, neceſſariisque circumſtantiis ingenue Orbi Literato communicavi, poſt deſcriptam Tincturæ univerſalis materiam, hujus quoque præparandi modum,

dum, utpote quibus duobus tota res innititur. Faxit Majeſtaticus ſuperiorum & inferiorum, hoc eſt, Cœli & Terræ Architectus, ut juxta ſcopum & intentionem meam glorioſus Nominis ſui Honor augeatur, incomprehenſibilis Myſteriorum Divinorum varietas amplificetur, proximi Commodum promoveatur, Animæque propriæ ſalus juvetur!

Abſolutis nunc iis, quæ ad propriam Tincturæ Univerſalis tractationem pertinent, lubet Curioſis Arcanorum naturalium ſcrutatoribus annectere nonnullos labores, quos Magni non minus Medicinæ Chymicæ Antiſtites, in eadem hac Via Univerſali inſtituerunt; licet ſupremum Chymiæ Culmen per Tincturæ acquiſitionem non attigerint, vel etiam eorum pars illud attingere animum nunquam induxerint; cum materiæ Catholicæ aut ſaltem partem unam, vel volatilem vel fixam, aut materiam aliquam remotam, aut mixtam heterogeneis Operi ſuo deſtinaverint.

Proponam tamen hæc quodammodo brevius, ne quaſi extra oleam vagari videar, cum propoſitum meum fuerit, agere in ſpecie de Tinctura Univerſali. Ex deſcripto autem hactenus labore poterunt facile ad ſuum ſcopum applicare neceſſaria cordati & prudentes Chymici. Si vero una vel altera enchiriſis deficeret, meam ſpondeo ſerviendi promtitudinem, veluti manifeſto candore publice in præcedentibus me Orbi Literato oſtendi.

Propterea prodeat I. labor ex *Spiritu* vel ex *Aquæ Aeris.*

Multi quibus DEUS non detexit integram materiam Tincturæ Univerſalis (partem volatilem & fixam intelligo) argute ratiocinantes, quanta quanta ſit aeris neceſſitas, pro ſui vegetatione, nutritione & conſervatione ſublunaribus omnibus; & quod aëre puro ſimus ſani, vegeti; aere vero impuro exiſtente, ægrotantes: miſere ſe ſe macerarunt, quomodo huncce occultum cibum, Nectar hoc Jovis nimium tenue ac volatile capiant, incraſſent, & in conſtantem liquorem potabilem reducant; veri chalybis Sendivogii, vel Terræ Sale centrali fixo impraegnatæ, ignari.

Modos aquam aeris capiendi plurimos poſſem producere, ſed ex hiſce ſufficiant rariores, miranda interim laborioſa eaque laudabilis horum naturalia ſcrutantium curioſitas. Anglus quidam & alii ſic procedebant: Menſe Martio, ſole arietem ingrediente, vel etiam Menſe Aprili vel Majo, poſtquam per unam vel alteram ſeptimanam pluvia terram non humectaverat, ſed ros ſaltem large per 6. 8. 10. dies deſcenderat, præterita noctis meridie, inſtante Aurora, & dum

U appa-

apparere incipiunt radii ſolares, terram pinguem & fœcundam (qualem Capite præcedenti deſcripſimus) defende aſſere vel ligno, ulnam unam cum dimidia longo, a radiis ſolaribus. In aſſeris hujus medio ſit foramen rotundum, cui accurate intrudi poteſt cucurbita vitrea ſatis capax, cujus orificium optime ſit munitum & circumligatum linteo, ichtyocolla (Hauß-Blaſen) viſcoſum & tenax reddito, linteum foraminulis miliiformibus ſit pertuſum, vitrum duorum digitorum latitudine per aſſerem tranſeat, ne terra eodem tangatur. Tunc ſpeculum cauſticum, in aſſerem, vel lignum ſimilis latitudinis in medio ſtricte infigatur, e regione ponatur cucurbitæ ad diſtantiam unius palmæ. Speculum dictum radiis ſolaribus ita appone, ut hi per hoc penetrent ad cucurbitam. Hoc ita continuetur tribus horis, & cucurbita incaleſcet, ſpiritusque mundi e terra per lintei foraminula tranſibit in vitrum, aquoſitate exterius circa linteum hæſitante. (Nam hujus gluten non permittit, ut pars aquoſa ſimul tranſeat.) His peractis cucurbitæ remotæ orificium optime claude linteo, ichtyocolla obductum tamen non perforatum, ne evolet fugitivus hic hoſpes. Hoc modo ſpiritus mundi ſingulis matutinis poterit capi, donec neceſſaria tibi ſuppetierit quantitas; alio tamen ſemper in loco; extrahitur enim eo circuitu Sal aeris volatile e terra, quam aſſeris ambitus a ſplendore ſolis defendit. Spiritus & ſal volatile circumſpecta dexteritate & cauto ignis regimine rectificentur, miſceanturque ſpiritui e ſale fixo terræ ſeorſim igne aperto & forti deſtillato: circulentur per tempus; paratum inde eſt medicamentum rariſſimæ in morbis etiam periculoſiſſimis efficaciæ. Ad Tincturæ tamen Univerſalis faſtigium penitus adſcendere hæc mixtura non valuit, cum principia debitam permixtionem antea non fuerint unita.

II. Quæ acutiſſimus *Kenelmus Digbæus* Tractatu de immortalitate animæ refert, amicum ſinceriſſimæ fidei ope vaſorum vitreorum collegiſſe radios ſolis in pulverem fuſci vel purpurei coloris præcipitatos, illud convenit cum præcedentibus; adhuc magis vero ſequenti experimento, quod Philoſophus Pyrotechnicus pro rariſſimo habebat arcano: ſpeculum rotundum cauſticum optime politum, ubi radii in centrum concurrunt, exponatur in libro aere Soli, maximo æſtu fervente; continuetur ita aliquot diebus, illud ſemper removendo, & circa centrum ſpeculi adhærebit Sal niveæ albedinis, quod cultro abraditur in vitrum, per dies aliquot ita Salis hujus mirabilis una vel altera uncia poterit colligi.

III. *Fri-*

III. *Fridericus Hoffmannus* Clavis Pharmaceut. Schrœderianæ Lib. 3. Cap. 3. pag. 140. refert: Famoſum illum *Burrhum* & *Vice-Colonellum Kranach* magnam aquæ aeris copiam ſibi comparaſſe beneficio capaciſſimi cujusdam filtri vitrei, cujus orificium inferius clauſum glacie, vel aqua frigidiſſima, nitro vel ſale armoniaco imbibita repleti, & radiis ſolaribus expoſiti, dum ad hujus exteriorem ſuperficiem in aere catervatim natantes vapores delati in vitrum ſuppoſitum a ſolis fervore immune deſtillatum.

IV. Alium pro aeris captura & incraſſatione modum deſcribit, Medicus Italus Clariſſimus *Fabritius Bartholettus*, in methodo ſua ad dyſpnoeam, dum per inſtrumentum vitreum ibi depictum, tubæ non adeo diſſimile, aereum humorem attrahit ac colligit, quem poſtea coagulat in cryſtallos, affectibus thoracicis, aliisque utiles.

V. Alius ita inſidiabitur Aviculæ Hermetis: Sub tecto domus, vel in ſuperna contignatione ponatur fornax chymica communis cum vaſe fictili capella dicta, cineribus plena, hiſce imponatur Phiola magna, hujus collo immittatur alius canalis vitreus, qui in inferiore ſui parte habeat appendicem, veluti roſtrum decurbatum alembici deſtillatorii. Canali dicto vitreo agglutina filtrum vitreum, cujus apertura ſeu foraminulum vix æquet magnitudine granum ſinapi. Poſt mediam noctem ignis lenior indatur fornaci, canalis cum ſuo filtro dirigatur verſus orientem per feneſtram, ubique optime clauſam, ſtet ita, usque dum ſol fuerit ortus, & vaſculum appendici illius canalis adnexum ſuſcepit bonam liquoris aërei portionem, quæ effundatur aliquoties, novusque capiatur, ſervetur in vitro bene munito & clauſo.

VI. Alii cum *Michaele Sendivogio* & *Johanne Staricio* hoc utuntur inſtrumento: fiat vas cupreum retortæ deſtillatoriæ ſimile, poterit hoc componi e duabus, tribus vel quatuor partibus ſingularibus, orificium hujus ſit ſumme anguſtum & ſtrictum, ut vix aciculæ aculeo tranſitus pateat, (juxta mentem Sendivogii) in parte inferiore adaptetur canalis cum ſuppoſito vaſculo recipiente; unius palmæ latitudine ab hoc ſit canaliculus vel ſipho. In medio hujus inſtrumenti fiat margo, vel retinaculum (ein Abſatz) cui imponitur ſpongia magna, & ſuper hanc marmor vel ſilices in fornace figulina calcinati diſpergantur. Deſcriptæ hujus machinæ orificium emittatur per feneſtram: per canaliculum inferius accommodatum attrahe ore tuo aërem, hic enim ſe ſe inſinuabit marmori

 mori

mori & ſilicibus calcinatis; ab hiſce communicabitur ſpongiæ ſubjacenti, & ſic deſtillabit per canalem liquor aëreus in vas ſuppoſitum. Hypocauſtum requiritur calefactum, & quo major in hoc calor, frigus vero exterius magis intenſum, ex antiperiſtaſi eo magis deſideratus tibi eſt ſperandus effectus. Operatio quoque largior ſuccedit tempore nocturno, quam diurno, cum aër tunc denſior, magisque coagulatus.

VII. *Pater Caballus* Celebris in ſcientia Chymica Italus, inter varia alia memoratu digna & utilia, diverſos quoque conſignavit modos capiendi ſpiritum aëris; quod & alii fecerunt: Cum autem partim congruant quodammodo cum hactenus adductis, ut his ſint cognati, partim ne in his ſim prolixior, eas jam non tango.

An vero dictis modis omnibus acquiſitus liquor aëreus adeo ſufficienter & debite ſit imprægnatus genuino & puro Mundi ſpiritu, judicent alii: Proinde etiam deſiderato neutiquam potiuntur fine operatores, Tincturæ nimirum Univerſalis acquiſitione: præcipue, quoniam ipſis ſimul deficiat Sal terræ fixum, chalybs Sendivogii, (*a*) vel Magnes Philoſophicus. His tamen non obſtantibus, ex hac aqua, præprimis ſi temporibus balſamicis, & juxta alias circumſtantias in Capite præcedente tractatas, parantur laudabilis efficaciæ remedia, qua de re recte, vel ſine modo elaborandi deſcripto, agunt *Petrus Johannes Faber*, *Nietnerus*, *Fridericus Hoffmannus*, & plures alii.

Quidam optimam ſibi comparabat famam medicamento ſequenti, ex hac aqua compoſito: Captam aquam per tempus collocabat in Cellam pro putrefactione, hinc deſtillabat caute per cucurbitam vitream, deſtillatum ſuper reſiduum digerebat, poſt rectificabat, prodeuntem liquorem denuo affundebat capiti mortuo, ponebat in cellam, & ſuccedebat egregia cryſtalliſatio; cryſtallos exemtos diluebat & ſolvebat aqua pluviali, quod variis morbis, etiam contumaciſſimis feliciter exhibebat.

Sequitur nunc II. labor ex *Aqua Pluviali* qui eſt talis:

Menſe Martio, circa æquinoctium, vel etiam Aprili aut Majo, colligatur aquæ pluvialis, vel etiam tonitrualis magna quantitas, evaporet coctione continua, tamen non adeo forti, donec incipiat craſſeſcere; tunc deſtilla in cucurbita vitrea, usque ad liquidiuſculi extracti conſiſtentiam. Tunc terram aliquam pinguem & fœcundam vel ſolarem, cujus ſuperius aliquoties mentio facta, humecta dicto extra-

extracto vel ſale copioſa aqua pluviali diſſoluto, ut fiat maſſa craſſa. Expone ita eam per duas ſeptimanas aëri, poſtea dicto modo iterum humecta, ſtet iterum per duas ſeptimanas, & hoc tertia & quarta vice. Poſtea deſtilla e cucurbita leni igne, & prodibit ſpiritus quaſi pinguis cum ſale volatili. Spiritum aliquoties caute & lente rectifica, cui a phlegmate libero miſceatur ſal ſuum volatile. E capite mortuo elixivia ſal fixum aqua pluviali, hoc repetita depuratione & coagulatione cryſtalliſetur. Hujus pars una miſceatur cum partibus decem ſpiritus ſale volatili impraegnati; adde croci Auri partem unam vel duas, digere leni igne, & circula, tali cautela ignem regendo, veluti de via univerſali monitum. Quod diutius ſteterit, & quo diligentius colitur, eo perfectius & generoſius obtinetur Arcanum, Tincturæ Univerſali analogum tam medicamentum, tam metallico-transmutatorium.

III. Labor e *Nive*: Eadem methodo, qua quidam meditationes & labores applicuit aquæ pluviali, alius inſudavit Nivi, & inde parato ſali: Quamvis autem tam copioſo ſale non turgeat volatili, velut aqua pluvialis, eandem tamen fere de hoc ſibi promittere potuit ſpem, cum ex eodem Aſtralibus influxibus non privato oriatur principio.

IV. Labor e *Rore*: Multum temporis nonnulli impenderunt ingenioſi pyrotechni in ventilationem phyſicam ſudoris illius cœleſtis, Roris, & inprimis Majalis, atque hoc quidem non immerito, aut ſine artis fundamento; cum nec vulgus neget, huncce eſſe quaſi quotidianum & ordinarium vehiculum virtutis illius balſamicæ æthereæ, omnia vegetantis, nutrientis, & conſervantis; qua de re ſacræ paginæ & multi multorum autorum libri prolixe ſolida afferunt teſtimonia.

Quamvis autem eſſentia roris maximam partem conſiſtat in ſale volatili aereo, nihilominus novi induſtrium medicinæ Myſtam, qui inde extrahebat remedium, mirabilem exhibens varios contra morbos opem, aliis fruſtra & infeliciter exhibitis, ſequenti modo:

Menſe Majo mane ante ſolis ortum in agris triticiferis aut pratis colligi curabat rorem, non more ſolito per lintea (cum hæc tenui poroſitate abſorbeant potiorem partem balſami unctuoſi ſalini aerei) ſed per patinas terreas. Imponatur cellæ in vaſis vitreis per unam vel alteram ſeptimanam, ut fæces quodammodo deponat, tunc deſtilla in maris balneo, cautiſſimo ignis regimine, alias certe rum-

 punt

punt vitrum ſpiritus ſale volatili copioſe gravidi, ad exitum ſtimulati. Hi cum ſuo ſale volatili repetita eaque leniſſima rectificatione ſeparantur, a ſuo phlegmate, ac in vitro optime muniantur, alias evolant inde, unde primo venerant, id eſt, in auras. Fæces a deſtillatione reſiduas calcina, & proprio phlegmate inde elice ſal fixum. Spiritum dictum ſale volatili gravidum, ſali fixo per ſolutionem purificato ſuperfunde, & ita in phiola per aliquod tempus moderato calore circulando, in ſuam perfectionem exalta.

V. Labor e *Sale Terræ centrali fixo.* Quemadmodum multi inſudarunt ſudori huic aëreo, uti parti volatili, rori, ita quoque non pauciores inhæſerunt ſaltem Sali Terræ, ſeu parti fixiori, itidem non infelici, aut irrito plane eventu. Et cum inſtitutum fuerit opus per deſtillationes, extractiones, digeſtiones, ſatisfactiones, fere easdem, uti in antecedentibus dictum, prolixior hic non ero, tædioſa repetitione frequentiori; nihil enim ab iis differt, niſi quod huic non univerint neceſſariam partem volatilem.

VI. Chymiater non infimi ſubſellii liquorem ſequentem e perfectis trium regnorum corporibus concentratum, in ſecretis habebat: ſumantur Salis mundi vel aëris unciæ duæ, Salis Terræ uncia una, Salis microcoſmi uncia dimidia, Salis tartari Drachmæ duæ. Diſſolvantur ſpiritu vini optime rectificato, circulentur in cucurbita clauſa, & munita, poſtea deſtillentur, & deſcendet liquor rubeus, easdem cum auro potabili obtinens vires. Doſis ſunt grana decem ad viginti. *Sal Mundi vel aëris* ſic paratur: Terræ Lemniæ quantum vis, in loco alto expone aëri libero, per aliquot ſeptimanas, poſtea aqua pluviali ſal extrahatur. *Sal Terræ* ſecundum artem paratur, e turffis, bituminoſa Batavorum terra; poterit tamen loco hujus & Terra Lemnia alia ſumi.

VII. *Oleum Auri Schrœderi aquæ innatans* cujus ſuperius Capite tertio mentionem fecimus, ita elicitur: elixivietur e terra pingui (v. g. marga) ſaporem ſalſum præ ſe ferente, ſuper quam creſcit trifolium & ſimiles herbæ pingues, non profunde in terra exiſtente, (ut ſic ſpiritu mundi eo melius ſit imprægnata) ſal aqua pluviali martiali evaporatione inſpiſſetur, & purificetur, aliquoties ſolvendo: ex hoc ſale formentur globuli cum terra pingui, deſtilleturque ſpiritus per retortam. Spiritus egreſſus rectificetur. Hinc elixivietur ſal e capite mortuo, ejusque pars addatur ſpiritui rectificato. Sic habes menſtruum, quod ſolvit aurum foliatum. Spiritum dictum ſuperfunde Auro foliato, ſtet ita aliquandiu, ut

ſolutio

ſolutio penitius peragatur, attrahaturque ſal ex aëre (quo diutius ſtat, eo melius eſt) tandem abſtrahe aliquoties ſpiritum vini rectificatum, acuatum modico ſalis urinæ volatilis, vel ſpiritus ſalis armoniaci; ſtet ita aliquandiu, & menſtruum colorabitur, & ſupernatabit oleum rubicundum, quod per balneum Maris abſtrahatur, & ſeparetur a menſtruo. Si hæc operatio inſtituitur Menſe Martio, ubi ſpiritus mundi in Macrocosmo maxime viget & vegetat, erit eo efficacior. Doſis ſunt pauculæ guttulæ; poteritque quilibet ſibi imaginari efficaciam rariſſimam, cum oleum & ejus rubor nullo modo a menſtruo, ſed a radicaliter ſoluto auro dependeat. Huc usque Schrœderus.

Quibus addo, virum huncce magnum, quidem duriſſima auri repagula modo pluribus incredibili ita reſolviſſe, ut remedio incomparabili ſit potitus, tamen plenarie ad Tincturam Univerſalem non adſcendit, cum non omnes Enchiriſes ſuperius notatæ de via univerſali fuerint obſervatæ, præprimis plenaria unio & influxus ſalis volatilis cum ſale fixo terræ.

VIII. Dantur adhuc variæ auri Tincturæ ſolutiones, vel extractiones, quæ quamvis firmiſſima illa auri clauſtra penitus non penetraverint, tamen non plane ſunt rejiciendæ, præcipue ſi participent de ſale terræ fixo, vel de ſale aëris volatili, & ſic vero auro Potabili ſunt affinia aut analoga, qualem deſcribit Clariſs. Dominus *Langelottus* in Epiſtola ad naturæ curioſos & alibi, aut quali elaboratione meam dignata eſt tenuitatem Divina ſapientia. (*b*)

Varia alia menſtrua ſecundum magis & minus in aurum ſolvendum agere valentia excogitarunt varii Dædali Chymici. (*c*) Sic non contemnendæ virtutis eſt *Tinctura ex Croco auri ad mentem Baſilii Valentini parato oleo cinamomi extracta*. Beatiſſimus D. Michaëlis extrahebat ſpiritu e minera Saturni, exhibebatque ſæpiſſime vere refocillante Archæi debilis ſolatio. Illuſtris quidam Chymicus magni æſtimat ſpiritum e pane optime fermentato, aliquoties caute rectificatum, poſtea ſpiritu vini alcoholiſato mixtum & circulatum. Efficacior foret ſpiritus panis rore majali aut aqua pluviali deſtillatus, & ſumme rectificatus, tunc radiis ſolaribus ac aëri expoſitus in vitro, ubi poſt paucas horas limpidiſſimus ille ſpiritus rubini colorem aſſumit; de qua re conſulendi Anglus *Celeberrimus Robertus Flud.* & *Joh. Tackius in Chryſogon. animali ac minerali p.* 76.

Alius faciebat ſtratum ſuper ſtratum e foliis auri & lapide pumicis; dum in tigillo fluunt igne forti, pumex ſpongioſus attrahit auri reſo-

reſoluti Tincturam, quæ inde facile poterit elevari ſpiritu vini per ſpiritum ſalis armoniaci exaltato, &c. *Hartmannus* magni æſtimabat crocum & Tincturam auri, dum aurum limatum raſura cornu cervi in furno figulino reverberabat, auro inde colorem incarnatum acquirente. Quidam ſucceſſive miſcebat ſpiritum aliquem alcalicum & acidum, qui qualitatibus ſuis contrariis ſe ipſos ita corrodunt & fatigant, ut penitus dulceſcant, & ex liquore hoc dulcificato egregium ſperabat auro ſolvendo menſtruum. Alii utuntur adminiculo cryſtallorum ſalis dulcium, ſpiritus ſalis Tartari volatilis, ſpiritus ſalis ammoniaci, ſpiritus & ſalis ſanguinis humani, cornu cervi, urinæ, olei, ſpiritus & ſalis fuliginis, ſuccini, &c.

IX. Quidam in ſingulis tribus regnis ſpecialiter quærunt *Lapidem* vel *Tincturam Univerſalem*: Exempli loco hic ſaltem ponam *Lapidem Animalem*, quem laborem non eſſe plane de nihilo, facile ſubolfacient illi, quorum præcordia de meliore luto, modus elaborandi autem eſt talis: Collige urinæ puerorum duodecim vel quindecim annorum, octoginta vel centum libras, ſole exiſtente in ariete, ad putrefactionem pone in cellam, vel locum a ſole immunem, per duos menſes, tunc recipe cucurbitam magnam, infunde urinam putrefactam, ut pars tertia repleatur: deſtilla ex arena primo gradu ignis ſpiritum; dum phlegma prodire vult, quod patet e guttulis collo cucurbitæ adhærentibus, tolle recipiens, ſpiritum optime munias, ne quid exhalet, appone aliud, auge ignem uno gradu, ut phlegma omne prodeat, (quod etiam ſeorſim ſervandum) & remaneat ſaltem liquor craſſus in cucurbita, e qua frigefacta exime, deſtilla ex retorta terrea per gradus ignis donec prodeant guttæ ſanguineæ; tunc auge ignem & prodibit oleum: hinc adhibe quartum ignis gradum, ut retorta cum materia igniatur, pro capitis mortui calcinatione, refrigeſcat caput mortuum, & deſtillatum inde oleum optime ſerva; Deſtillationem hanc ita continua, donec omnis urina abierit in ſpiritum, oleum & caput mortuum: Tunc illa ita rectifices: Spiritum indas cucurbitæ fortiori, deſtilla ex arena igne leni, ut impuritas & phlegma, ſecundum artem ſeparentur; refrigeſcat, ſpiritum cum ſale volatili ſimul elicito ſerva conjunctim in vitro optime munito. Continua deſtillationem, & ſpiritum cum ſale volatili conjunctim ſepties rectifica, vel tamdiu, donec nullæ remaneant feces, ac omne in recipiens prodeat, ſic ſpiritus cum ſale volatili fixatus eſt & perfectus: Poſtea recipe phlegmata, rectifica quoque ſepties, vel donec nullæ remaneant feces: Tunc recipe caput mortuum optime calci-

calcinatum cum phlegmate tuo extrahe ſal fixum, quod rectifica donec plane fiat cryſtallinum ac in calore leni fluat, ſic enim redditur volatile, quod hic neceſſario requiritur, muniatur optime ab aëre. Hinc recipe caput mortuum e quibus ſal extraxiſti, calcina, aqua communi edulcora, ut fiat terra mortua ſicciſſima; Huic ſuperfunde oleum tuum (a quo quantum poſſibile phlegma adhuc admixtum ſeparetur) mixta optime deſtilla ex retorta per gradus vel ſucceſſive igne forti, dum nil amplius prodit, recipe terram bolarem quandam, calcina optime, edulcora, & exſicca, cui infunde oleum tuum, deſtilla ſepties, uti in præcedenti factum, ſemper ſumendo terram vel bolum recentem, ita puriſſimum fit & deponit fœtorem. Poſtea omnes terras calcina in tigillo per ſemi horam; ſuperfunde in vitro aquam puram, & acquires aquam cœruleam, quam evapora, & acquiris ſal viride, quod veneri aufert innatum ruborem, redditque lunæ analogam figura externa.

Jam ſequitur conjunctio & fixatio: Sumantur olei rectificati pars una, ſpiritus in quo ſolutum eſt ſal volatile partes duæ, ſalis fixi partes tres. Sal fixum in phiola optime munita imponatur arenæ, accendatur paulatim ignis ut ſal reddatur fluidum, prout gummi vel cera, tunc ſtatim ignem ſupprime, ita tamen, ut phiola eodem ignis gradu temperato ſervetur. Jam recipe oleum ponderoſum, tolle phiolæ operculum, inſtilla guttam unam olei & ſubito rurſus cucurbitam claude, donec materia tumultuans quieſcat & olei guttam ingurgitaverit, hanc olei inſtillationem continua donec omne oleum ſali fixo ſe univerit. Deinde ſume ſpiritum ſuperius dictum, infunde hunc quoque guttatim ad ſal fixum, uti de oleo notatum, ad quamlibet guttam vitrum rurſus obdurando, id continua, donec omnis ſpiritus etiam infuſus & ſali fixo unitus, inque unam ſubſtantiam omnia fuerint redacta. Phiolam ſigilla hermetice, pone in balneum in gradu ignis æquali, donec materia contenta incipiat rubeſcere, hinc balneo phiola exempta, imponatur cineribus, (quæ æqualis cum materia contenta in vitro ſint altitudinis) digeratur materia eodem calore, usque dum appareat pulcherrima rubedo. Hinc impone phiolam arenæ, ut hæc phiolæ corpus rotundum tegat, admove ignem per gradus, ſingulis tribus horis augendo gradum, in quarto vero gradu ſerva ignem per viginti quatuor horas. Tunc eſt fixum & abſolutum medicamentum incomparabilis efficaciæ, contra morbos herculeis clavis etiam alias non obedientes. Doſis ſunt guttæ duo aut tres. Guttula una libram integram vini vel aquæ ruberrime tingit. Si huic lapidi additur quarta pars olei auri, antequam

vas ſigilletur, ac per 48 horas ſummo ignis gradu foveatur, evadit in ſal vel lapidem rubiniformem, quod metalla omnia impura depurat. *Elixir album* ita poteris obtinere: miſceantur ſpiritus dicti uncia ſemis, ſalis fixi uncia una, olei lunæ uncia una cum dimidia; procedatur ceu jam de rubeo Elixir dictum, & ſic acquiris non modo egregiam Tincturam pro ægrotorum ſolatio, ſed & Saturnum, Venerem, Jovem ac Mercurium in Lunam transmutantem.

Hac pro vice propoſita additamenta ſufficiant, ne in peculiare Tractatus corpus excreſcant, amice rogitans, ut æquus Lector, eadem mentis ingenuitate, qua ſcripta ſunt, omnia accipiat. Denuo confiteor, hæc dicta quidem a me ipſo maximam partem non eſſe elaborata, nihilominus ſacta fide teſtor, quod ea cuncta a Chymicorum ſeculi noſtri Primatibus fuerint inventa & elaborata, e quorum non tam manuſcriptis, quam ore & actuali converſatione egomet plurima hauſi. Cæterum illa rationalium Pyrotechnorum, cum quibus mihi præcipue res eſt, æquæ ſubjicio cenſuræ, ſperans fore, ut illi, pro veritate magis magisque eruenda & amplificanda ſua quoque amice, ſint collaturi ſymbola, atque ita laudabilibus Anteceſſorum noſtrorum inventis alia, aliaque ſimilia, aut majora cum Deo & die addituri.

Quæ *Petrus Borellus in Bibliotheca ſua Chymica* anno 1654. Pariſiis & anno 1656. Heidelbergæ edita meminit, *Mariam Rante*, Anglam, ſtatuiſſe ac prædixiſſe, Lapidem Philoſophorum Anno mileſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo primo in vulgus fore notiſſimum, ſagaciorum judicio relinquo.

Coronidis loco unicô te adhuc volo amice Lector: Quamplurimi tuorum mihi fortaſſe indignabuntur, quod e lectione hujus ſchediaſmatis optatum ſcopum non attigerint, dum nimirum crediderint, ſeſe ſubito reperturos, quod pueri in faba; ac, cum per Tincturæ acquiſitionem certe ſibi promiſerint acquiſitionem divitiarum, famæ glorioſæ, ac honoris, a ſanatis morbis deſperatis, metallisque ignobilioribus exaltatis, hoc gaudium conceptum, hanc ſpem promiſſam dubiam ego, ac tam difficilem reddiderim, per varias circumſtantias imo dehortationes plurium, capite quarto adductas. Aſt fruſtra quereris, mi Lector, fruſtra me accuſas: propria tua, minime vero mea illud accidiſſe culpa tibi perſuadeas. Cur enim falcem audes mittere in alienam meſſem, aggrediendo extra tuæ vocationis terminos mirum quantum ſeria? Cur ſutor ultra crepidam intempeſtivo & illicito deſiderio tam arduis inhias? Doleo ſane vicem tuam, quod cum pluribus ad talia fato Divino non fueris electus: ingenue rogito, veſis impoſterum manere in ſtatione, qua fueris poſitus, ac diligenter

obſer-

obſervare magnum illud tuum in hoc mundo DIC, CUR, HIC: de quibus caput quartum ad nauſeam usque te erudiet. Præter varias enim rationes ibi adductas, nimirum quod extra vocationis limites vagari non liceat, addo ex ſuperabundanti hoc unicum: Libro 1. Maccabæorum cap. 5. v. 55. ſequ. legitur: Judam Maccabeum cum fratre ſuo Jonathane, pro perſequendis ac ad incitas redigendis fidei & Patriæ hoſtibus exiiſſe: Joſephum autem & Aſariam præfectus militares domi reliquiſſe, ut defendant Territorium & quiete ſeſe ſaltem gerant. Hi percipientes dictum Judam Maccabeum & fratrem, quocunque ſe verterent, victoriis victorias addere, generoſa æmulatione incitati, ac pro aucupanda non minus glorioſa fama, ac pro lege & grege militaturi, irritabant hoſtiles Gorgiæ crabrones contra manifeſtum Gubernatoris Judæ mandatum; quibus autem triumphis redierint, loco citato videre poteris.

Ut autem bilem tibi commotam quodammodo præcipitem, ſpiritusque moerore depreſſos, & terrore turbatos, erigam ac reficiam, non poſſum non, quin ad valetudinem recuperandam & conſolandam unicum hic annectam. Hoc in ſpecie vos concernit, dilectiſſimi philiatri pro juvando ægrotante proximo, qui fortaſſe partim noxio & præpoſtero fervore ad tam ſeria properare animum applicuiſtis. Diſcite impoſterum cautius mercari, ne poenitere cogamini, & poſitis debite Artis medicæ fundamentis ſecurius per gradus ad altiſſima hæc adſcendite; cum chymia rationalis & Chriſtiana, ut ſic loquar, velit expectari; ſcrutamini potius magis demiſſa, ac prius aliis medicamentis laude dignis obtinendis per ſolitum *ora & labora* invigilate. Quale veſtro pro ſtimulo jam ſubjungo remedium, quod per unum & alterum decennium multorum fruitur applauſu, titulo *Tinctura Nephriticæ vel ſolaris* (*d*) decoratum ac venditum; & quidem non immerito, cum in morbis ſcorbuticis, & qui his affines, a tartaro ſanguinis, meſenterii & renum acido ortis præ aliis ſingularem & laudabilem opem contulerit, & adhuc conferat. Ego quidem non dico, quaſi illius ingredientia, modumque præparandi hic deſcriberem, cum me non lateat, Poſſeſſores eandem velle occultatam; ego vero proximo nulli nocere audeam. Hinc appono ſaltem pro ægrotorum commodo illius apprime ſimilem, quæ eſt talis:

Sumantur Tartari albi, nitri optime purificati, mineræ antimonii, ſilicum ſulphure aliquo ſolari volatili præditorum (quo quidem plures ſilices ſunt imbuti) partes æquales: pulveriſata & optime miſta humectentur aqua roris majalis, vel pluviali, non tamen nimis large, alias obtines quidem Tincturam copioſiorem, ſed ob virtutem magis

dilutam non adeo efficacem, veluti eandem parant avari nummiſugæ. Serventur ita in loco temperato per aliquot ſeptimanas, aut potius menſes; (quo diutius ita ſubſiſtunt, eo melior expectanda erit operatio, cum nitrum magis magisque reſolvat, penetret, ac uniat reliqua) Hinc deſtilla per retortam tabulatam, quam vocant. Lipſiæ in laboratorio celeberrimi D. Michaëlis, cujus nunc eſt Poſſeſſor, Dominus Zittemannus, huic operi commodiſſima conſpicitur fornax, dum huic loco capellæ adaptatum eſt vas ollæ fere ſimile, in lateribus 2. 3. 4. canalibus inſtructum, quibus apponuntur vaſa recipientia. Huic dicto modo ſucceſſive per cochlearia injice materiam mixtam, uti ſolet in retortam tabulatam, & ſubito prodibit Tinctura egregie rubens, cujus doſis 30. 40. 50. guttæ. Exhibetur ad præſervationem 2. 3. 4. vicibus in ſeptimana, præmiſſis tamen univerſalibus. In ſanando vero aliquo modo ſcorbutico-hypochondriaco-nephritico &c. bis vel ter ſingulis diebus. Præter laudabilem hancce efficaciam oculos tuos delectabit manifeſta & conſtans illa Tincturæ rubedo per canalem ſimul prodiens, qualem conſpectum in hoc vel illo medicamento fruſtra deſiderarunt ac quæſiverunt tot ac tot Chymici magnæ & probatæ in aliis experientiæ.

Te nondum dimitto, curioſe Lector, ſed unicum adhuc addo: Memoriæ tuæ procul dubio adhuc inhærent, quæ capite tertio pro demonſtranda Tincturæ Univerſalis poſſibilitate partim per rationes, partim per variorum experimenta propoſui. „Hic exemplum aliquod notatu digniſſimum, rariſſimi corollarii in vicem apponam: „Dum Anno 1656. mundo ultimum vale dicebat Dux quidam e „Germaniæ primatibus ſereniſſimus, alterius cujusdam magni Principis, conſanguinitate, & ingenuæ amicitiæ ac familiaritatis „fœdere illi juncti, (qui anno 1669. quoque mortuus eſt) linguæ „gravitate ac autoritate inſigni ſemper pollens in ſtupentes diverſorum Miniſtrorum præſentium aures ſequentia reponebat verba: *Certiſſime mihi conſtat, beatiſſimum huncce ſemper ſecum portaſſe particulam Lapidis Philoſophici, magnitudine ſua fabam æquantem, collo appenſam in ſerico rubro, ſecretiſſimi ac inæſtimabilis theſauri loco diu ſibi reſervatam, quam meis hisce egomet oculis vidi, manibus hisce meis tetigi. Cum autem rei hujus vix aliquis habebit notitiam, vereor, ne Amanuenſes, aliique, utpote myſterii hujus plane ignari, illud ſint abjecturi, cum quid videant, quid poſſideant, penitus ignorent.* E quibus verbis Tincturæ quidem ſtabilio poſſibilitatem, ſimul tamen denuo pateſcit, omniſciam DEI Providentiam ob cauſas nobis occultas, ſupremum hocce Arcanum neutiquam velle divulgatum.

Cum

Cum enim certiſſime mihi conſtaret, prolata hæc verba ex ore tam religioſo, tam reverenter a quibusvis merito habito & habendo, veritati eſſe maxime conſentanea, miratus poſtea ſum ſæpius, qui factum ſit, ut laudatiſſimus ille Dux theſaurum huncce incomparabilem tamdiu otioſum latitare ac feriari conceſſerit: nec illum adhibuerit pro ſolatio ægrotantium, pro ſolatio pauperum; præcipue cum in infauſto eo tempore bello Germanico inteſtino, plus vice ſimplici indiguerit ſimilium aureorum adminiculorum; acerrimum enim ſe ſe exhibebat patriæ preſſæ, & ſæpius tantum non oppreſſæ propugnatorem. Potuiſſet ſane dicta illa parva fabæ quantitas exaltari fermentatione in vaſtam molem auream, præprimis, ſi ſagax quidam adfuerit Pyrotechnus, qui Tincturæ multiplicationem decenter calluerit. Aſt quod ſæpius dixi, hic repeto: nimirum ſub rebus tam arduis latitare imperſcrutabile Τὸ Θεῖον.

Huc usque Beatus Avus Exiſtentiam & Præparationem Tincturæ Univerſalis viribus propriis demonſtravit, & Alchymiam ab abuſu liberare conatus eſt, tuæ nunc ſe offert Curioſitati, Honorande Lector, Promiſſum, in Schediasmate hoc, *Manuſcriptum*, *Medici Regii Gallici Celeberrimi*, *Petri Johannis Fabri*, poſt ſua fata adhuc viventis, hancque materiam docte ſatis pertractantis.

Hoc opuſculum alterius laudis, aut, veluti vinum vendibile hederæ neutiquam indiget, ſiquidem tam accurata perſpicuitate deſiderata proponit, ut, ſalvo tamen doctiorum judicio, pauca habeat paria, ſuperiora pauciora.

Si igitur, Curioſe Lector, rerum Phyſico-Chymicarum gnarus, ſi legitime ad opus hocce tam arduum vocatus, ſi dignus cœlitus judicatus, ut εὕρηκα illud proclamare tibi concederetur, ſi vero pio propoſito DEI honorem & proximi commodum propagandi, & animo præjudiciis libero, lectionem hujus manuſcripti cum cæteris annexis aggrediaris, eximium exinde percipies fructum, & lectio decies vel pluries repetita tibi certo placebit.

Cæterum te verbis Horatii compello:
Si quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti, ſi non, his utere mecum. Vale.

(*a*) E laboratorio Sereniſſimi cujusdam Principis Beatus Avus ſequentem Chalybis proceſſum ceu veriſſimum accepit, & in Manuſcriptis ſuis reliquit, his verbis.

Menſe Martio circa æquinoctium Vernale, ſole in arietem ingreſſo, effodiatur bona terra Nitroſa, humectetur aqua pluviæ vel nivis martialis, elixivietur ſic Nitrum & cryſtalliſetur. NB. Dum obtines terræ unde nitrum elicitur 4 centenarios, (pondus unius centenarii conſtat centum libris) tunc recipe hujus terræ quartam partem, ſolve dictum nitrum omne in aqua pluviali, terræ in patinis terreis latis & amplis ſuperfunde ſucceſſive nitrum ſolutum, exſiccetur in ſole: ſtetque ita, usque dum nitrum ſua albedine excreſcat. (Patinæ a pluvia ſunt muniendæ) poſt ita procede: præparetur ſpiritus rubicundus e nitro ita.

℞. Hanc terram nitri præparatam, divide in duas partes æquales, ex una parte aqua pluviali elixivietur nitrum, coque & evaporando puriſſime cryſtalliſetur. Terra vero e qua nitrum extractum ſumme calcinetur. Tunc ℞. nitri cryſtalliſati p. 1. Terræ calcinatæ p. 3. miſce optime, ut ſic ſemper nitri libra ſemis, terræ vero libræ quatuor & ſemis conjungantur, tunc deſtilla uti communem ſpiritum nitri, dephlegmetur valde; Tunc ℞. caput mortuum, calcinetur parum, elixivia ſal fixum, hoc ſal indatur ſpiritui nitri: circuletur ita per dies tres in cucurbita, deſtilla ſpiritum. Dum alembicus incipit rubeſcere, appone aliud recipiens, quod continet quantitatem poſtea deſcripti ſpiritus vini, bene lutetur, & in hunc deſtilla ſpiritus rubros, hunc ſerva in loco frigido clauſum:

Nunc ſequitur ſal volatile & fixum:

℞. Alteram partem ſervatæ terræ nitri, deſtilla per retortam, ſingulis vicibus ſumendo libras ſex, & ſic deſcendit cum ſpiritu craſſo vaporoſo ſal volatile, cujus pars adhærebit collo retortæ, deſtillatos hoſce ſpiritus, ſal volatile, & phlegma conjunge, ſepara prius phlegma in Mariæ balneo, poſt impone cineribus, auge ignem usque ſpiritus deſcenderint; poſt impone arenæ & ſublima igne forti, & adſcendet ſal volatile albiſſimum, hoc ſal purifica adhuc ſemel, ſerva in vitro lutato. Sequitur ſal fixum:

℞. Omnia capita mortua, e quibus ſal volatile deſtillatum, elixivia aqua pluviali, & extrahe ſal fixum, purifica aqua pluviali deſtillata ad puriſſimam cryſtalliſationem, ſerva pro conjunctione menſtrui.

Sequitur conjunctio trium principiorum e nitro.

℞. Superius dictum ſal volatile & fixum, his in vitro ſuperfunde ſpiritum nitri rubrum & ſeſe conjungent, poſtea adde etiam modicum ſalis ammoniaci Veneti, & menſtruum eſt paratum ſolvens radicaliter omnia metalla & gemmas.

Spiritus Vini ad ſpiritum nitri rubrum ſuper dictus ſic paratur.

℞. Octo libras Spiritus Vini e Vino forti, non vero e fecibus vini deſtillati, rectifica hunc ſpiritum ita, ut ſaltem octava pars remaneat, & ſic eſt paratus.

Sequitur compoſitio: ℞. Menſtrui dicto modo parati partes 10. ſuperfunde calcis ſolis, vel auri finiſſimi partibus duabus, ſtet per noctem frigide in ſolutione, filtra, inde phiolæ, ſigilla, ſtet per dies octo in putrefactione, tunc impone

pone alembicum, cohobetur in arena lente, deſtillatum reaffundendo, & ſi menſtruum minueretur, adde totidem recentis menſtrui, ut maneat ſemper in priore pondere, & materia tranſibit omnes philoſophorum colores in vitro, tandemque albeſcet. Tunc per 40. dies ponatur ſigillatum in balneum vaporis, tunc per dies 50. in cineres, auge ignem tamdiu, tunc iterum apparebunt varii colores, tunc impone arenæ, fixe usque dum acquirat craſſe rubrum, & in vitro confluxerit veluti globus, tunc frange vitrum, frange item materiam rubram fixam, & in medio invenies granum magnum rubrum pellucidum rotundum ceu rubinus; exteriores partes tolle, rubinus hic ruber eſt plusquam perfectum aurum philoſophorum. Tunc ℞. hoc rubrum granum, penderetur, indatur phiolæ parvæ, ſuperfunde iterum menſtrui dicti partes X. ita ut zwey Drittheil phiolæ ſint vacuæ, ſigilla in Balneo vaporis per 40. dies, poſtea in cineres & arenam uti ante factum per gradus ignis, primo lenem, deinde auctum usque dum fiat album, flavum, rubre pellucidum & fixum.

Hujus modicum injice laminæ argenteæ, dum adhuc fumat, adhuc per dies aliquot figatur, usque non amplius fumet, tunc eſt vere fixum tingitque argentum in verum aurum. Hoc eſt augmentandum, ut etiam in igne fortiſſimo ſit conſtans ita:

℞. Hujus grani aurei rubino rubri part. 1. Menſtrui ſuperioris part. 10. ſigilla, ſtet per 4. dies in Balneo vaporis, poſt 4. dies & noctes in cineribus calidis, tunc 4. dies in arena calida, ut ultimo igniatur, tunc eſt denuo fixum, & multiplicatum. Hoc ſæpius eſt repetendum, ut Tinctura ſæpius augmentetur & multiplicetur. Hujus Tincturæ part. 1. injice decem partibus auri, dum fluit, & omne evadet Tinctura & Medicina Univerſalis, cujus grana 4. 5. omnes morbos eradicant. Hæc eſt Medicina e centro terræ, & tribus principiis Nitri facta, & quidem in æquinoctio vernali, ubi omnia ſunt in vigore maximo, & Archeus terræ obtinet vires maximas, aurumque factum eſt iterum prima materia per ſuum Sal volatile & Sulphur fixum radicale, quod eſt ſemen Auri.

(*b*) Hanc Beatus Avus in *Methodo ſuo balſamandi corpora humana aliaque Majora ſine eviſcreatione & ſectione hucusque ſolita*, ita deſcribit:

℞. Foliorum Auri finiſſimi per Antimonium purgati (veluti in laminulas illas leviſſimas ab Auri cupellatoribus cogitur) unciam unam, vel q. v. adde fuliginis furni ſplendentis uncias duas: terantur in mortario e lapide ſerpentino per unum alterumve diem; quo diutius continuatur tritura, eo melius eſt, quia ſic incaleſcunt mixta, & ita Sal fuliginis potentius penetrat in Particulas Auri reſolvendas, inſimulque Sal aeris ab incaleſcentia attrahitur.

Poſtea ſuperfundatur Eſſentia e fuligine ſplendente (Spiegel Ruß) quam *Alexipharmacam* inſignimus. q. ſ. ad eminentiam duorum digitorum, in vitro optime clauſo, aliquoties agitando; ſtetque ita aliquot ſeptimanis, ut virtus ſa-

lina

lina ſe ſe magis magisque uniat auro reſoluto, illudque abſorbeat. Tunc addatur adhuc totidem pulveris fuliginis ſplendentis, q. ſ. ad deglutiendam humiditatem; indatur crucibulo optime munito, imponaturque fornaci figulinæ, ut per violentum huncce ac durum actualis calcinationis cuneum, durus ille, & fere Gordius Solis nodus aperiatur. Exemtæ maſſæ calcinatæ affundatur denuo Eſſentiæ Alexipharmacæ q. ſ. ad eminentiam 2. vel 3. digitorum, relinquatur ſic per tempus pro connubio eo firmiore ſtabiliendo, ultimo filtretur per chartam emporeticam.

Doſis hujus Tincturæ ſumma ſunt 12. 15. guttæ, aliquoties in die repetendæ, ut ſucceſſiva & lenta hac irroratione eo facilius deperditæ corporis & ſpirituum vires redeant. Pro ætatis diverſitate doſis minoranda.

Illuſtris Fridericus Hoffmannus in Diſſertatione de Sulphuribus Metallorum 1716. Halæ habita, ſequentia de dicta Auri Tinctura profert:

Nec plane ſilentio involvemus Clauderi aurum potabile, quod in Tractatu de Balſamatione corporum ex fuligine, & auro cum ſpiritu ſalis ammoniaci ingenue profert, quippe quod multum in receſſu habet, cum & annulum aureum ſpiritu fuliginis urinoſo, corroſum fuiſſe tradat D. Ludovici in Ephemerid. Naturæ Curioſor. A. III. Obſ. 248.

(*c*) Non infimæ ſortis menſtruum eſt, quod Joh. Agricola in Commentario ad Poppium commendat:

℞. Bonam partem urinæ pueri ſani, deſtilla per Alembicum usque ad dimidium, reſiduum abjice, deſtillatum infunde iterum in cucurbitam, & iterum deſtilla usque ad dimidium, & hoc fac tertia vice, tunc cum ſubtili ſpiritu pellucidum & albiſſimum ſal adſcendet in alembicum, ſolve cum ſpiritu omne ſal ſublimatum, pondera ſpiritum, & admiſce anaticam quantitatem optimi ſpiritus vini, putreſcant ſimul per 8. dies, deinde deſtilla. Et accipies menſtruum pro Tinctura Auri optimum, calci ſolis ſuperfuſum, non ſolum vero auri ſed omnium metallorum mineralium & gemmarum ſulphura extrahit.

(*d*) Solvatur Sal nitrum in aqua calida pluviali vel roris majalis, & huic ſolutioni miſceantur reliqua ingredientia optime pulveriſata, ut fiat maſſa pultacea, quæ per menſes aliquot in cella vel alio loco humido reponatur, ut ingredientia optime ſolvantur & uniantur. Deinde maſſa iſta exſiccetur nonnihil & manipulatim ingerantur retortæ tubulatæ.

Vel ſpecies illæ permiſtæ cum Sale ammoniaco in aqua ſoluto irrigentur & priori modo tractentur.

Si ſpiritus deſtillatus ſuper flores antimoniales & ſulphureos ſimul tranſcendentes & collo retortæ adhærentes digeritur, & deinde filtratur, eo efficacior redditur. Idem fit ſi ſuper caput mortuum calcinatum & ab igne candefactum effunditur & digeritur. Ex capite mortuo adhuc ſal diureticum egregium haberi poteſt, ſi aqua ſimplici eluitur, filtratur & ad conſiſtentiam redigitur.

FRIDE-

FRIDERICO D. G.
REGNI NORWEGIÆ HÆREDI,
ac
DUCI SLESWICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET OSTHMARSORUM &c.

PETRUS JOHANNES FABER,
LUDOVICI XIV. GALLIARUM REGIS CONSILIARIUS REGIUS ET MEDICUS ORDINARIUS,

S. P. dicit & precatur.

TAnta fuit, & jam eſt tam eximia benevolentia & amicitia Tui erga me, Sereniſſime Princeps, ut nec potuerim, nec debuerim eam ſilentio præterire, quin ipſam publico ſcripto patefacerem: ſcripto quidem non vili & inutili Tibi Tuisque, ſed ſumme neceſſario & pretioſo, tanquam pretium inæſtimabile continens; ut benevolentia & amicitia Sereniſſimi Principis erga me, ſi fieri poteſt, indies magis ac magis accreſceret & augeretur. Si quid enim eſt in rerum ſerie, quod benevolentiam & amicitiam augere poſſit, eſt donum inæſtimabile, & theſaurus inexhauſtus, fons divitiarum perennis & perpetuus. Nullas ad me ſcripſit Sereniſſimus Princeps epiſtolas, ut de tali fonte ac theſauro perenni certiorem & doctiorem facerem Principem. Non ergo egebat Sereniſſimus Princeps majori Doctrina, quam præſenti, cum genio, quo donatus eſt, quo occulta, ſi quæ ſint, reſerabit ac patefaciet. Legat ac relegat Sereniſſimus

 Prin-

Princeps Tractatum hunc, lectura enim, uſus reliquos, quotquot ſunt, antiquorum Chymicorum libros, claros & patentes faciet, & eorum obſcuritatem delebit: Lumen enim ſummum accendit in tenebris ac fugat ipſas: Obſcuriſſima ſiquidem Chymicorum ſcripta & axiomata clariſſime interpretatur & explicat in gratiam Sereniſſimi Principis. Accipe ergo, Sereniſſime Princeps, munus hoc cum benevolentia & amicitia, qua Te mecum devinxiſti & obſtrinxiſti; etenim ad optatum & deſiderium deveniet, modo patientia & otio ſummo utatur. Patientia ſiquidem & otio ſummo eget opus noſtrum: feſtinatio procul eliminanda, tanquam diabolica. Semen enim metallicum cum longo labore perenni & continuo percoquendum eſt, ut ad maturitatem deveniat, & deponat fæces ſuas inutiles ac ſuperfluas. Non enim niſi puriſſimo ſemine metallico egemus; reliquum tanquam inutile & ſuperfluum rejicimus, & de puriſſima metallica ſubſtantia mercuriali noſtra opus noſtrum peragimus, ut omnes teſtantur Chymiæ Autores, & ipſa natura fidem facit. Nam de puriſſima illa ſubſtantia, non vulgari, aurum & argentum operatur. Sic ars imitando naturam hanc ſolam ſubſtantiam puriſſimam accipit, & de ipſa ſola opus ſuum perficit, & complet, ut videtur clariſſime per totum in toto hoc ſequenti Tractatu. Vale Sereniſſime Princeps, & me ama indies magis ac magis, & ero Tuus, vere Tuus ero Servus. Datum in ædibus noſtris die 15. Maji 1653.

Faber.

CAPUT

CAPUT I.

An Lapis Philoſophorum ſit in rerum natura?

ANtequam demonſtremus, quid ſit Lapis Philoſophorum, perquirendum eſt, an ſit in rerum ſerie, & perſiſtat in rerum natura? Multi quidem ſunt naſutuli, & genium ſummum, ac acutum ſe putantes habere, qui exiſtimant non exiſtere, nec eſſe in rerum ſerie aliquid, quod metalla imperfecta omnia, in verum aurum transmutet, & reliqua omnia defectum patientia omnino perficiat. At ſi mentem haberent, ratione præditam, talia abſurda non excogitarent; Aurum ſiquidem & argentum ſunt in rerum natura, & præ manibus omnium feruntur, & omnium oculis objiciuntur: Cum ergo aurum & argentum ſit in rerum natura, neceſſe eſt aliquid eſſe, ex quo fit aurum & argentum. Non enim creantur de novo a ſummo rerum Creatore, ſed fiunt a natura ex materia certa & reali. Illa autem materia, ex qua fit Aurum & Argentum perſiſtens in natura, haberi poteſt, & in tantum perfici, ut cum auro conjuncta, reliqua imperfecta metalla, perficere queat ſua perfectione. Nam ſi ſola ſimplici coctione naturali in venis montium concluſa aurum efficiat; quid faciet, ſi coctione artificiali multoties iterata in vaſe puro vitreo, cum auro conjuncta perfecte iterum coquatur, & ſummam perfectionem acquirat, ut penetret, & poros metallorum imperfectorum adeat? Nonne imperfectionem illam penitus fugabit, & longiſſime propellet? Datur autem illa ſubſtantia, ex qua fit aurum & argentum, & ſic in tantum perfici poteſt arte chymica, ut ſubſtantiam metallorum imperfectam perficiat & abſolvat. Ergo cœcus eſt, & vere cœcus, nec animam habet rationalem, qui Lapidem Philoſophorum in rerum ſerie negat perſiſtere. Si argumento huic & rationi fidem adhibere nequit, legat Hermetem Triſmegiſtum, Gebrum Arabem, Raymundum Lullium Hiſpanum & multos alios fere infinitos Autores, qui omnes aliis argumentis & rationibus probant, Lapidem Philoſophorum eſſe, & ipſum ſe ipſos feciſſe, & pro manibus habuiſſe; Autoritati tantorum Philoſophorum eſt adhibenda fides; aut aſinorum numero adſcribendi, qui tanta abſurda ex mente ſua deponere nequeunt. Fortaſſe vellent penitus doceri, ut haberent hanc artem, qua aurum & argentum facerent ad libitum; ſpectent hoc quæſo: Cœlum potius aurum pluet & margaritas, antequam id fiat: Dii ſudoribus & laboribus omnia vendunt, & potiſ-

potiſſimum, hanc artem, in qua acquirenda ſummopere laborandum & deſudandum eſt. Ergo exiſtimandum eſt, & firmiter credendum, Lapidem Philoſophorum eſſe ac perſiſtere in rerum natura, cum materia & ſubſtantia, ex qua fit aurum & argentum exiſtat, quæ omnino perfici poteſt, ut perfectione ſua arte acquiſita perficiat omnia defectum patientia: Sic concludere poſſumus, Lapidem Philoſophicum eſſe & perſiſtere in rerum natura.

CAPUT II.

Lapis Philoſophorum quid ſit in rerum natura?

Ex Capitulo præcedenti colligere poſſumus, quid ſit Lapis Philoſophorum, cum aſſeruimus ipſum eſſe materiam ſeu ſemen, ex qua fit Aurum, Argentum & reliqua metalla. Sed hoc nimis obſcurum eſt iis, qui artem Chymicam ſummis tantum labris deguſtarunt. Videndum jam eſt, quid ſit hæc materia & hoc ſemen metallicum. Non enim videtur illud ſemen in metallis, & proinde multi negant ipſum, qui non vident. Oculatum enim habent cerebrum; credunt tantum, quod vident. At Hermes Triſmegiſtus aſſerit, metalla habere ſemen, ex quo creſcant, dum aſſerit, in ſua Tabula Smaragdina, ſuperiora eſſe ejusdem naturæ ac inferiora. Animalia ſiquidem & vegetabilia, quæ ſunt in ſuperficie terræ, & vere ſuperiora ſunt, habent ſemen, ex quo creſcant. Ergo & inferiora, quæ ſunt mineralia & metalla, quæ in inferioribus terræ creſcunt habent etiam ſemen, ut & ſuperiora, animalia puta & vegetabilia. Non ergo negandum eſt, metalla ac mineralia habere ſemen, ex quo fiant ac creſcant; Sed quale ſit iſtud ſemen, & qua ratione fiat in rerum natura, jam perquirendum. Semen enim animale & vegetabile fit ex Elementis & Cœlo: ſic etiam ſemen minerale & metallicum fit ex elementis & cœlo, ſequenti via: Cœlum ſuis radiis & influxibus, quod illis ineſt puriſſimum projicit in elementa & potiſſimum in centrum terræ, hinc digeritur & percoquitur calore naturali centrali ipſius terræ, tum a ſe ipſo, donec puriſſimum illud cœli & elementorum omnium fiat corpus, & hoc corpus fiat ſpiritus; ita ut hæc ſubſtantia tranſeat primo in corpus ex ſpiritu, & hoc corpus iterum in ſpiritum, qui unione & conjunctione frequenti cum ſuo corpore tandem fit ſpiritualis ſubſtantia, habens corporale quod fixum, quod dicitur a Philoſophis ſulphur naturæ, quod

tan-

tandem in venis montium concluſum centro ſuo fixo, figitur in metallum: Quod ſi purum ſit, tranſit in aurum purum; ſi impurum, abit in imperfectum metallum, & ſecundum variam & diſtinctam ſuam impuritatem, varia & diſtincta impura metalla ſunt. Et hoc eſt ſemen vere metallicum ex influxu cœleſti, & puriſſimis elementorum ſubſtantiis, conflatum, quod dum ſublimatur, & circulatur per poros terræ, varia inquinatione perfunditur; cum impuritatem reperiat in poris terræ impuris & inquinatis, ex qua impuritate, ut dixi, varia naſcuntur metalla imperfecta, utpote plumbum, ſtannum, argentum vivum, ferrum & cuprum. Si vero purum iſtud ſemen in rupibus puris concludatur, coquitur a ſuo ipſo naturali calore, & naturali calore ipſius terræ, in aurum & argentum. Hoc ergo ſemen metallicum eſt centrum in matricibus metallorum, ceu locis, ubi generantur metalla, id eſt vere Lapis Philoſophorum, quia ex ipſo puro & puriſſimo facto coctione artificiali fit lapis, ex quo perficiuntur omnia defectum patientia, unde metalla imperfecta perficiuntur in aurum vel Argentum, cum talem defectum patiantur in arte chemica, non mutatur hic lapis & ſubſtantia iisdem omnino eſt, qualis eſt in natura; ſed neſciunt eo uti homines: abutuntur eo, ubi nihil omnino prodeſt, ſed potius malum quam bonum operatur.

CAPUT III.

Quale habeat corpus Lapis Philoſophorum, & qua veſte induatur.

HOc Caput totam artem complectitur, & detegit ſapientibus, qui Leonem chymicum cognoſcunt. Noto enim corpore Leonis noſtri, ſeu Lapidis Philoſophorum, reliquum, quod ſupereſt, nihil aliud eſt, quam opus mulierum & ludus puerorum: coquere tantum debemus tunc temporis, & patientiam & otium habere, ut perficiamus opus tam deſideratum. Si Lapis ſit quinta Eſſentia Cœli & Elementorum omnium, corpus aliud habere nequit, nec alia indui veſte, quam ſalis corpore & veſte. Dum enim coquitur hic ſpiritus in centro terræ coctione illa, non poteſt indui alia veſte, quam ſalis. In Sale enim iſto videmus omnia elementa; videmus ignem, propter calorem & inſignem flagrantiam; videmus aërem, propter raritatem & candorem; videmus aquam, propter diaphanitatem & humiditatem; videmus terram, propter

corporeitatem & maſſam compactam; videmus cœlum, propter inſignes Solis, Lunæ & Stellarum omnium virtutes & proprietates, ita, ut cauſæ omnes, quæ ipſum fecerunt ſalem, in ipſo coerceantur & conſpiciantur. Quid ergo deſiderabimus amplius in tanto & unico ſubjecto, quod dicitur Lapis Philoſophorum, & tamen non eſt lapis, nec naturam Lapidis habet? Dicitur tamen lapis, quia funditur & liqueſcit in aqua, quod non faciunt lapides. Nec enim liqueſcunt in aqua, & diſſolvuntur, imo magis magisque indurantur & creſcunt. Aqua enim omnium lapidum mater & origo, ſpiritu venereo lapidis noſtri in aquis perſiſtente, qui materiam lapideam indurat, & coquit in mediis ipſis aquis. Lapis ergo noſter, ſeu ſemen metallicum noſtrum, & quinta Eſſentia cœli & elementorum alio non poteſt indui corpore & veſte, quam Salis. Calor enim ingens in tali materia reperitur, corpusque Salis efficit, & id natura ipſa poſtulante. Quia, cum natura ipſa ex ipſo corpore & ſpiritu omnia formare & procreare debeat, non poteſt ex alio corpore, quam Salis id efficere, quia Sal ad omnia generanda & procreanda proclivis & aptus eſt. Alia ſiquidem corpora id efficere nequeunt, absque reductione in materiam illam, quæ prima omnium eſt. Illa autem prima materia non poteſt reduci in aliam ſubſtantiam, aut daretur Progreſſus in infinitum: ſed poſtquam omnia reducta ſunt in illam primam materiam, tunc fiunt variæ generationes & infinitæ, ex illa materia ſecundum diſpoſitionem illam materiæ ab agentibus variis, quæ illam materiam varie diſponunt, & ex illa producunt omnia mixta producibilia. Concludendum ergo eſt, Lapidem Philoſophorum non alio corpore ac veſte indui poſſe, quam Salis, qui in omnibus locis, ubi nihil generari poteſt, reperitur & ſedem habet. Ubi enim generatur aliquid in eo generando impenditur illa materia.

CAPUT IV.

Quibus nominibus inſigniatur Lapis Philoſophorum?

NOn poſſunt recenſeri omnia nomina, quibus inſignitur Lapis Philoſophorum, aut maximum exinde exſurgeret volumen. Nominibus ſiquidem rerum omnium, quæ in rerum natura exiſtunt, inſignitur & nominatur. Sed præcipua & quæ arti noſtræ proſunt declarabo, & rationes, quibus moti ſunt Philoſophi Chymici, ut his nominibus inſignirent lapidem hunc patefaciam & explicabo. Dicitur ergo inprimis:

1.) *Mate-*

1.) *Materia rerum prima*, quia vere materia hæc rerum omnium prima eſt, & res omnes ex ea fiunt, & ex ea oriuntur, & in illam reducuntur per putrefactionem naturalem.

2.) Dicitur etiam *Microcoſmus*, quia in ipſa continentur omnia elementa, & cœlum, & proprietates omnes cœli & elementorum omnium, in ipſa coërcentur. Cœlum enim, Sol, & Luna, & Stellæ omnes in eo comprehenduntur, unde dicunt Philoſophi: *In noſtro ſubjecto unico & vere ſunt Sol & Luna & Stellæ omnes conjunctæ, & perinde in ipſo ſubjecto ſunt tot & tanta virtutes, ut ſatis admirari nequeamus.*

3.) Dicitur etiam *Lapis Aquilæ*, quia in ipſo continetur alius lapis in ventre ſuo occultus. Lapis ſiquidem Philoſophorum verus & abſolutus ex ipſo conficitur & perinde in ventre ejus occultatur.

4.) Dicitur & *Aqua Vitæ:* reſuſcitat enim Regem noſtrum mortuum, hoc eſt, aurum, quod vere mortuum fuſione vulgari, dum ex fodina ſua excoquitur. Spiritus enim ille aureus fuſione evaneſcit, & proinde concidit vita ipſius. Vita adempta & evaporata mortuum dicitur aurum; cum vero redit, & ipſo conficiatur, dicitur vitam recuperare & a mortuis reſuſcitari. Dicitur Aqua Vitæ, cum omnes homines ab omnibus morbis vindicet, & vitam illis proroget.

5.) Dicitur *Venenum*, quia metalla enecat, & res omnes, & ad putrefactionem conducit, ut inde regenerentur, & ad meliorem ſtatum perducantur.

6.) Dicitur & *Spiritus*, cum ſit volatilis, & in cœlum evolet, & clarificet metalla omnia, iisque vitam largiatur, tanquam verus vitalis ſpiritus.

7.) Dicitur, *Medicina ſumma & unica*, cum curet omnes, tum hominum, tum metallorum infirmitates.

8.) Dicitur *Cœlum*, cum hæc materia ſit incorruptibilis, ut cœlum, & quaſi cœlum operetur inviſibiliter & ſpiritualiter in res omnes naturales.

9.) Dicitur *Nubes*; dat enim aquam cœleſtem, pluviam & rorem, quibus irroratur aqua ſua propria, ut fructum ferat, id eſt, Mercurium ſuum.

10.) Dicitur *Ros*, decidit enim ex aëre, aquamque cum ſuis germinibus refocillat, & impræguat, ut inde lac Virginis prodeat & ſcaturiat,

11.) Dici-

11.) Dicitur *Umbra*, obſcurat enim aquam & elementa, & cauſatur ecclipſes Solares & Lunares.

12.) Dicitur *Luna*, cum ſit ejus proprietatis & naturæ, frigida & humida, & ſimili modo in inferiora operetur, & ſortiatur lumen a Sole ſuo.

13.) Dicitur & *Stella ſignata & Lucifer*, cum in opere præluceat mane & veſpere, quod viſu admodum mirum eſt.

14.) Dicitur, *Aqua permanens*, *aqua vitæ metallica*, *aqua foliata incorruptibilis*; perſiſtit enim in igne, aëre & terra, & a nullo elemento corrumpitur.

15.) Dicitur etiam *aqua ardens*, & *ignea*; Liquefacit enim omnia metalla, plus quam omnes carbones & flammæ, quod & ignis ipſe præſtare nequit.

16.) Dicitur etiam *Sal Nitri & Petra*, habet enim ejus proprietates, & qualitates, & extrahitur eodem & ſimili modo.

17.) Dicitur *Lixivium*, quia lavat & abſtergit, ſordes metallicas, & proprias ſuas, ita ut puriſſima deveniat.

18.) Dicitur & *Sponſa*, *Mater*, *Conjux*, *Eva*, & vere talis: Ex ea enim naſcuntur Regi noſtro filii regii.

19.) Dicitur *Virgo pura & immaculata*: Manet enim pura & caſta, etſi pariat filios, eosque & maritum proprium ſtrangulat & enecat, eosque iterum reſuſcitat, in vitam incorruptibilem & immortalem.

20.) Dicitur *Lac Virginis*, cum ejus liquor ad modum lactis egrediatur e terra ſua, & in vas recipiens coaguletur in butyrum, quod calido diffluit & frigido coagulatur.

21.) Dicitur *Sanguis*, quod rubeſcat, ut ſanguis, & rubedinem efficiat, contineatque ſpiritum vitæ, uti ſanguis.

22.) Dicitur *Balneum*, quod lavet & purificet regem noſtrum, & metalla omnia ſudare faciat.

23.) Dicitur *Syrupus Granatorum*, propter gratam acedinem omnia exhilarantem.

24.) Dicitur *acetum fortiſſimum*, quod rodat metalla, & ea ſolvat.

25.) Dicitur *Plumbum*, quod ſit materia gravis & ponderoſa, & quod nigreſcat ut plumbum.

26.) Dicitur *Venus Natura*, quod ardeat & conficiat omnia, & maturet, & coquat.

27.) Dicitur *Sputum Lunæ*, quod a Luna Cœleſti in aquas projiciat, veluti ſputum.

28.) Dici-

28.) Dicitur *Serpens & Draco.* Cum devoret & abſumat metalla cuncta, & venena in ſe contineat.

29.) Dicitur *Urina puerorum, & vituli albi Urina,* ob ſuam acrimoniam & fœtorem magnum.

30.) Dicitur *Magneſia*, quod attrahat & alliciat metalla, & præcipue Solem & Lunam propter eorum perfectionem.

31.) Dicitur *Fimus*, quod ſtercoret aquam ſuam, & fœcundam faciat & fertilet.

32.) Dicitur *Ens Metallicum*, & vere eſt, cum corpora metallica ex eo fiant, & originem habeant.

33.) Dicitur *Materia omnium formarum*, dat enim ipſas, perficit & conſervat.

34.) Dicitur *Iris* propter colores varios, qui in ipſa apparent, tanquam in Iride.

35.) Dicitur *Chaos*, quod omnia elementa & virtutes cœleſtes in ipſa confuſa ſint & indiſtincta.

Dicitur aliis infinitis nominibus & nuncupatur, quæ explicatu non ſunt neceſſaria; quia hæc ſuperiora ſufficiunt, ut reliqua cuncta explicari poſſint ad Autores Chymicos intelligendos. Intelligunt enim omnes hanc ſolam & unicam materiam univerſalem & catholicam, quibuscunque nominibus ceu veſtibus eam veſtiant & induant.

CAPUT V.

An Lapis Philoſophorum cum terra ſua & ſpiritu ſufficiat in ſe ipſo ad ultimam perfectionem obtinendam?

CLamant omnes Philoſophi Chymici, qui perfecerunt Lapidem Philoſophorum, ſubjectum unicum eſſe in rerum natura, quod in ſe ipſo habet, quicquid illi neceſſarium eſt ad perfectionem ſuam ultimam & abſolutam obtinendam. Nihil enim intrat in compoſitionem ipſius alienum & extraneum. Abundanter enim habet, quod habere debet ad ſuam perfectionem: ſuperflua tantum demenda ſunt, quæ ſunt fæces ſuæ, quæ non ſunt ejus naturæ, & dum fæces hæ ſeparatæ ſunt, coctio tantum illi neceſſaria eſt perennis, & continua, ut ultimam perfectionem acquirat.

Nec Sol aut Luna vulgaris illi addenda ſunt, ad perfectionem, quia Lapis ipſe habet in ſe Solem & Lunam, quæ ſunt illi conjuncta in centro ſuo. Unde ajunt Philoſophi: Lapis noſter perfici nequit, niſi Sol & Luna ſimul conjungantur in uno ſubjecto; quod in hoc ſolo reperitur. Naturaliter enim in eo conjuncta ſunt, Sol, Luna, Mercurius, imo in ipſo ſunt inſeparabilia; unde illi ſubjecto inſunt omnia neceſſaria ad perfectionem. Unde aſſerunt & clamant Chymici: Eſt in Mercurio, quicquid quærunt ſapientes. Quia in ſubjecto noſtro, qui verus eſt Mercurius, ſunt omnia neceſſaria ad perfectionem; Eſt etiam in eo ſal, ſulphur & Mercurius, corpus, anima & ſpiritus, unde trinus & unus eſt, quia illa trina conſtituunt unum ſubjectum homogeneum. Quod enim in eo eſt frigidum & ſiccum, dicitur ſal vel corpus; quod vero in eo eſt calidum & igneum dicitur ſulphur ſeu anima; quod vero in eo eſt frigidum & humidum, dicitur Mercurius. Sed coctione continua & perenni illa tria convertantur in unum hac ratione. Frigidum & humidum convertitur in calidum & humidum, & tandem in calidum & ſiccum; & ſic convertuntur elementa, quæ in materia noſtra reperiuntur, confuſa & diſtincta, & fiunt unum elementum igneum & ſiccum. Et ſic ſal, quia in materia eſt noſtra, convertitur in Mercurium, & Mercurius convertitur in ſulphur fixum & permanens, quod omnia perficit, & verum eſt vitæ balſamum: unde vitam reſtaurat ac renovat in omnibus naturæ mixtis, non ſolum in metallis, ſed etiam in animalibus & vegetabilibus cunctis: Sic Lapis noſter habet in ſe omnia illi neceſſaria ad perfectionem abſolutam obtinendam. Nec aliud quærendum eſt, & illi addendum, ſive ſit metallum perfectum, ſive imperfectum; uti clarius videbitur capitulo ſequenti.

CAPUT VI.

An aurum & argentum, vel quodvis aliud metallum requiratur ad perfectionem Lapidis noſtri perficiendam?

VEriſſimum eſt ac certiſſimum, metalla quæ materiæ noſtræ intima ſunt, ac illi materialiter juncta ac implantata ſunt, ſufficere ad perfectionem ſuam, ut capitulo præcedenti declaratum eſt. Nihilominus tamen, cum ſole metalla, etſi perfecta admodum ſint, cum ſint volatilia, & tarde coctione noſtra figantur,

tur, Philoſophi conſulunt, aurum vulgare vel argentum illi addendum eſſe, ut citius figantur hæc metalla lapidis noſtri volatilia, & ita citius perficiantur. Perfectionem enim ultimam obtinere non poſſunt, quin perfecte figantur, & rigorem ignis pati poſſint. Nec aurum, nec argentum vulgare extranea ſunt lapidi noſtro, cum ſint ejusdem naturæ cum his ipſis, quæ lapidi noſtro inſunt intima; quæ quidem, cum ſint perfecte cocta, & matura, & fixa, fixatione perfecta figunt, coquunt & maturant ea, quæ non ſunt omnino cocta, neque fixa, & omnino matura; & ideo illa addimus, ut citius matureſcant & figantur, & ſic citius terminentur in bonum. Nam Mercurius fixus & a natura perfecte coctus & maturus, additus Mercurio non fixo, crudo & immaturo, citius perficitur & terminatur in bonum perfectum: & ſic alia principia, quæ in auro & argento perfecte cocta & matura, ſua perfectione ultimata reliqua principia ejusdem naturæ, quæ incocta ſunt lapidi noſtro & immatura, perficiuntur & terminantur, ultima perfectione eorum additione. Ita ergo concludimus & aſſerimus, noſtro lapidi nihil eſſe addendum, ut ſuam ultimam & abſolutam perfectionem acquirat; niſi ut citius terminetur, & perveniat ad ipſam perfectionem, aurum vulgare addendum eſſe, vel argentum: quia ſua perfectione & maturitate citius perficiunt aurum & argentum, quæ ſunt lapidi noſtro in intimis ſuis thalamis & receſſibus.

CAPUT VII.

Quare Lapis noſter ſit trinus & unus?

SUmmus rerum omnium Creator voluit imaginem ſui ipſius mundo huic creato relinquere, & ſuæ Trinitatis & Unitatis Symbolum aliquod impingere alicui creaturæ. Artifex enim quilibet ſuis operibus imaginem ſui relinquit. Sic ſummus Artifex mundum tunc creando voluit creaturis imaginem ſui relinquere, ut unusquisque Philoſophorum naturam rimando, & perſcrutando Deum ipſum ubique videret & cognoſceret. Lapis noſter ubique reperitur in omnibus naturæ mixtis, & ubique trinus eſt & unus. Trinus, cum in eo ſit ſal, Mercurius & Sulphur, & hæc tria unum conſtituunt ſubjectum homogeneum & ſimilare. Et perinde unus eſt lapis, & ſic in eo reperitur Trinitas & Unitas ac in DEO. Ut enim Pater in Divinis producit ab æterno Filium, & a Patre & Filio procedit

 Spiri-

Spiritus; ſic & in noſtro lapide ſimilitudine quadam & Symbolo Sulphuris, quod ſe habet ut pater, hinc procedit ſal, qui ſe habet ut filius, & ab his duobus procedit Mercurius verus, tanquam Spiritus Sanctus, qui omnia agit, fovet & ſervat. Unde *Sendivogius novi Luminis Autor* ſic ait: Unus dedit duos, & duo unum dederunt Spiritum Sanctum, & ſic creatus eſt mundus, & ſic erit ejus finis. Omnia enim in unum tranſibunt, ut ex uno creata ſunt, & ſic erit finis rerum omnium. Quia omnia naturæ mixta in principia reſolventur, & hæc principia, quæ ſunt tria, tranſibunt in unum principium, & ſic erit finis hujus mundi. Sic ergo concludimus, Lapidem Philoſophorum eſſe trinum & unum, & Symbolum habere Divinitatis, quod eſt trinum & unum.

CAPUT VIII.

Qualis ſit Philoſophorum Mercurius, qui in ſe omnia neceſſaria habeat ad Lapidem Philoſophorum conſequendum?

HIc Mercurius non eſt vulgaris & communis, qui vulgariter venditur apud Mercatores, & currit ut aqua, nec madefacit manus, cum propter ſiccitatem ſuam non adhæreat tangenti; quæ ſiccitas cohibet humiditatem, & impedit, ne humectet. Noſter Mercurius & omnium Philoſophorum eſt alius, & diſtinctus ac diverſus ab ipſo. Non madefacit manus, cum ſit ſal, & ex ſalina ſcatebra ducat originem, ex ſubtili aqua, ſubtilique terra conflatus. Differunt tamen hic Mercurius & vulgi qualitate, cum noſter calidus ſit & humidus; alter vulgaris frigidus ſit & humidus, & ſic non humectet. Et Mercurius vulgaris quanto magis coquitur, tanto magis manet fluidus & aquoſus. Noſter vero quanto magis coquitur, tanto magis inſpiſſatur. Vulgaris, quanto magis coquitur, tanto magis terrificatur, & in terram non fuſibilem & impuram convertitur; noſter vero quanto magis coquitur, tanto magis inſpiſſatur, in ſalem tamen fuſibilem, & igne permanentem convertitur. Hinc facile colligitur, Mercurium Philoſophorum non eſſe ullo modo vulgarem, nec ullo modo educi poſſe ex eo, ſed tantum eſſe humidum radicale metallicum, quod in Lapide Philoſophorum reperitur. Unde Sendivogius aſſerit: Mecurium Philoſophorum nihil aliud eſſe, quam humidum aëris caliditate mixtum; quod idem eſt ac humidum radicale metallicum, caliditate mixtum: Oportet enim neceſſario illud humidum eſſe calidum, propter ſulphur innatum, quod in ſe habet, beneficio cujus coagulatur & figitur in metal-

metallum perfectum, ſi purum & a fæcibus terreis vindicatum ſit. Hinc colligere poſſumus, Mercurium Philoſophorum nullo pacto eſſe Mercurium vulgarem, & ipſum habere omnia neceſſaria ad Lapidem Philoſophorum conficiendum, cum in ſe habeat ſulphur, & ignem naturæ ſummopere depuratæ, quæ ſufficiunt ad perficiendum opus Philoſophorum ex omnium Autorum teſtimonio. Sic concludemus, Mercurium Philoſophorum eſſe humidum radicale metallicum, ſeu humidum aëris caliditate mixtum, habens in ſe in centro ſuo omnia illi neceſſaria ad perficiendum opus noſtrum, ut teſtantur omnes Autores, quorum autoritati fides eſt adhibenda, cum ipſi viderint, & palparint ea omnia, quæ ipſi aſſerunt. Quo circa nullo pacto ipſa falſa putanda & exiſtimanda ſunt.

CAPUT IX.

Quale ſit ſulphur Philoſophorum, quod opus noſtrum cum Mercurio perficiat?

MErcurius Philoſophorum explicari non poteſt, quin & ſulphur eorum explicetur. Sunt enim unum & idem in eodem ſubjecto, nec poſſunt ſeparari; Quod enim calidum eſt & igneum in Mercurio, eſt ſulphur; quod vero humidum, eſt Mercurius. Mercurius ſiquidem ſemper caliditatem illam naturalem & innatam ſecum habet, & caliditas illa nunquam in Mercurio etiam ſeparatur ab humido iſto, unde dicitur ab omnibus Philoſophis, Mercurium habere in ſe ſulphur innatum bonum, quo humidum ſuum coagulatur in aurum. Eſt ergo ſulphur Philoſophorum calidum illud radicale, quod ineſt Mercurio, rebusque omnibus, cujus ope & beneficio res omnes ad maturitatem conducuntur, & ad perfectionem ultimam & abſolutam. Unde Mercurius Philoſophorum ſolo & unico ſuo ſulphure maturitatem acquirit, & perfectionem, unde in aurum perfectum abſolvitur. Unde ſi aurum liquidum eſſet & penetrabile, verum eſſet Elixir ad vitam & ad abſolutam perfectionem rerum omnium & metallorum. Sed non poteſt naturaliter coctione in liquidam & penetrantem ſubſtantiam transformari, quia natura vaſis in naturalibus, ubi Mercurius in aurum excoquitur, non poteſt iterum atque iterum, Mercurium purum & liquidum illi addere: quia liquiditas & penetratio dependet ex ſolo Mercurio, qui cum ſit liquidus, & ſummopere penetrans, liquidam facit

ſubſtantiam, qua ſuperabundat. Unde ars chymica in Lapide Philoſophorum conficiendo addit ter aut quater, aut pluries coagulato lapidi, Mercurium ſuum, ut copia Mercurii liquiditatem & penetrationem efficiat in lapide: adeo ut lapis noſter aliquando liqueſcat in oleum fixum liquabile, & nunquam coagulabile in ſubſtantiam firmam & duram. Supereſt ergo, ſulphur philoſophorum eſſe calidum innatum Mercurii ab eo nunquam ſeparabile, quo ſolo Mercurius maturitatem ac perfectionem acquirit, & in aurum transmutatur.

CAPUT X.

Quale ſit Sal Philoſophorum cujus ope Mercurius & ſulphur perficiantur in Lapidem Philoſophorum.

CHymici antiqui omnes de Sale Philoſophorum, cujus ope & auxilio Mercurius & Sulphur Philoſophorum perficiuntur in Elixir, nullam mentionem fecerunt. Ratio autem, qua ad tale ſilentium ſunt moti, fortaſſe eſt, quia ipſi noluerunt clavem artis patefacere. Sal enim noſtrum eſt vera clavis artis, & absque illo nec ſulphur, nec Mercurius in lucem patefieri poſſunt. Sal enim ipſa occultat, & obſcurat & captiva tenet, tanquam in carcere, ne egrediantur. Unde Sendivogius Tractatu ſuo de ſulphure aſſerit, ſal & ſulphur in fonte vel circa fontem clariſſimum & limpidiſſimum altercari inter ſe ipſa, & præliari inter ſe adeo, ut ſulphur a ſale in fonte vulneretur, e cujus vulneribus non exivit ſanguis ut deberet, ſed lac purum, quod in recipiente coagulatur in butyrum, totius operis noſtri fundamentum, ut in eo Tractatu de ſulphure, Sendivogius clariſſime demonſtrat, aſſerendo, lac illud, ſeu butyrum in magnum accreviſſe fluvium, in quo Diana ipſa ſubmerſa eſt, & ſol volendo Dianam ipſam ſalvare a naufragio, traxit Diana ſolem & ambo ſubmerſi ſunt in tali fluvio, ibique manſerunt, donec a mortuis ſurrexerunt. Quod omne lapidem inde confectum indicat lynceos oculos habentibus. Sal ergo Philoſophorum, quod in hoc capitulo perquiritur, eſt clavis artis abſoluta, & eſt ſal illud, quod cœlum omne, Solem & Lunam ac ſtellas omnes & elementa continet, & ſecum concludit, & una cum Mercurio & ſulphure coërcetur in uno & eodem corpore. Quod enim in Mercurio & ſulphure, ſeu in humido & calido radicali metallico corpus efficit, ſal eſt: illa enim duo corporificantur a ſale ipſo. Unde ſine ſale nil in arte noſtra efficere poſ-

poſſumus, nec Mercurium noſtrum & ſulphur videre & palpare valemus. Et qui ſine ſale illo operatur in arte noſtra, is cum arcu ſine chorda ſagittat. Qui ergo ſcit ſalis illius effectionem, ut inde Mercurius & ſulphur noſtrum egrediantur, & appareant, ſcit fundamentum artis. Studendum ergo eſt, & libros antiquorum omnes perlegendos habemus, ut ſal iſtud primo cognoſcamus, & ejus effectionem: ſine enim effectione ipſius ſalis non poſſumus habere nec Mercurium, nec ſulphur ad opus noſtrum perficiendum, at cum effectione ipſa volatilia facimus, quæ in illo fixa ſunt. Abſque autem illa volatilitate ſulphur & Mercurium in ſale concluſa & captiva tanquam in carcere, habere non poſſumus: & niſi ipſa volatilia habeamus, ipſa depurare non valemus, nec perinde Elixir noſtrum perfici poſſet. Cum ex puriſſimis metallicis principiis ſolum perficiatur, quæ ſolummodo & effectione & ſublimatione haberi poſſunt, ut ſequenti capitulo clariſſimum fiet.

CAPUT XI.

De ſolutione ſalis noſtri, ut per ſublimationem & deſtillationem Mercurium & ſulphur noſtrum habere valeamus.

SAl noſtrum difficile ſolvitur, & ſi quid eſt in tota arte difficile & laborioſum, hoc eſt ſolutio Salis noſtri. Cum magna enim difficultate, & longo labore putreſcit, & ſine putrefactione confici non poteſt. Putrefacere ergo prius ipſum debemus, antequam ipſum ſolvamus. Antequam ergo putreſcere ipſum faciamus, ipſum ſummopere purificare debemus. Purificatur autem ipſum ſolvendo in aquis ſtillatitiis pluviæ vel roris ſepties rectificatis, & ipſum congelare debemus, & deſiccare ipſum ſolutum deſtillando, & demum efficere, & deſiccare, donec ad ſummam & ultimam aurificationem deveniat. Tunc temporis dum puriſſimum eſt, & ab omnibus heterogeneis rebus vindicatum, ipſum ſolvere debemus in maxima quantitate ſpiritus ſui ipſius, qui etiam ſepties debet deſtillari, ut vindicetur pariter ab omnibus heterogeneis ſuis; ipſumque ſolutum ſuo ipſomet ſpiritu putrefacere debemus in balneo aquæ tepentis per quadraginta dies, aut per duos aut tres menſes, donec putreſcat & nigreſcat in balneo ipſo. Tunc deſtillanda eſt materia per retortam in cineribus, & ſuper id, quod in fundo remanet, cohobandus eſt ſpiritus, donec egrediatur ut lac, ut coaguletur in recipiente in frigido coagulabile, & calido ſolubile, & liquabile velut butyrum, quod ſepties eſt deſtillandum in novis & recenti-

centibus retortis. Et habes ſic verum & perfectum Mercurium Philoſophorum, qui per ſe coctione perenni, & perpetua figi poteſt in ſal fixum & permanens, quod eſt verum Elixir. Quod quidem ſi ad metalla transformanda eo uti velis, projiciendum eſt ſuper aurum in tigillo liquatum, & ſic ſal iſtud aurum ingreditur, & in ſal frangibile permutatur; ſolubile tamen & liquabile leviſſimo calore, quod quidem dum eſt auro impraegnatum, projectum ſuper imperfecta, ipſa transmutat in aurum. Quod quidem qualiter & quo tempore faciendum ſequenti capitulo clarum fiet & manifeſtum.

CAPUT XII.

Quo tempore coctionis Mercurii noſtri metalla perfecta illi ſint addenda?

SUnt Chymicorum quam plurimi, qui in principio coctionis noſtri Mercurii aurum & argentum addere ſolent, ut citius terminetur Mercurius in ſulphur fixum album & rubrum. Quod ego non improbo, ſed mentis meae omnibus laxatis habenis in eorum ſententiam & opinionem abeo. Metalla enim perfecta, aurum vel argentum, Mercurio noſtro addita & conjuncta, citius ipſum Mercurium percoquunt, & terminant, in fixum ſulphur, album vel rubrum, quod eſt perfectionis finis ultimus & ſcopus Chymicorum abſolutus. Quod ſi metalla perfecta non addantur vel conjungantur Mercurio noſtro, nec in principio, nec in medio, nec in fine, Mercurius noſter coctione perenni & continua non deſiſtit ſe terminare in ſulphur album primo, & ultimo rubeum, quod eſt ſanitatis noſtrae & prorogandae vitae humanae ſummum medicamentum. Fugat enim per ſe omnes defectus, & curat omnes infirmitates cum animalium, tum vegetabilium, quamvis auro & argento non impraegnetur. Habet enim in ſe ipſo Mercurius noſter vitam coeleſtem & lumen, ut puriſſimum omnium elementorum ſemen, beneficio cujus in naturalibus, admiranda & miraculoſa omnino peragit & perpetrat. Et ſic eſt vitae humanae verum & abſolutum ſolatium, quo majus in his terris poſſideri non poteſt. Et certe in hoc perquirendo magis deſudare deberent homines mentis & rationis capaces, quam faciunt, imo hoc inutile & vanum exiſtimant ſtudium; imo captos mente & ſtultos exiſtimant, qui huic ſtudio & operi navant operam. Sed non eſt mirum: Labor enim virtutis mania ſemper judicatur. Concludemus

demus ergo in coctione Mercurii noſtri in principio coctionis ip ſius addenda & conjungenda eſſe perfecta metalla, ſolem tantum: quia his in metallis perfectis ſunt radii tingentes, & Sulphur album & rubeum perfecte maturum, & perfecte coctum, quo citius terminantur in perfectum finem, Sulphur album & rubeum, quæ ſunt in Mercurio noſtro. Unde non perperam faciunt, qui ſic operantur, nec ullum errorem committunt, ſed omnino ſecundum leges artis faciunt, & ſe gerunt.

CAPUT XIII.

An in Mercurio noſtro peragendo ſint variæ & diſtinctæ operationes?

VAriæ & diſtinctæ enarrantur a Chymicis antiquis operationes in conficiendo & peragendo noſtro Mercurio, imo ex tribus naturæ regnis eliciunt Purum Naturæ, ut hæc pura ſimul juncta Mercurium noſtrum conficiant: Et operationes, quibus hæc peragunt, ſunt ſublimationes, deſtillationes, calcinationes, cohobationes, putrefactiones, digeſtiones & aliæ plures, quæ omnes ſub una operatione, nempe ſub coctione ſola comprehenduntur. Nihil enim eſt aliud peragendum, quam coquendum. Coctione enim ſola impura ſeparamus; unde purificamus, ſublimamus, deſtillamus, & alia ſimilia peragimus, donec ignis & aqua, quæ in Mercurio præliantur, & bellum inter ſe gerunt, ſe conjungant, & amica fiant; unde illud: fac pacem inter inimicos, & totum Magiſterium poſſidebis. Nec iſtud faciendum eſt igne fortiſſimo, ſed leviſſimo ac molli: minor enim ignis omnia terit. Quia in principio ignis & aqua in Mercurio conjuncta, non adhuc perfecte & abſolute unita ſunt, ideo forti igne ſeparantur, & ſi ſepararentur, nunquam uniuntur. Ideo connexa ſunt linquenda, nec a ſe invicem ſeparentur, ſed conjuncta coqui ac digeri inter ſe, ut tandem uniantur & invicem tranſeant in vas recipiens in forma pinguedinis candidiſſimæ, ſive butyri albiſſimi: unde *Flamellus* aſſerit, vas ſuum, in quo erat Lapis Philoſophorum ſemi plenum eſſe pinguedinis venti mercurialis, & ſpumæ maris rubei, hoc butyrum indicans, & auro ſoluto imprægnatum. Non ergo variæ ſunt & diverſæ operationes in peragendo Mercurio noſtro; ſed unica tantum eſt operatio, quæ dicitur coctio noſtra, in qua perficitur Mercurius & pinguedo ſua ſeparatur,

& ſublimatione perficitur, & deſtillatione abſolvitur: quod omne eſt ſola coctio.

CAPUT XIV.

An in butyro & pinguedine noſtra ſint Mercurius Sal & Sulphur inſeparabiliter conjuncta?

QUia butyrum & pinguedo noſtra ſeparantur, per deſtillationem a terra ſuperflua & inutili, aliquis dubitare poſſet, an in illa deſtillatione Mercurius, Sal & Sulphur ttanſeant & pinguedinem illam & butyrum conſtituant? Certiſſimum eſt, nec ullo eget dubio, cum Mercurius, Sal & Sulphur ſint ſimul conjuncta in terra noſtra; ſi ſeparentur, & per deſtillationem deveniant in vas recipiens, & butyrum ſeu pinguedinem conſtituant, quin ſinmul omnia ſint conjuncta in butyro & pinguedine conſtituenda, nec unquam ſeparari poſſint. Itaque recipiendo butyrum noſtrum, recipimus, Sal, Sulphur & Mercurium. Ideo tria hæc in uno conjuncta ſunt, & coagulantur in unum, & fixa fiunt ſola coctione perenni & continua, & citius coagulantur, ſi cum gummi noſtro connectantur. Unde dicitur: Gummi noſtrum coagulat noſtrum lac, & lac noſtrum diſſolvit gummi noſtrum, & ſic ſimul conjuncta citius terminabuntur in Sulphur ſive Mercurium, ſive Sal fixum, fuſibile admodum, ita ut penetret, & intret imperfecta metalla, & tranſmutet in aurum. Unde concludendum eſt, in butyro noſtro & pinguedine Mercurium, Sal & Sulphur ſimul eſſe conjuncta in unum, ita ut nunquam ſeparari poſſint, quin ſimul omnia reperiantur.

CAPUT XV.

Aurum & Argentum vulgi quare mortua dicantur, & qua via a mortuis reſuſcitari dicantur?

VEriſſimum eſt, Aurum & Argentum vulgi eſſe mortua, quod fuſione & liquatione per ignem violentum ſpolientur ſpiritibus vitalibus, quibus creſcunt & vere vivunt, dum in fodinis ſuis ſunt & perſiſtunt. Spiritus enim illi volatiles ſunt,

&

& facile fugiunt, dum in igne & per ignem liquantur metalla, manetque tantum corpus vitali illo ſpiritu ſpoliatum: unde vere eſt mortuum: & proinde dicuntur aurum & argentum vulgi mortua eſſe, & proinde inutilia operi noſtro perficiendo, niſi prius vita denuo donentur, & ſeminali ſpiritu iterum imprægnentur, & ſic reſuſcitanda ſunt prius, antequam operi noſtro adhibeantur; hoc autem facili via peragitur, ſi ipſa metalla in butyro ſeu pinguedine noſtra ſepties rectificata diſſolvantur; tunc enim copioſo ſpiritu & vitali ſemine iterum donantur, & copioſius, quam in ſua fodina. Unde vere reſuſcitantur a mortuis, & vere vitalia fiunt, & tunc temporis utilia & pernecesſaria operi noſtro perficiendo: Unde clamant Philoſophi Chymici, metalla vulgi non eſſe recipienda, cum mortua ſint, & accipienda tantum eſſe noſtra, quæ vitalia, & vere vivant: quod duplici via explicari poteſt: nam metalla, quæ intima ſunt in butyro atque pinguedine noſtra, vere vitalia ſunt, & illa eſſe communiter accipienda, intelligunt Autores: Nam ex ſolo butyro noſtro ſeu pinguedine poteſt perfici opus noſtrum ſola perenni coctione, donec butyrum noſtrum fiat ſulphur album & rubeum fixum & permanens, quod eſt opus perfectum noſtrum, & numeris omnibus abſolutum: Et ſic metalla butyro noſtro intima, quia vere ſunt vitalia, explicari poſſunt, eſſe accipienda ad opus noſtrum perficiendum. Secundo poſſunt explicari, accipienda eſſe vulgaria metalla, modo ſint per ſolutionem butyri noſtri & pinguedinis a mortuis, ut dicitur, reſuſcitata. Et ſic clarum eſt, cur vulgaria dicantur mortua, & inutilia ſint operi noſtro perficiendo, & qua ratione a mortuis ſint reſuſcitanda, ut operi noſtro perficiendo utilia eſſe poſſint.

CAPUT XVI.

An in cineribus, vel in balneo Mercurii noſtri putrefactio fieri poſſit, ut inde butyrum & pinguedo noſtra extrahatur?

IN calido & ſicco humida difficillime putreſcunt, in humido autem facilius putredinem contrahunt: ut videndum eſt quotidie experientia ipſa. Semina enim in terram projecta difficillime putreſcerent, niſi ſæpius ab humido ex cœlo deſcendente humectarentur, & irrorarentur. Unde ſæpe eſt neceſſarium, ut pluat, ut ſemina in terram projecta irrorentur, & ſic facile putreſcant, alioquin

 germi-

germinare nequeunt, niſi prius putreſcant; quia per putredinem redeunt in materiam ſuam primam, & ſic ſemen internum, granis & ſeminibus concluſum, ſpoliatur a ſua compagine materiali, & fit ſpirituale & volatile; & ſic germinat, & ad multiplicationem ſui ipſius diſponitur. Et ſic fit in Mercurio noſtro, & terra noſtra, qui niſi putreſcat, ſemen ſuum internum, quod in intimis ſuis thalamis concluditur, ſpirituale fieri non poteſt, & ſic ab excrementis ſuis naturalibus ſpoliari nequit, & ſic ad perfectionem ſuam ultimam devenire non poteſt. Putrefaciendus ergo eſt Mercurius noſter in Balneo, per dies quadraginta: nam eo tempore facile diſſolvitur terra noſtra, & cum ſuo humido proprio connectitur inſeparabiliter, ita ut deinde, dum per deſtillationem pelluntur, conjuncta ſimul reperiantur in unum butyrum, frigido coagulabile, & calido liquabile, quod eſt totius artis fundamentum, ſine quo corruit tota Alchymia. In ea ſiquidem nil fieri poteſt utile & neceſſarium ad metalla transmutanda, nec ad vitam conſervandam & prorogandam, ſine butyro & pinguedine mercuriali noſtra, cum in ipſa lumen Cœli & virtutes omnes Planetarum, & proprietates Elementorum omnium vere contineantur. Unde tantum eſt virtutis & energiæ in ſolo & unico hoc ſubjecto, quantum in toto & univerſali hoc mundo continetur. Putrefieri tantum debet hoc ſubjectum, ut germen inde prodeat & exeat, quod & miranda & mirabilia producere poſſit. Hoc autem fieri debet in Balneo potius, quam in cineribus, cum in humido calido putreſcant potius & citius omnia, qnam in calido ſicco, quod putredinem arcet aut ſaltem retardat.

CAPUT XVII.

De fermento Philoſophorum, quid & quale ſit?

FErmentum Philoſophorum, & Sulphur album vel rubeum, fixum & permanens, quod Lapidem noſtrum volatilem in ſuam naturam convertit, & fermentat, ideo dicitur fermentum, quia, ut fermentum commune & vulgare totam maſſam panis convertit in ſuam naturam, materiam & ſubſtantiam volatilem Lapidis noſtri in naturam fixam & permanentem. Quod quidem fermentum duplici modo intelligi poteſt: vel enim eſt internum, vel intimum Lapidis noſtri, volatile primo, quod quidem coctione continua perenni figitur, &, dum fixum eſt, tunc temporis dicitur fermentum;

mentum; quia reliquum Lapidis, etſi volatile eſt, beneficio ipſius fermenti fixi figitur, & convertitur in ſubſtantiam fixam & permanentem, & ſic verum eſt fermentum. Aliud autem fermentum Lapidis noſtri eſt ex auro communi, vel argento, quæ quidem, dum diſſolvuntur a Lapide noſtro, fermenta dicuntur Lapidis noſtri, quod ipſum figant & fermentent in ſuam ſubſtantiam, quæ cum fixa ſit, transmutat Lapidem noſtrum volatilem in ſubſtantiam fixam, coctione perenni & continua. Et ſic aurum & argentum dicuntur fermenta Lapidis noſtri, & ſi aurum & argentum, quæ intima ſunt, & interna Lapidi noſtro, non excludantur a nomine veri fermenti, qua veri fermenti naturam imitantur & ſequuntur, cum auri & argenti vulgaris ſequantur naturam & indolem. Non ergo dubitandum, quid ſit, & quale ſit fermentum Lapidis noſtri, cum ſit id omne, quod figere poteſt, Mercurium noſtrum, Sal & Sulphur in ſubſtantiam fixam & permanentem, fluentem & fuſibilem tanquam butyrum. Quod quidem & aurum & argentum vulgi Mercurio diſſoluta eſſe poſſunt, vel internum & intimum aurum & argentum, quæ in Mercurio noſtro reperiuntur, quæ coctione ſola perenni, & continua poſſunt figi in ſubſtantiam fixam & permanentem: Cum hæc ſint ejusdem naturæ & indolis ac aurum & argentum vulgi, & proinde eandem operationem habeant, in Mercurio noſtro perficiendo & abſolvendo, ut clariſſimum eſt per omnes autores, qui Lapidem noſtrum noverunt, ejusque confectionem perfecerunt, ratione & arte Chymica conducti.

CAPUT XVIII.

Quis ſit, & qualis Draco noſter, caudam ſuam devorans?

DRaco noſter materia noſtra eſt cruda, & ut e terra eruitur, quæ Draco dicitur, propter venenum, quod in ſe habet ſive continet, & quod horridis veſtiatur coloribus, frigidæ & humidæ ſit naturæ, ut Draco ſerpens, qui ſylvas incolit, & quod puriſſimum ignem in viſceribus ſuis coerceat, adeo ut vomat ignem & flammam horrendam. Alatus eſt propter ſpiritum & animam illi inſeparabiliter conjungendam; alioquin non prodeſt in arte noſtra, imo inutile eſt prorſus & vanum, ideo oportet, & eſt neceſſarium, ut caudam ſuam devoret: Eſt enim cauda

 ſua

ſua ſpiritus ſuus, qui, ſi inſeparabiliter ſuo corpori conjungatur, volatile reddit corpus ſuum & proinde arti noſtræ perneceſſarium. Dicitur autem ſpiritus hic Cauda Draconis, quod, ut Draco trahit caudam ſuam poſt ſe, ſic & corpus hoc volatilitatem humidam poſt ſe trahat, ut poros terræ univerſæ penetret, & adeat, & ſic deferatur alimentum cujuscunqne rei ad ſingula elementorum mixta. Nam ſpiritus hic eſt univerſale alimentum rerum omnium, unde oportet, ut ubique deferatur per humiditatem ſuam volatilem, quæ dicitur cauda ſua, quod ubique deferatur, ubi Draco defertur & transportatur. Dicitur autem caudam ſuam devorare, quod humiditatem ſuam propriam devoret, & in ſui ſubſtantiam convertat, ut corpus ſuum volatile fiat, & ſic facilius transportetur per poros terræ ad generationes rerum omnium faciendas, quod alioquin facere non poſſet, ſi fixum eſſet & permanens, & ſemper in centro terræ permaneret fixum & conſtans. Oportet ergo, ut caudam ſuam devoret, ſic & volatilis fiat Draco noſter, & perinde perneceſſarius arti noſtræ perficiendæ, & ad opera chymica omnia abſolvenda.

CAPUT XIX.

Quale & quid ſit mare noſtrum, in quo ſunt duo piſces mira pinguedine præditi.

NObilis Lambsprinck in ſuis de Lapide Philoſophorum emblematibus narrat, in mari Chymico adeſſe duos piſces mira pinguedine præditos. Quale autem & quid ſit mare iſtud, & piſces iſti, jam perquirendum eſt, Artis noſtræ indagatoribus: alioquin, quid ſit peragendum in arte noſtra ut opus perficiatur, penitus ignorabunt. Mare ergo noſtrum eſt corpus materiæ noſtræ, quod, cum ſit amaro-ſalſum, dum diſſolvitur, verum eſt mare, quod quidem eſt amaro-ſalſum. Piſces autem duo in ipſo natantes ſunt ſpiritus, & anima ipſius corporis noſtri, qui quidem capiendi ſunt, & captandi, & cum ſuo corpore conjungendi, adeo ut unum fiant corpus volatile & fixum, & a fecibus per liberationem & deſtillationem ſepties repetitam omnino purificatum & vindicatum; & ſi corpus unum fiat volatile, quod in centro ſuo habet occultam fixi & permanentis naturam & indolem, quæ tandem manifeſta fit coctione perenni & continua. Et tunc temporis eſt abſolutum & perfectum opus chymicum, ad naturam noſtram refocillandam

&

& conſervandam in multos annos, & a morbis omnibus vindicandam; ſi granum unum iſtius fixæ materiæ in vino vel juſculo ſumatur ſingulis in hebdomadibus. Nec plus, nec magis eſt ea medicina utendum, cum ſit ignis violentiſſimus & ardens, qui noſtrum ignem vitalem conſumeret, & deſtrueret, ſi plus, quam oportet, ſumeretur. Major enim ignem minorem conſumit. Ergo modice & parce utendum eſt. Itaque quam multi Antiquorum reperti ſunt, qui vitam ſuam ſumma hac medicina abbreviarunt, propter immodicum ejus medicinæ uſum. Concludimus ergo, mare noſtrum, materiam noſtram ſeu ſalem eſſe, & duos piſces in ipſo natantes mari, eſſe ſpiritum & ejus animam, qui extrahendi ſunt & purificandi, ut denuo cum mari ſeu corpore conjungantur, & unum fiant immenſum mare volatile & infixum, ut per deſtillationem & liberationem ab omnibus ſuis excrementis vindicentur, & ſic pura facta coquantur tamdiu, donec fixa fiant, & permanentia in prælio ignis, etſi fortiſſimo. Quod ſit iterum priori ſpiritu diſſolvatur, & volatile fiat, & iterum coquatur & figatur, immenſam & fere infinitam virtutem habet, & acquirit ad omnia naturæ mixta conſervanda, refocillanda, & defectus eorum perfugandos omnes.

CAPUT XX.

Qualis & quæ ſit hydra Chymica ſeptem habens Capita?

EXcogitarunt antiqui Chymici cum ratione multa ſerpentem hydram in ſylvis & aquoſis locis degentem, ſeptem habentem capita, cui ſi caput unum amputetur, multa alia renaſcantur. Hæc hydra nihil aliud eſt, quam materia noſtra, quæ cum ſeptem producat metalla, ideo aſſeritur habere ſeptem capita, cui ſi unum amputetur, multa alia renaſcantur, quod evenire ſolet in materia noſtra. Nam ſi metallum unum pereat & putreſcat in ipſa materia, multa inde renaſcuntur mixta, ut putrefactione illa in aquoſis & tenebroſis locis creſcere ſolet, ibique permanere: Sic ex materia noſtra vere creſcit in aquoſis & tenebroſis locis, unde eruitur cum ſeptem Capitibus, quæ quidem omnia illi ſunt amputanda, & ne redeant ac repullulent, igne & flamma ſunt comburenda. Tamdiu enim materia noſtra in igne coquenda eſt, donec in unam vere ſimilarem & homogeneam tranſeat ſubſtantiam fixam & permanentem, unum

unum tantum caput habentem, aurum ſcilicet, quod eſt fixum & vere permanens; quod nunquam in aliam mutatur ſubſtantiam, niſi iterum novo ſpiritu diſſolvatur, & ſic redeant varia capita igne deſtruenda, & iterum in caput unum aureum redigenda. Sic multiplicatur Lapis & virtus illius indies magis & magis accreſcit, cum capita illius varia amputamus illi, & illi caput unicum aureum conſtituimus. Quot enim colores in coctione materiæ noſtræ apparent, tot etiam ſunt capita hydræ, quæ omnia tandem ſunt amputanda, & igne, ſeu coctione deſtruenda, ut tandem tranſeant in unum ſolum caput aureum & in unicam ſimilarem & homogeneam ſubſtantiam, auri vulgaris naturam referentem, quod & igne perſiſtat eo gaudens, & quod tingat metalla reliqua imperfecta in aurum verum auro vulgari multo excellentius & præſtantius. Sic concludendum eſt, hydram Chymicam, ſeptem Capita habentem, nihil aliud eſſe, quam materiam & ſubſtantiam Lapidis noſtri, quæ cum metalla ſeptem producere ſoleat, capita ſeptem habere dicitur: Quæ quidem & horum ſigna & colores deſtrui nequeunt & deleri, nec in unum caput abire poſſunt, quam igne ſolo; ſic & hydræ capita demi nequeunt, niſi igne & flamma. Et ſic perfectiſſima eſt hæc figura & ſimilitudo, nec perfectius explicari poteſt, quam prædicta noſtra explicatione. Quæ ſi non omnibus placeat, explicent hi, quibus hæc diſplicet, alia via & alio ſenſu, ut ſibi ipſis placere poſſint. Non enim eſt hydra in rerum natura, nec unquam viſa eſt in aquis, nec in terris; ſed eſt myſterium chymicorum & figmentum occultum, quo ſecreta ſua & arcana occultant incipientibus & Philoſophis veris ſolum manifeſtant his figmentis, & occultis ænigmatibus & logogryphis.

CAPUT XXI.

Qualis ſit illa Conjux & Mulier, Maritos ſuos omnes enecans & interficiens.

HOc portentum nullus hominum vidit unquam, ſed purum eſt figmentum Chymicorum, ut Mercurium ſuum occultent hominibus vulgi, & ſapientibus faciant manifeſtum. Quicquid enim Mercurio conjungitur, morti datur & neci. Sic Mercurius eſt Conjux & mulier Chymicorum, quæ omnia interficit ac enecat. Dum enim vegetabilia, ſeu animalia, ſive mineralia & metalla, Mercurio Chymicorum conjuncta ſunt, ſtatim redeunt in

mate-

materiam primam, & ſic a Mercurio vere recipiuntur & interficiuntur. Non enim poſſunt redire in materiam primam, niſi deſtruantur & proinde morti tradantur. Sic Mercurius Chymicorum ſibi omnia aſſociat & conjungit, & ſic eſt vera Conjux, quæ maritos ſuos omnes interficit, cum omnia, quæ illi conjunguntur, tanquam veri mariti illi ſint, & cum moriantur & redeant in primam ſuam materiam, eatenus enecantur & interficiuntur. Concludendum ergo eſt nobis, Conjugem & Mulierem Chymicorum omnes Maritos ſuos enecantem & interficientem eſſe Mercurium eorum, qui cum ſit diſſolvens verum & omnia reducens in primam materiam, eatenus interficit id omne, quod diſſolvit, & illi connectitur. Non poteſt enim diſſolvere, quin in materiam primam reducuntur, eatenus interficiuntur, cum vere deſtruantur, & prima ſua forma ſpolientur; quod & vere mori & enecari eſt; Mors enim eſt deſtructio formæ, & introductio novæ. Beati terque quaterque beati ſunt, qui hanc mortem per diſſolutionem veram rebus omnibus, & præcipue metallis introducere poſſunt: reſurgunt enim poſt mortem hanc, in vitam priori præſtantiorem & nobiliorem.

CAPUT XXII.

De Salamandra Chymicorum, quæ & qualis ſit?

FAlſum & ridiculum eſt, Salamandram vivere igne, & in igne conſervari. Vidi enim ego in Britannia, ubi multæ adſunt in fimis veteribus Salamandræ, quas ego igne deſtruxi, & in cineres redegi. Nullo pacto ſiquidem igne vivunt, & conſervantur, ſed moriuntur ac deſtruuntur totaliter, ut ſæpiſſime in Britannia expertus ſum. At ſi Salamandra vivat in igne, augeatur & creſcat, hoc myſterium eſt, & excogitatum figmentum ad occultandum aliquod arcanum, quod in natura eſt occultum. Chymici omnes aſſerunt, Salamandram ſuam in igne vivere, augeri & creſcere: Illud ipſum arcanum eorum eſt, quod ſub Salamandra occultare ſolent. Eſt enim eorum Salamandra, eorum Mercurius, ſeu Lapis eorum, qui feliciſſime in igne vivit, creſcit, augetur, & melioratur indies, donec ad ultimam ſui perfectionem veniat. Quæ quidem tunc temporis non timet ignem, & curat morbos omnes, tum hominum, tum metallorum, & quoſcunque defectus naturæ, quos mixta elementaria, & naturalia quæque patiuntur. Sic Salamandra Chymico-

rum eſt mirum eorum arcanum, & vere aſſerere poſſunt, eam igne vivere, creſcere, & augeri, cum id igne ſolo perficiatur. Nam Mercurius Chymicorum non poteſt perfici & augeri niſi ſolo igne, ignis ſolus eſt debitus & temperatus, qui Mercurium Philoſophorum perficit, & maturat ſola temperata coctione. Eſt ergo hæc Salamandra vera in igne vivens, creſcens, & ſe multiplicans, cujus ſanguis eſt vera & univerſalis Medicina, cujus ope & auxilio curantur omnes defectus naturales, imo vita in omnibus extenditur in longiſſimos annos, & prorogatur: ut factum eſt in multis hominibus, & potiſſimum in *Arteſio Philoſopho*, qui ope & auxilio hujus Medicinæ & ſolo ſanguine Salamandræ uſus, vixit annos mille: & in *Johanne Levi*, qui vixit tempore Caroli Magni annos quingentos & ultra; & *in cuſtode nemorum Regis Galliæ Ludovici Duodecimi*, qui invento liquore in terra ſepulto, corpore eo liquore peruncto vixit annos trecentos ab omni morbo liber: & in alio, qui adhuc in vivis eſt, nomine *Eduardo Anglo*, qui per mundum & terram Univerſalem divagatur, & ſe habere aſſerit quingentos annos, & de quinquaginta, inquam, in quinquaginta annos ſe ſe renovat, & deponit veterem pellem, pilos, dentes, & ungues, & adoleſcentiam miram recuperat, cum novo vigore & juventutis robore maximo. Et hoc ſit dictum propter naſutulos, qui exiſtimant ridiculum, de recuperanda juventute arcanum. Non enim vanum eſt illud ſcripturæ: renovabitur ut aquila juventus tua.

CAPUT XXIII.

Quid ſit, nigram feram in Sylvis eſſe, quæ dum nigredinem deponit, mira albedine induitur.

Multi ſunt, qui hoc de fuligine communi interpretantur. Fuligo enim in lignis latet, quæ ex ſylvis exportantur ad ignem nutriendum, unde fuligo in caminis exoritur; unde dicitur: Eſt avis in ſylvis, nigro perfuſa colore, cui, ſi quicquam adimas, tunc erit alba nimis. At falluntur omnino, & errant toto cœlo, quia ſylva Chymicorum eſt corpus eorum, ex quo Mercurius & Sulphur eorum eruitur, & nigra fera eſt hæc eadem materia, dum corrumpitur & putredinem ſubit in corpore ſuo, acquirit enim nigredinem in putrefactione, deinde continuata coctione albedinem

bedinem acquirit ſummam. Et hæc eſt vera fera nigra, quæ in ſylva noſtra degit, & commoratur, cui ſi excrementa, quæ illi ſunt ſuperflua, adimas, mira albedine induitur. Nam coctione ſola Mercurius noſter & Sulphur ſimul juncta dum coquuntur, maturantur, & dum fiunt matura, colores perfectos acquirunt, inter quos eſt albedo & rubedo. Dum ergo materia noſtra coquitur, perficitur, & maturitatem acquirit, & dum maturatur, coloribus perfectis & abſolutis induitur, albedine puta, & rubedine. Qui colores perfecti & abſoluti in natura reperiuntur, cum ſemper perdurent, & perſiſtant, in materia noſtra, ſic ab igne noſtro perfecte cocta. Nihil ergo eſt aliud fera hæc nigra in ſylva noſtra, quam materia noſtra, quæ dum coquitur, nigreſcit primo, deinde albeſcit, tandem rubeſcit, ibique eo colore rubicundo induta, quieſcit.

CAPUT XXIV.

Quid ſit apud Chymicos alatus Leo, & ſine alis alter, & ex duobus Leonibus unum fieri debere?

FRequens eſt apud Chymicos omnes hæc allegoria de ipſo eorum Leone, qui ſic vocatur, quod devoret tanquam Leo, omnia, quæ illi objiciuntur, & in ſuam ſubſtantiam commutet. Et hic Leo duplex eſt, alatus unus & fœmina, inalatus alter & mas; & ex his duobus Leonibus mare & fœmina fieri debet tantum Leo unus. Hoc enim ſummum eſt portentum, & nemo vidit unquam tale portentum. Myſterium eſt hoc & ſummum naturæ arcanum, in intimis ejus thalamis occultum. Materia ſiquidem hæc Chymica eſt, quæ duplex eſt, fixa una, volatilis altera. Fixa eſt Leo ſine alis, & eſt mas, volatilis vero eſt Leo Chymicus alatus & femina, quæ ſimul conjungenda ſunt, & coctione perenni & continua in unam fixam materiam connectenda. Et ſic ex duobus Leonibus fit unus Leo: ex duplici illa materia fixa & volatili fit unica materia. At totum ſecretum artis eſt, cum materia volatili fixam materiam facere volatilem. Nihil alioquin poſſunt hæ materiæ, niſi ignis beneficio inter ſe invicem convertantur; volatilis fixam faciat, & iterum fixa hæc materia volatilis fiat & iterum fixa. Sic Leo Leonem devorat, & aquila aquilam, & avis avem noſtram deglutit, & inter ſe convertuntur. Sic variis animalium nominibus arcanum

chymicum occultatur, & per varias & poſſibiles inter ſe actiones demonſtratur, ſapientibus tantum, & occultatur ignorantibus & vulgi hominibus, qui has allegorias ridiculas & inauditas exiſtimant. Nihilominus tamen ſub eorum cortice & putamine nucleus naturæ mirus continetur, cujus oleum miræ eſt naturæ, &, ſi ex tribus naturæ regnis extractum hoc oleum in unum conjungatur, nihil in terris potentius & efficacius ad ſananda & perficienda illa omnia, quæ in tribus regnis defectum patiuntur. Beati ter, quaterque beati, qui me capient, & hoc, qualiter factu poſſibile ſit, intelligent, & vere ſcient in actum reducere. Non enim factu ſunt facilia, ſed expertum expoſtulant artificem, & inſignem Philoſophum, non vulgarem, & ex ſcholis factum; ſed ex ipſa natura, & anatomia ipſius, per varias & multiplices operationes adeptum phyſicum enatum; qui artifex admodum rarus eſt, nec paſſim reperitur.

CAPUT XXV.

De Lapide conficiendo.

Cum per varia capitula jam deſcripta Lapidem deſcripſimus, & quæ ſint illi neceſſaria, per varias Chymicorum allegorias jam depinximus, adeo clare, ut exiſtimo, ut nemo ſit, qui Lapidem Philoſophorum exiſtere in rerum natura jam non exiſtimet. Supereſt jam, ut omnibus ſatisfaciamus, & præcipue Principi noſtro Friderico, Holſatiæ Duci, in cujus ſolius gratiam tractatum typis mandari juſſimus & permiſimus. Lapis ergo noſter conficiendus eſt, ut ex opinione omnium Chymicorum conſtat, ex *puro naturæ*. Purum enim naturæ eſt illud ſolum, cujus gratia natura ipſa agit in omnibus, & omnia conſervat. Eſt enim purum incorruptibile quid, & ſummum agens: Proinde Lapis Philoſophorum ex eo confici debet, cum Lapis in rerum natura omnia conſervare debeat, & defectus naturales quoſcunque longe propellere & arcere poſſit, alioquin Lapis non eſſet, nec ex puro illo naturæ fieri deberet, & nec purum illud ſummopere agens, ſecum poſſideret. Quare autem purum iſtud naturæ Lapidem Philoſophorum conficere habeat, ratio enim in promtu, quod debeat confici ex materia naturæ, & ſubſtantia incorruptibili, omnia ſecum transmutandi propter ejus ſummam actionem. Nulla autem ſubſtantia talis eſt in rerum natura, quam purum iſtud naturæ. Ergo ex ſolo iſto puro conficiendus eſt Lapis Philoſophorum.

Quale

Quale autem iſtud purum naturæ ſit, & qua ratione & via habendum, jam nobis eſt perquirendum, ut eo noto, ipſum perveſtigare & invenire voleamus in ipſa natura. Extra enim naturam, non eſt quærendum; aut fruſtranei eſſent omnes noſtri labores, qui tanto operi impenderentur.

CAPUT XXVI.

De Puro naturæ, quid & quale ſit & quotuplex.

EX puro naturæ omnia fiunt, &, ut dixi ſæpius alibi in operibus meis typis mandatis, ex puro naturæ cognitio rerum omnium, & totius naturæ dependet. Unde perneceſſarium eſt Chymico, ſcire & cognoſcere quid ſit, & quale ſit, & quotuplex ſit purum iſtud. Purum ergo iſtud naturæ in centro cujuscunque rei conſiſtit, & factum eſt ex quinta eſſentia cœli & elementorum omnium; uti dixi capitulis primis hujus Tractatus. Cœlum influit per radios ſuos in elementa inferiora & purum ſui in Elementa inferiora immittit, & præcipue in centrum terræ, ibique decoquitur, & corporificatur in ſalem, qui fit volatilis, & per poros terræ ſublimatur, & nutrit omnia animalia, vegetabilia & mineralia cuncta, unde paſſim reperitur. Itaque triplex eſt iſtud purum animale, vegetabile & minerale; & unum tamen ex tribus iſtis regnis neque differt, niſi qualitate aliqua: In ſubſtantia enim unum & idem eſt. In animalibus quidem eſt ſubtiliſſimum, & proinde volatile omnino, & ideo combuſtibile & deſtructibile: In vegetabilibus itidem, & ideo etiam deſtructibile, & corruptibile; in metallis vero, præſertim perfectis eſt omnino fixum & incorruptibile: in imperfectis vero metallis partim eſt volatile, partim vero fixum, ideoque partim corruptibile, & partim fixum & incorruptibile. Et hoc eſt conſideratu digniſſimum, ut inde colligamus, ex quibus naturæ regnis hocce naturæ purum nobis neceſſarium ſit eligendum. Nam Lapis Philoſophorum incorruptibilis eſt omnino, & proinde ex metallico regno omnino eſt deſumendus. In illo enim ſolo regno purum noſtrum incorruptibile reperitur, & in hoc ſolo regno purum aliud reliquorum duorum regnorum etiam conjunctum eſt, unde dicitur, animale, vegetabile & minerale. Concludimus ergo, purum naturæ in omnibus naturæ regnis, & potiſſimum in minerali regno & metallico reperiri, & nihil aliud eſſe quam quintam eſſentiam cœli & elementorum omnium, quod in centro terræ excoquitur, & hinc per poros terræ amandatur, & ſic producibilia omnino conſervat, alit, & producit.

CAPUT XXVII.

Purum Minerale & Metallicum quomodo præparandum ſit & habendum?

SAl iſtud naturæ, in quo ſpiritus cœleſtis & elementorum omnium congelatur, & in ſal convertitur, accipiendum eſt, & purificandum multis iteratis diſſolutionibus in aqua ſtillatitia roris vel pluviæ. Poſtquam habes purum & candidum corpus iſtud ſalis, permiſcendum eſt cum terra aliqua pura, ut cum bolo, aut lapide Lazuli optime calcinato, triplicem quantitatem terræ ad unam ſimplicem partem corporis noſtri, & in retorta vitrea optime lutata reponendum, & inde in igne fortiſſimo deſtillandum, ut exeant ſpiritus omnes in recipiens in forma aquæ fortiſſimæ acredinis & acetoſitatis, & hinc ſepties rectificanda eſt aqua hæc, & ab impuro aqueo elementari, vindicanda eſt in balneo. Et ſic habes purum & candidum metallorum ſpiritum, qui in Phialis vitreis optime clauſis eſt conſervandus, donec corpus iterum novum & purum habeas; cui conjungendus eſt ſpiritus in duodecima quantitate hoc eſt, duodecim partes ſpiritus ſunt accipiendæ, & una tantum corporis puri, & ambo ſimul conjuncta putrefacienda ſunt per quadraginta dies. Deinde extrahendus eſt ſpiritus per deſtillationem, donec corpus ſiccum ſit, & iterum reponendus eſt ſpiritus ſuper corpus; & multoties hoc eſt iterandum, donec ſpiritus per varias iteratas cohobationes ſuper corpus ſuum maneat cum corpore, & tandem corpus volatile fiat beneficio ſui ſpiritus; & corpus ſic volatile factum, novo ſpiritu eſt imbibendum, donec tandem variis & ſæpe iteratis cohobationibus tranſeat per retortam in vas recipiens in aquam lacteam frigido coagulabilem in butyrum, quod facili & molli igne liqueſcit ceu butyrum. Hæc aqua lactea ſepties eſt rectificanda per cineres, quæ conſervanda in vaſis vitreis optime clauſis; quæ quidem, ſi per ſe coquatur in vaſe clauſo tandem figitur in ſalem fixum & permanentem album primo, ultimo rubeum, continuata coctione. Hoc autem ut citius fiat, & terminetur, aurum eſt addendum, ad decimam partem, vel ſeptimam & ſic citius terminantur in bonum, & ejus fixatio peragitur. Et ſic habes *Mercurium Philoſophorum verum & legitimum*, ex ſolo regno metallico & minerali extractum, omnia penetrantem & diſſolventem ſua ſubtili admodum ſubſtantia; Sunt & alii, qui hunc Mercurium ex tribus regnis elicere tentant, ſequenti via.

CAPUT XXVIII.

Qua via ex tribus regnis eliciatur Mercurius Philoſophorum?

EX regno animali eliciatur primo ſal volatile, ex ſanguine humano, vel alio, vel urina humana communi via per deſtillationem. Ex vegetabili habetur ſal Tartari communiter, ex calcinatione & ſolutione in aquam limpidam, donec per varias ſolutiones, & deſiccationes habeas candidiſſimum ſalem Tartari, qui diſſolvendus eſt in aceto ſtillatitio, donec nihil aceti amplius bibere poſſit; Tunc ſal ille ſpiritu aceti impraegnatus, vel ſpiritu vini, ſublimatur, fitque volatilis. Hic ſal volatilis factus purus & putus connectendus eſt cum ſale volatili animali, & cum ſpiritu acido minerali communiter extracto, & ſic tria illa pura ſimul conjuncta in Mercurium convertuntur per circulationem, & in aquam ſeu liquorem Alkaheſt convertuntur, quod hic liquor totus ſpiritualis ſit, & purus & nitidus trium regnorum Mercurius, quo ſolo in Alchimia peragenda utuntur. Et ſic arcana perficiuntur, & metalla cuncta in primam reducuntur materiam, ut, quid in centro ſuo poſſideant, perfecte videant & perſpiciant. De liquore illo Alkaheſt multa dicta ſunt ab Autoribus Chimicis Neotericis, a Paracelſo autem pauciſſima. Dicit enim liquorem Alkaheſt Mercurium eſſe praeparatum, dum centrum ſuum ſit ſuperficies, & ſuperficies Mercurii ſit centrum; ſic occultum, quod eſt in Mercurio, fit manifeſtum, & quod manifeſtum eſt in eodem Mercurio, fit occultum. Sic transmutantur elementa Mercurii occulta in manifeſta, quod ſolum expetit Alchimia.

CAPUT XXIX.

De liquore Alkaheſt, quid ſit, & qualis ſit?

TOt & tanta enarrantur de liquore iſto a Chymicis recentibus, ut perneceſſarium ſit Principi noſtro Sereniſſimo ſcire, quid ſit liquor iſte, & qualis ſit, & unde habendus, & eliciendus, ut quicquid prodeſt Alchimiae faciendae, non ipſum lateat Principem. Eſt ergo liquor iſte mercurialis purus ſpiritus metallicus corpore ſuo proprio & naturali conjunctus, & ita connexus,

nexus, ut duo unum fiant inſeparabile, & indeſtructibile, omnia deſtruens & reducens, in primam materiam: Quæſtio eſt ſumma in Alchimia, nec ſolutu facilis, cum duæ aliæ ſubſtantiæ ex vegetabili & animali regno elicitæ, & mercuriali ſubſtantiæ minerali conjunctæ penetrationem ſuam, & in agendo ſummam promtitudinem illi addant, ita, ut perfectionem ſuam abſolvere videantur. Sed qui ſciunt & vere cognoſcunt purum noſtrum mercuriale ex regno elicitum & extractum minerali, tribus nominibus inſigniri, & vere dici animale, vegetabile, & minerale, ex hoc labyrintho facile ſe explicabunt, & videbunt in regno minerali reliqua duo regna, animale puta, & vegetabile eſſe connexa adeo ſimul, ut ſeparari nequeant, videbunt clare admodum purum noſtrum mercuriale metallicum habere ſecum duo metallica conjuncta, ita, ut non ſit neceſſarium illa iterum conjungere ad perfectionem ſuam. Si quis non hac ratione contentus ſit, habeat alia mercurialia ex regno animali & vegetabili conjuncta, & pura faciat, & conjungat, & per experientiam certus fiet, an neceſſaria ſint tria illa pura mercurialia ſimul conjuncta, ut liquorem Alkaheſt conſtituant & perficiant. Unde jam concludere poſſumus, liquorem Alkaheſt nihil eſſe aliud, quam verum Philoſophorum Mercurium ex regno minerali elicitum, puro ſuo corpore conjunctum, adeo ut ſeparari ab invicem nequeant unquam, ſed ſimul permaneant in liquorem lacteum & butyroſum omnia penetrantem & diſſolventem.

CAPUT XXX.

An ex liquore Alkaheſt ſimplici vel compoſito Lapis Philoſophorum confici poſſit?

NUllo pacto dubitandum eſt, quin ex liquore Alkaheſt poſſit & debeat confici Lapis Philoſophorum, cum nihil ſit aliud liquor hic Alkaheſt, quam Mercurius Philoſophorum, quia eſt præcipua pars Lapidis noſtri. Eſt autem liquor hic Alkaheſt duplex: Simplex unus, compoſitus alter, & tamen unum & idem conſtituunt, & in vera eſſentia conveniunt. Simplex componitur ex acido metallorum puro, & ſale metallico etiam puro & volatili reddito cum ſuo ſpiritu. Et qui in præparatione hujus ſalis & ejus ſpiritus non multum laboraverit, non facile perveniet ad hoc arcanum, quod totius naturæ metallicæ ſummum eſt ſecretum, valde tædioſum labore & ſudore. Multum enim in eo perficiendo eſt deſudan-

ſudandum aut laborandum. Compoſitus vero liquor Alkaheſt eſt adhuc factu laborioſior, & paratu multo magis difficilior: Ex acido enim mineralium & puro ſalſo animalium & vegetabilium componitur. Quod ſi quis Alchimiſtarum non multum laboraverit in eorum ſalibus volatilibus habendis, puriſque faciendis, nunquam perveniet ad hoc noſtrum arcanum. Quamvis enim hic facillime, ut videtur, deſcribatur, nihilominus tamen multa occultantur, quæ ſi non omnino cognoſcantur, ut fieri debeant, fruſtra tentabitur opus. Hinc falſum putabant nonnulli, quod tamen non, imo eſt veriſſimum: ſed artificem doctum expertumque omnibus Alchimiæ operibus faciendis expoſtulat. Studeant ergo in ſalibus fixis & alcalibus faciendis & purificandis: deinde hæc fixa ſalia volatilia reddant, & Deo dante, perficient opus, non tamen cum facilitate, ſed ſummo cum labore, & induſtria pertinaci & continua. Non hæc cito fiunt & ad perfectum finem conducuntur brevi tempore, ſed longo & tædioſo ſudore. Multa tuli, fecique, ſudavi & alſi antequam hoc arcanum perfecerim. Reliqua deinde, quæ ſuperſunt facillima, & coctione ſola perenni & continua abſolvenda ſunt & perficienda. Unde opus mulierum & ludus puerorum dicuntur, quod coctione ſola, & otio, & patientia ad finem perducuntur.

CAPUT XXXI.

Cur liquor Alkaheſt reducat omnia in primam materiam ſine ulla diminuta ſui actione?

CUm liquor Alkaheſt ſeu Mercurius Philoſophorum ſit purus putus naturæ ignis incorruptibilis & inalterabilis, facillime hinc colligere poſſumus, omnia reduci poſſe in primam ſui materiam. Penetrat enim ſummopere & diſſolvit partes miſtorum omnium, donec in ignem primum naturæ reducantur ab igne illo naturali. Ut enim aër in aërem habet ingreſſum, & aqua in aquam: Sic etiam potiori jure ignis in ignem habet ingreſſum, & ipſum penetrat. Non ergo admirandum eſt, ſi liquor Alkaheſt, cum ſit purus ignis, penetret omnia, & diſſolvat ſine diminutione ſuæ actionis, cum non repatiatur ab agentibus, quæ ipſe liquor diſſolvit & reducit in primam materiam. Unde non diminuitur ejus actio, quia tunc ſemper ignis igni additur. Unde cum ignis non pereat, nec diminuatur, ejus actio etiam diminui non poteſt: Quod miran-

tur, nec comprehendere ignari queunt, putantes, omnia agentia debilitari agendo, & tandem perire omnino eorum agentium actionem: quod tamen in Liquore Alkaheſt non fit: ſed magis ac magis dum agit, creſcit ejus actio, & fortior & potentior evadit; Et ratio in promtu eſt, quod liquor ille ſit igne naturæ plenus, & totus verus ignis naturæ, liquore iſto tectus & circum volutus. Unde ejus actio nunquam imminuitur, cum ejus ignis creſcat igne diſſolvendorum. Unde concludere poſſumus, liquorem Alkaheſt igneum vere eſſe, non igne elementari, ſed cœleſti penitus & centrali, incorruptibili, & inalterabili, omnia penetrante & diſſolvente in primam ſui materiam, quæ eſt ignis naturalis & centralis in omnibus rebus repertus, & in liquore iſto Alkaheſt copioſe concentratus, cujus ope, & auxilio ejus actio nunquam diminuitur, ſed ſemper in eo ſtatu permanet.

CAPUT XXXII.

An Liquor Alkaheſt, poſtquam metalla perfecta in materiam primam reduxerit, ſit ex metallis diſſolutis ſeparandus, vel cum ipſis relinquendus, ut coquantur ſimul ad perfectionem ultimam?

IN metallis perfectis reſolutis, & in materiam primam reductis per liquorem Alkaheſt, quicquid illis eſt neceſſarium, ineſt illis ad perficiendum Lapidem Philoſophorum. Quod ſi Liquorem Alkaheſt ſeparare quis cupiat, id facere poteſt, & citius terminabitur hæc metallorum perfectorum diſſolutio in Lapidem perfectum, ſeu in Sulphur fixum Philoſophorum. Tum enim in metalla imperfecta incrudantur & ſumunt ex Liquore Alkaheſt ignem naturæ, purum quidem, ſed crudum & incoctum, unde coctione eſt maturandus, & ad perfectionem conducendus, donec perfecte figatur. Liquor autem Alkaheſt eſt totus ignis, ſed liquore mercuriali diſſolutus: unde crudus eſt ignis & immaturus, & quantum eſt liquoris iſtius, tantum eſt Mercurii crudi; unde diuturniori coctione eget, ut maturetur. Propterea non imprudenter faciunt illi, qui liquorem ſuum ſeparant, poſtquam perfecta metalla ab iſto liquore diſſoluta ſunt, quia tunc temporis citius coquuntur metalla perfecta diſſoluta, & figuntur, quam ſi relinquantur conjuncta cum liquore Alkaheſt,

kaheſt, quia plus eſt Mercurii crudi, cum liquor Alkaheſt relinquitur conjunctus cum ipſis. Concludendum ergo eſt, liquorem Alkaheſt eſſe ſeparandum ex metallis a liquore iſto diſſolutis, ut citius figantur; Si vero non ſeparetur liquor iſte, nihil mali eſt, ſed longiorem expoſtulat coctionem, ut ultimam fixionem & perfectionem acquirant metalla perfecta ſic diſſoluta. Sed etiam facilius liquantur in igne, quod quidem eſt ſumma perfectio Lapidis, dum eſt liquatu facillimus. Sic enim in intimos metallorum imperfectorum receſſus penetrat, & ſe inſinuat facilius, cum habeat copiam Mercurii, qui liquiditatem & facillimam fuſionem præſtat in omnibus, & nobilitatem & præſtantiam ita, ut Lapis, qui multoties ſolutus fuerit per liquorem Alkaheſt, ſeu Mercurium Philoſophorum, ſit præſtantior & nobilior illo, qui non fuit tantopere ſolutus, & de novo coagulatur, cum non habeat tantum Mercurii, ut ipſe Lapis, qui multoties ſolutus & iterum coagulatus fuerit. Solutiones enim, & coagulationes ſæpius iteratæ non ſolum augent Lapidem, & multiplicant quantitate; ſed & virtute & proprietate, ut teſtantur Autores, qui de hac re ſcripſerunt; ita, ut ſi ſolutio prima cadat ſuper centum in projectione, ſecunda cadat ſuper mille; ita, ut Augurellus, Poeta Chymicus, aſſerat, in tantum multiplicari poſſe lapidem, ut granum unum projectum ſuper quantitatem infinitam Mercurii aquæ Oceani ipſius æqualem, in aurum illico transmutaret, modo calefieri poſſet.

CAPUT XXXIII.

An Liquor Alkaheſt habeat in ſe Sal, Sulphur, & Mercurium Philoſophorum?

IMpoſſibile eſt, Liquorem Alkaheſt facere poſſe veram & legitimam metallorum diſſolutionem, & omnium rerum reductionem in primam materiam, quin in ſe habeat vera & legitima metallica principia, ſeu Sal, Sulphur, & Mercurium perfecta in ſe diſſoluta & alcoholiſata, alioquin enim non poſſet facere hanc diſſolutionem. Sola enim naturæ principia perfecte diſſoluta, & inter ſe unita, & ſimul conjuncta facere poſſunt hanc perfectam diſſolutionem, & rerum omnium reductionem in primam materiam. Sola enim prima materia hanc diſſolutionem, ſeu in materiam primam reductionem facere poteſt, cum ſimile in ſimile agat, & ideo ſola

mate-

materia prima reductionem in primam facere ſolet. Liquor Alkaheſt eſt materia rerum omnium prima in liquorem redacta, & ideo etiam habet Sal, Sulphur & Mercurium rerum omnium in liquorem redacta, & proinde etiam omnia in Sal, Sulphur & Mercurium reducit, nullis fere relictis fecibus. Quia omne mixtum nihil eſt aliud, quam Sal, Sulphur, Mercurius naturæ inter ſe unita in compoſitione mixtorum; ideo nullæ fere ſunt feces in reductione tali per liquorem Alkaheſt, cum omnia in compoſitione mixtorum ſint Sal, Sulphur & Mercurius principia naturæ, quæ ſola cum in principio compoſitionis reperiantur, & ſola etiam tantummodo in reductione compoſitionis reperiri neceſſe eſt, aut darentur principia quatuor, vel plura. Ideo non reperiuntur excrementa in vera reductione. In aliis vero diſſolutionibus & reductionibus, quæ ſpiritibus Salium fiunt plura & copioſa reperiuntur excrementa, quæ quidem non ſunt excrementa vera, ſed ſunt partes principiorum, quæ diſſolvi nequeunt, & cum diſſolvi nequeant, excrementa cenſentur ab iis, qui Naturam non norunt; ſed ſi illa excrementa recipiantur, & in liquorem Alkaheſt projiciantur, tunc temporis vere diſſolvuntur, & nihil ſupereſt fecis & excrementi. Quod ſi ego ipſe multis in locis aſſeruerim eſſe excrementa in natura, & in compoſitione mixtorum, non ego tunc temporis adhuc videram actionem liquoris Alkaheſt. Maneat ergo firmum & certum, liquorem Alkaheſt habere ſecum Sal, Sulphur, & Mercurium Philoſophorum, quorum ope & auxilio omnia reducit in materiam rerum primam; & vere diſſolvit, absque ullis fecibus relictis. TANTUM!

Huc referri merentur Literæ Solertiſſimi Domini FABRI, quas poſt ſuum ab eo diſceſſum ex Gallia Narbonenſi accepit Norimbergæ HELIANTHUS. I.

Vir Clariſſime!

Accepi pergratam Tuam Epiſtolam die 23. Menſis Octobris hujusce Anni 1642. cujus reſponſum hic habe. Summa lætitia afficior, quod librorum meorum, & Palladii præcipue lectione ſis delectatus; major tamen ſciendi cupiditate & delectamento Te irretiri credam lectione Hydrographi mei, quia clarius & dilucidius medullam Naturæ detexi in ipſo, quam in Palladio: Sublimiora quædam & altiora in Palladio naturæ energiam & δύναμιν perquiſivi & patefeci; at in Hydrographo facilius & dilucidius ſub nomine *Spiritus*, *Aqua Calchantea*

tæ puta, totum naturæ Myſterium filiis artis hermeticæ detexi. Sal enim omne, ſive ſit animale, ſive vegetabile, ſive minerale, ſpiritus eſt aquæ congelatus, actione & energia Sulphurei luminis, apud Philoſophos vulgo calidum dicitur. Spiritus ergo hic naturæ δύναμις & energia calido innato ſuo Salis corpus ſuſcipit, ex quo deinde filii artis eundem ſpiritum arte ſua eliciunt, ipſumque attenuant, & tenuiſſimo ac ſubtiliſſimo corpore circum veſtiunt, ut eo ipſo corpora metallica perfecta attenuare poſſint, & in eundem ſpiritum convertere queant; ut virtus illa ingens & præpollens, quæ metallis ineſt, & ſepulta eſt, haberi poſſit, energia incredibili illuſtrata. Si ex Sale minerali viridi & cœruleo hunc naturæ aureum ſpiritum educere valeas, eumque ſublimatione attenuare queas, & tenuiſſimo ejusdem Salis corpore ipſum circum veſtire poſſis, habebis florem naturæ univerſæ ſpiritualem & præpotentem, cujus virtute florem aureum poſſidebis, & vitæ humanæ theſaurum parentis Tui unicum ſolatium. Si eſſet præ manibus, lubenter offerrem, ſed neſcio, qua occulti fati lege mihi adhuc denegata ſunt hæc naturæ Myſteria: Sal Vitrioli purum putum ſpiritu ſuo acido imprægnatum, nulla alia acutiori præparatione ſublimatum, eſt arcanum morbi parentis Tui. Doſis eſt ℈ß. in aqua communi laudati fontis ſummo mane ſumtum, & duabus horis tranſactis aſſumi debet juſculum optimum. Communica ſi placet, Domino Capuccio, ea quæ ſunt ex arte, in hac Epiſtola exarata & delineata, & Epiſtolam, quam illi dedico, ſartam tectamque illi transmitte quæſo, & me devinctum ſummo amoris vinculo detinebis, Vale & me exiſtima

Caſtelnovidarri 24. Menſis
Octobris 1642.

perpetuum tuum & obſequentiſſimum
ſervum & fidelem Amicum,
Petr. Joh. Faber.

Miratus ſum Tuam Epiſtolam, quam die prima menſis Januarii accepi in felicitatem hujus Anni, & potiſſimum miratus ſum laborem Amici Tui ſuper acetum phyſicum Vitrioli purum & putum, & cum eodem Sale fixo puro & puto conjunctum, nullus ibi error commiſſus eſt, niſi fortaſſe in longanimitate & patientia, quæ ſatis longa non fuit, hæc enim ambo multoties & diu percoquenda ſunt, ut vult illud tritum axioma Philoſophicum: *Coque, coque, coque & iterum co-*

que, nec te tædeat prolixitatis, quia in coquendi prolixitate conſiſtit arcanum: Unde *Morienus: nihil aliud eſt opus noſtrum, quam aquæ noſtræ ſuper terram remiſſio, donec ipſa terra putreſcat, una cum aqua, & mundificantur ambo, quæ quidem putrefactio & mundificatio in brevi tempore fieri non poteſt, poſtquam autem putrefacta ſunt & mundificata, facili negotio invicem connectuntur, & nunquam amplius ſeparantur, ſed fiunt unum quid, tingere, penetrare & permanere, & facile fluere, ubi eſt arcanum.* Itaque ſi patientiam habeat Amicus ille tuus in putrefactione & mundificatione materiæ noſtræ, & ejus matrimonio, certiſſime poſſidebit arcanum. Nihil enim eſt aliud opus Philoſophorum quam perfecta dealbatio & perfecta rubificatio, quæ in putrefactione & mundificatione conſiſtit. Lege verorum Codicem Philoſophorum omnium, qui hac de re ſcripſerunt, nihil aliud invenies præter illud, quod in hac pagina Tibi exaravi, cum ſcire naturam nihil aliud eſt opus, quam ſeparare ejus materiæ elementa, & eadem purificare, & ab excrementis mundare, & mundata conjungere, & unum facere. Hinc ex hac præparatione exſurgit terra foliata, ſeu Sulphur naturæ albiſſimum, & rubei Leonis ſanguis, ex quibus fit verum & legitimum Philoſophorum matrimonium, & his conjunctis, nihil aliud ſupereſt, quam ſola & ſimplex coctio, donec illa duo fiant unum fixum & permanens, & igni perquam facile fluens, penetrans & tingens. Ex Sale ergo tuo cum ſpiritu tuo extrahe Sulphur naturæ & rubeum ejus ſanguinem per repetitas cohobationes & conjunctiones, donec Sulphur illud & ſanguinem habeat, hæc divide, conjunge, & coque, time, & lauda DEUM & ama. Fratri & Amico chariſſimo hæc dicta ſint. Vale & me ama. Datum in Ædibus noſtris die 9. Menſis Januarii Anno 1643.

Tuus ad omnia fidelis Servus & Amicus

Petr. Joh. Faber.

Chariſſime atque Doctiſſime Amice!

Tuam ultimam Epiſtolam Norimbergæ exaratam Menſe Martii accepi: in ea de difficultate operis Chymici ex Vitriolo communi doles, neque ſine magna cauſa; Ex cruditate enim ipſius & frigiditate hoc dependet. Et ſcias ejus cruditatem & frigiditatem calore naturali & Balſamo vitæ ipſius ſpiritus Vini rectificati corrigere, &

ambo

ambo ſimul juncta caloretepido putrefacere: extrahes ſic verum Mineralem Mercurium & Sulphur metallicum, quod ſepties deſtillatum & ſic purificatum vera eſt clavis ſolutionis noſtræ, & qua ſola eviſcerantur corpora metallorum, tam perfectorum, quam imperfectorum, ut ſic ex reſeratis occultum naturæ fiat manifeſtum, & manifeſtum occultum: Et hoc occultum metallicum purum putum factum cujus & ſola coctione, ut ad fixationem perfectam conducatur. Hoc eſt etiam verum acetum Philoſophorum cujus beneficio non ſolum plumbi, verum etiam reliquorum metallorum habetur natura occulta, quæ Sulphur naturæ & Mercurius ſunt, quæque ſejuncta & conjuncta poſt eorum depurationem noſtrum perficiunt Elixir ſola coctione. Laudo ego, quod in Anatomia metallorum labores, in hac enim multa videbis, & ſi ſcis *acetum Vitrioli* & ejus *Sal cum ſpiritu Vini rectificato* conjungere, & ſimul putrefacere, ex hac putrefactione orietur Tibi Mercurius & Sulphur verum, quod ſolutum erit *Acetum Verum Philoſophorum* quo poteris interiora Metallorum perſcrutari. Vale bene, ad omnia fidelis Amicus

Dat. Caſtrinoviduni, die 27. Maji
Anno 1643.

Pet. Joh. Faber.

Vir Clariſſime!

Accepi Tuam gratiſſimam Epiſtolam, die 1. Septembris 1644. ex qua percepi, te bene non capere præparationem Vitrioli, ſecundum legem naturæ & Philoſophorum, qui hoc ſecretum habuerunt, quocirca Tibi legendus *Iſaacus Hollandus de Mineralibus* in Tomo III. Theatri Chymici, ubi clariſſimis verbis invenies præparationem tanti ſecreti & Theſauri. Ex omnibus metallis poteſt educi Vitriolum ſeu Sal fuſile & purum, quod eſt verus Lapis Philoſophorum, in quo ſolo eſt Sol, Luna & Mercurius Philoſophorum ſimul conjuncta & viva, de quibus loquuntur Philoſophi omnes, & non de vulgaribus, quæ mortua ſunt. Tinctura rubea dicitur Aurum, Tinctura alba dicitur Mercurius, Luna & humidum radicale, quod conjungit hæc Tinctura dicitur, Mercurius. Habes omnia veriſſima & percipies dicta omnia Philoſophorum. Vale & me ama, participem hujusce Literæ fac Dominum Cappuccium, nihil enim amplius & ſcribere poſſem & clarius.

Pan-

Panchymicum meum non adhuc typis eſt excuſum incuria & negligentia Typographi. Duo peracti ſunt anni, ex quibus inceptum eſt hoc opus & nondum peractum.

Proceſſus Fabri a quodam Chymico contractus, & illuſtratus Lectori communicatur.

Recipe 1.) Sal minerale viride & cœruleum, ſive Vitriolum.

2.) Solve in deſtillata aqua pluviali, vel rore.

NB. Affundatur Vitriolo aqua pluvialis, vel etiam communis calida, antea filtrata, Vitriolum agitetur probe in aqua calida ſpatula lignea, & ſtatim poſt ſolutionem filtretur, ſic pars ejusdem citius cryſtalliſatur, etiam inter filtrationem, & 24. horis præterlapſis magna cryſtallorum copia acquiritur.

3.) Filtra & evapora aquam ad cuticulam.

4.) In cellam pone ad cryſtalliſandum.

NB. Quia tota Vitrioli portio non ſimul in cryſtallos abit, liquidum effundatur, evaporetur iterum ad cuticulam, & de novo cryſtalliſetur, evaporatio toties repetitur, usque cryſtalliſatio ceſſet. Cum cryſtallis ſecundum numerum 5. & 6. procedatur. Sique ſumme hoc modo purificatum Vitriolum, in fornace calida hypocauſti ultima vice in pulverem albæ farinæ ſimilem mutatum ſit, deſtilletur illud primo leniſſimo, deinde fortiori igne, usque tandem juxta Num. 8. fortiſſimus ignis adhibetur.

5.) Siccetur, h. e. in hypocauſto calido in pulverem farinoſum mutetur.

6.) Hic labor repetatur, usque Vitriolum nullas feces deponat.

7.) Miſceatur cum tripla quantitate boli rubri, vel bene calcinati Lapidis Lazuli.

NB. Hæc Mixtio eſt ſuperflua.

8.) Deſtilla ex retorta vitrea loricata igne fortiſſimo, in vas recipiens bene lutatum circa orificium, ſatisque magnum, ſic prodibit aqua nimis acida, acris & vehemens.

9.) Aquam hanc acidam in Balneo leni calore ſepties dephlegma, & in phiola vitrea bene ſerva.

NB. Mariæ Balneum tam lene ſit, ut manus ſine dolore in aqua teneri poſſit, ita primum ſubtiliſſimus ſpiritus Sulphureus aſcendit, qui tam odore, (quamvis vas recipiens, quod nimis amplum non requiritur optime lutatum ſit) quam forma bullularum minimarum ſalientium ſe prodit; ſi nullæ bullulæ amplius obſervantur, vas recipiens mutatur, & calor Balnei ita augetur, ut manus ſine dolore aquæ amplius immitti non poſſit;

tunc

tunc deſcendit phlegma, concentratiſſimus vero ſpiritus, qui hoc labore deſideratur, & Mariæ Balneo elevari non poteſt, ceu liquor flavo rubeſcens in fundo cucurbitæ fluidus remanet, unica itaque ſufficit dephlegmatio.

10.) Caput mortuum in vaſe deſtillatorio relictum, ut ſupra a Num. 2. ad 6. pura aqua pluviali purificatur, usque dum nullæ feces cadant amplius, ſed Sal ſive corpus purum appareat.

11.) Hujus corporis ſalini puri recipe partem unam, & ſpiritus ſepties rectificati partes duodecim, miſceantur probe, ut Sal in ſpiritu ſolvatur.

12.) Imponatur Balneo leni in phiola bene lutata, per dies 40, vel 2. aut 3. menſes ad putrefactionem usque dum nigreſcit.

13.) Deſtilla hanc Mixturam per retortam vitream calore cinerum usque corpus Salinum ſiccum remaneat.

14.) Materiæ, quæ in fundo retortæ manet infundatur ſpiritus, & ab illa iterum abſtrahatur; hæc affuſio & deſtillatio toties repetatur usque ſpiritus cum corpore unitus maneat, & ambo conjuncti volatiles tranſcendant in forma aquæ albæ lacteæ, quæ in frigore ceu butyrum coagulatur, in calore vero iterum diffluit.

NB. Quælibet deſtillatio novam requirit retortam.

15.) Hæc aqua lactea dephlegmetur ſepties ex cineribus, & in vitris bene firmatis probe aſſervetur.

NB. Quoties dephlegmatur, nova adhibenda retenta.

NB. Ad dephlegmationem melius eſt M. B. quam capella cum cineribus, rationem vid. Num. 9.

16.) Hic Mercurius Philoſophorum per coctionem continuam vel digeſtionem in vitro clauſo, ſine ullo additamento, primo in Sal album, diuturniori digeſtione vero in Sal rubrum mutatur, quod Elixir Sophorum ignem patiens dicitur.

17.) Ad fixationem accelerandam ante coctionem vel digeſtionem huic Mercurio Philoſophorum 7. vel 10. partes auri ad rubram, vel totidem argenti ad albam Tincturam miſcendæ & una figendæ ſunt. Hæc eſt Medicina ad homines.

18.) Ad Metalla tingenda, Sal hoc injiciatur auro, vel argento, in tigillo fluenti, quod ſtatim ingreditur & friabile reddit; Hic pulvis imperfecta metalla in aurum & argentum mutat; prout nempe auro vel argento mixtum ſit.

19.) Si ad hunc laborem vulgare ſaltem Vitriolum adhibetur, ejus cruditas & frigiditas calore naturali & vi balſamica mutanda eſt, h. e. acetum ſeu ſpiritus

 Vitrioli

Vitrioli & ejus Sal cum ſpiritu Vini rectificatiſſimo conjungantur, & in moderato calore, prout Num. 12. dictum, putreſcant.

NB. In Proceſſu Fabri ſtatim in principio oleum Vitrioli cum ſpiritu Vini rectificatiſſimo digerendum, deinde ſpiritus ab oleo per deſtillationem abſtrahendus eſt, quo ex capite mortuo Vitrioli Sal mediante digeſtione extrahatur, filtretur, & oleo iterum affundatur.

Curioſe Lector, Promiſſa ſunt ſervanda; In titulo hujus Tractatus promiſi præter Beati Avi Tractatum, & Johannis Fabri Manuſcriptum, varia utilia & huic materiæ analoga annectere; Me enim non latet plurimos Medicinam Univerſalem ex Materia Univerſali quærentes & præparantes, non in nihilum, DEO benedicente, laboraſſe, non pauci vero via proximiori, imo proxima incedere poſſe judicant, ad metallorum perfectionem, & medicinam ſummam ad corpora humana obtinendam, totum laborem *ex Metallis, in Metallis*, & *per Metalla* abſolvi credentes. Apponam igitur pace Tua, D. Adami Gottlob Berlichii Diſſertationem de Medicina Univerſali. e regno Minerali petenda, Anno 1679. Jenæ habitam, poſthæc vero, ni fallor, typis non ulterius expreſſam. Accipias porro benevola mente, *D. Emanuelis Kœnigii Profeſſoris & Medici Baſilienſis Epiſtolam de Elixirio Sophorum, Ejusque Obſervationes de modo exaltationis, & vitrificatione Metallorum.* Cuncta probes, cui ſententiæ vero faveas, per me licebit: interim Univerſalem Tincturam ex Metallis parare volentibus, medio quodam efficaciſſimo opus eſt, ad duriſſima Metallorum corpora ſolvenda, eorumque principia extrahenda, & ad extremum perfectionis gradum evehenda, quod unice & omnium optime menſtruum quoddam e Materia Univerſali Methodo hactenus dicta paratum præſtabit, ſuperiorum enim & inferiorum Symboliſmus & Harmonia luce meridiana clarius hoc docet, & credere fas eſt.

I. D.

I.

D. Adami Gottlob. Berlichii,
DISSERTATIO INAUGURALIS
De
MEDICINA UNIVERSALI.
Jenæ habita Anno MDCLXXIX.

Præfatio.

SOlent, Lector benevole, qui pro adipiſcendis honoribus in Facultate Medica ſupremis, cathedram conſcendere tentant, alii aliam, plerique tamen ſuo quodam conſilio, non improbando quidem, particularem quandam diſputationis propone materiam, quo ſuum in Arte Medica ſtudium & profectus audientium Coronæ comprobent. Mihi vero poſt exantlata examina conſueta & conceſſam publice diſputandi veniam, dignum iſto loco & ordine circumſpicienti argumentum, in mentem venit illius, quo plerique adſtringendum calamum compelluntur, nempe *primam quidem & potiſſimam laudem magna gerentibus deberi, proximam vero magna patrandi viam ac modum ſcripto commonſtrantibus.* Nec injuria. Ita enim quaſi natura comparati ſumus, ut alius ſapienter cogitandi vi & ingenii acumine, alius proſpere agendi efficaci conatu polleat, cum DEUS omnia cunctis æqua lance non diſtribuerit, quemlibet tamen ad certum munus in ſocietate hominum diligenter obeundum deſtinaverit, dotibusque ad res ſuas cum laude gerendas exornaverit & inſtituerit. Hæc mecum reputans, judicavi in præſtantiori temporibusque noſtris utiliori argumento meam non poſſe verſari diſputationem; quam, ſi omnium ore ac vocibus decantatam, plurimorum votis ac deſideriis exoptatam, a multis anxie quæſitam, plerisque negatam,

 paucis

paucis viſam, pauciſſimis conceſſam Medicinam, glorioſo nomine, univerſalem vocatam, pro ingenii mei viribus deſcriberem. Etſi vero non pauci in eodem argumento ſuum non mediocriter exercuerint animum, pariter & calamum, neſcio tamen quo caſu factum, ut minor ſperato ex eorum ſcriptis ad pleroſque ſecretiſſimæ artis ſtudioſos redundaverit fructus, niſi forte, quia plerique videri magis voluerunt, quam eſſe ſtuduerunt, rerum a vulgi captu reconditarum participes, vanaque gloriæ cupiditate ſtimulati ignota ſibimet ipſis ad comparandam ſapientiæ laudem, ambitioſo ſcribendi genere uſi ſimpliciorum fidem occuparunt; alii vero, quos DEUS, pro ſuo liberrimo beneplacito, incomparabili illo Dono beaverat, ad tegendam profanis mentibus artem, verborum obſcuritate & ænigmatum tenebris omnem ſuam doctrinam involverunt, ut a paucis, & iis ſolum

quos æquus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera Virtus,

intelligeretur; Factam inde videtur, ut verorum quidem Autorum libri laudarentur, ſophiſtarum vero mendacia, verius quam dogmata, colerentur, quanquam cum irreparabili multorum damno, & famæ pariter ac pretioſiſſimi temporis jactura. Quibus omnibus ut obviam eatur, & utrumque extremum evitetur, nec falſa ſcribam, nec obſcura, quorum alterum honeſto viro indignum, alterum vix ulli proficuum, ſed media via ingrediendo, obſcuritateque a verorum ſcriptis remota, ea plano ſtylo proponam, quæ mihi vel attenta bonorum Librorum lectio, vel profunda meditatio, vel denique ipſa experientia, certiſſima artium omnium magiſtra, ad veritatem dux fideliſſima, & unica dubiorum omnium judex æquiſſima, DEO favente ſuppeditavit. Tu vero, Lector Benevole, lege prius, poſtea judica, ne videaris ex odio potius, quam ex judicio talia ſpreviſſe, triti illius non immemor: facilius eſſe reprehendere quam imitari, incredulitatisque mercedem eſſe ignorantiam. Vos vero fideles hujus Medicinæ Univerſalis indagatores, ſi quam forte querimoniam de me intendere, aut mihi tanquam ſilentii violati reo diem dicere placuerit, propter arcana prurienti utcunque ſtylo in vulgus emiſſa, nimiæ erga vos benevolentiæ reum habebitis confitentem, eum damnate, ſi fuerit animus, modo crimen meum, apud vos beneficii vicem expleat, delictum non ingratum, pœnam ſuavem mihi fore vobis polliceor, ſi hoc unico erraſſe me ſentiam, quo vos poſthac errandi finem faciatis.

CAPUT

CAPUT I.

Ad Medicinam Univerſalem anhelans, a pietate ſuum auſpicetur ſtudium.

Rerum agendarum a Diis immortalibus capienda primordia, etiam ſapientiores cenſuerunt Ethnici, & ſine Deo neminem unquam fuiſſe virum magnum *Plato* jam olim agnovit; Pulchre in hanc rem Poëta canit:

Nullus eſt felix conatus & utilis unquam,
Conſilium ſi non detque juvetque Deus.

Pietatem ad omnia utilem, Apoſtolus commendat; quanto magis ea rerum adeo ſublimium ſcrutatori debet eſſe commendata, imo tanta ejus omnino eſt ad acquirendum aureum illud vellus neceſſitas, ut laterem lavare exiſtimetur is, qui ſine Deo hoc ſtudium exorditur. Vetus quidem, *Thomæ Aquinatis*, ni fallor, eſt dicterium, artem illam vel invenire probum vel efficere; at vereor ne non efficiat pium, quem non invenit. Mirabiles equidem univerſalis Medicinæ effectus in animis improborum meliores poſſe excitare cogitationes, non diffiteor, eos tamen feliciter hanc tractare artem, qua efficaciſſimum contra omnes rerum naturalium defectus paratur remedium, plane pernego. Sapientia enim, ſapientiſſimo Regum Rege teſte, animam improbam non ingreditur, nec corpus inhabitat peccatis obnoxium. Videas hinc tot errantium a vero ſcopo cohortes, vitam cum fama opibusque miſere perdentium, qui cum unicam rerum feliciter gerendarum omnium cynoſuram Deum oculis præfixam non habeant, in immenſo errorum pelago falſarum opinionum procellis jactati, tandem exitioſæ deſperationis petræ alliſi, miſerrime pereunt, dignamque auſu adeo temerario reportant mercedem. Aliter tibi, fidelis amator hujus artis, aliter inquam agendum; ſit tibi etiam principium artis pulcherrimæ, timor Domini, finis vero charitas & amor proximi. Recordare Medicinam univerſalem donum Dei eſſe, quod quibus placet, per gratiam largitur, & a quo vult, ſubtrahit. Perpende rerum cognoſcendarum amplitudinem & varietatem, aſpice ſcriptorum tibi evolvendorum ac penitus perdiſcendorum, obſcuritatem, animo perluſtra multiplicium operationum ambages & pericula atque errorum devia, quæ operantem undique circumſtant, & facile intelliges, quod mens humana, niſi a ſuperioris luminis radio accenſa, tot

tenebras penetrare, tot diſcrimina ſuperare non poſſit. In abditis naturæ receſſibus latet, quem quæris, theſaurus, nec protrahi in lucem ab ullo mortalium poteſt, niſi viam commonſtrante Deo. Magnum eſt, quod ſuſcipis negotium, magno igitur conſilio pariter & auxilio gerendum. Conſilio & benedictione divina opus habes, ad intelligenda adeptorum ſcripta, adeo obſcure ſcripta, ut luce divina illuſtrata mens, punctum veritatis, ad quod allegoriæ veterum velut ad centrum quoddam collimant, inter tot verborum nebulas dignoſcere queat. *Lullius* ſcriptorum copia & rationum pondere celebris, ſponte ſuum incelanda arte ſtudium fatetur, ſed & tutiſſimum ſeſe expediendi ex verborum ad turbandos indignorum animos compoſitorum tricis, commonſtrat remedium, ſi, inquiens, cum prima rerum omnium cauſa Deo concordaveris, is intellectum tuum per lineam rectam ducet ad intelligenda ea, quæ cæteris ſunt obſcura. Ora Deum amice, ut hunc habeas ſtudii tui auſpicem & ducem, ſic haud dubie feliciter ad ſummam hujus difficillimæ ſcientiæ tandem aſpirabis apicem, nec facile in miſerandos perverſarum opinionum tramites ſeductus voto excides omni. Cave tamen ſufficere putes, ſi aſſecutus fueris Medicinæ univerſalis cognitionem plures enim, memoriæ proditum, artem intellexiſſe, quam tamen exercere, ſummamque Medicinam ex materia ſibi tandem perſpecta parare vel nunquam ſunt aggreſsi, vel longo labore feſsi iterum deſeruerunt; alii etiam infortunio quodam aut aliis caſibus præpediti conſpectam ſibi jam dum promiſſionis terram, fato prohibiti, non ſunt ingreſsi, velut Moyſi quondam contigit. Ea enim eſt Divini & ter ſanctiſſimi Numinis providentia, ut omnibus certum præfixerit terminum, nec quosvis promiſcue ad tanti theſauri, licet ſibi optime perſpecti, admittat poſſeſſionem. Quamobrem aures præbe *Sendivogio*, dicimus, inquienti tractatu de ſulphure, hanc artem ſolius altiſſimi Dei donum eſſe, qua cognita orandus eſt, ut etiam ad artem hanc benedictionem ſuam dare dignetur, quoniam ſine benedictione divina omnino inutilis eſt. Nemo itaque (ut verbis d'Eſpagnet ſive Autoris Hermeticæ Philoſophiæ utar) ad ejus ſtudium ſe convertat, niſi mundato prius & defecato corde rerum mundanarum amore ac deſiderio vacuum ſe Deo totum voverit. Continuo ante oculos habe, vel in animo potius, egregium illud: ORA & LABORA, & Deus dabit ſua hora.

CAPUT

CAPUT II.

Apex humanæ ſapientiæ eſt cognitio Medicinæ Univerſalis.

ESſe in quolibet rerum genere ſummum, (adeoque præſtantiſſimum) Ariſtoteles docet. Ac proinde fieri non poteſt, quin etiam in ſcientiarum artiumque encyclopædia aliqua occurrat, quæ cæteris omnibus palmam præripiat. Quo fundamento autem ejusmodi prærogativa nitatur, quibusve documentis poſſit probari, non adeo eſt expeditum. Sunt, qui diſciplinarum dignitatem ex objecti, in quo explicando verſantur, præſtantia evincere ſatagunt, ſed non adeo certo argumento. Si enim ea valeret ſententia, tunc iſta naturalis ſapientiæ pars, quæ lucem, ſubſtantiarum omnium, ut ſimpliciſſimam, ita ac in exhauſtis agendi viribus ſemper gravidam, præcipuumque cœleſtium corporum ornamentum, conſiderat, vel Chryſologia, quæ auri corporum omnium perfectiſſimi notitiam confert: vel denique Anatomia, quæ fabricam corporum omnium, artificioſiſſimi, humani ſcilicet, detegit, primum occupare locum deberet, quem tamen neutri harum quisquam facile concedet. Sin vero a cognitionis certitudine ea dependeret, Matheſis demonſtrationum in concuſſo robore principatum facile aſſequeretur, quam tamen plerique ſpernunt, quia nunquam cognoverunt. Quod ſi tandem ex ſcientiæ ſubtilitate ejus æſtimanda eſſet dignitas, corpuſcularis ſ. Atomica philoſophia, ut Anglis ſalutatur, triumpharet, quæ in ſubtiliſſimarum partium, & tantum non indiviſibilium figuris, proprietatum operationumque, quas in corporibus conſpicimus, cauſas & origines, magno quidem conatu, at plerumque irrito, effectuque vano & ridiculo, inutili certe labore indagare ſtudet. Certe iſti Philoſophi non diſſimiles videntur illi, qui neglectis, quos arbor larga quaſi manu mortalium indigentiæ vel delectationi porrigit, fructibus, in curioſa, ſed inutili, radicis indagatione, variarumque ſtriarum obſervatione ac dimenſione verſaretur. Quæ cum ita ſint, facile patet alii ſuperſtruendam fundamento ſcientiarum prærogativam, quod in ſola *vera* ponimus *utilitate.* Quid enim prodeſt, curioſa indagaſſe, ſi ignores utilia? Socratem ferunt docuiſſe: Quæ ſupra nos, nihil ad nos, ſcilicet ut a præpoſtero rerum captum hominis ſuperantium ſtudio, avocaret homines. Melius dixerim: Quæ inutilia nobis, nihil ad

ad nos. Cur inutilibus animum pariter & corpus defatigares? Certe Deus, cum omnia uſibus humanis deſtinaverit, ſibi ſolam reſervavit gloriam & grati animi celebrationem unicum redhoſtimentum, ab ingrato homine nihilominus fruſtra expectat. Sapiens antiquorum ſapientum vox erat: *Cui bono?* ne ſcilicet variis rebus intenti, inutili labore laſſarentur. Ipſe generis humani Reparator Chriſtus, ex eorum fructibus, inquit, cognoſcetis eos.

Omnis quippe ſuo res commendatur ab uſu.

De cæteris artibus, ex quibus nihil utilitatis ad nos redundat, dici poteſt, quod de arbore ſterili Poëta:

Miraturque ſuas frondes & non ſua poma.

Relinquamus talia ſuis baſiatoribus, placeant nobis utilia. Et cum eorum omnium ſuus etiam ſit ordo, utiliſſimum dicamus, quod maximum præſtat emolumentum, eamque artem, quæ ejus poſſeſſionem nobis largiri nititur, primo loco ponamus. Hanc vero cognitionem Medicinæ Univerſalis eſſe, ſupra quidem aſſerui, nunc vero clarius exponam.

Intelligitur autem ſub Medicina Univerſali, ſupremum perfectiſſimumque medicamentum, ex materia mineralium ſubtiliſſima, arte ſophica paratum, ad tollendos defectus corporis humani omnes, vegetabiliumque vim augendam, & metalla imperfectiora perficiendi virtute pollens. Ex quo certo conſtat, artem quæ in ejus præparatione verſatur, eſſe omnium, quæ homini conceſſæ ſunt præſtantiſſimam, propter nobiliſſimum ejus effectum, qui conſtantem ſanitatem, fortunarumque copiam, duo præcipua vitæ felicioris columina pollicetur. Legat qui velit Helmontium, adeptorum participem, de medicamentorum poteſtate, cæteraque ejus ſcripta incomparabilia perluſtret, & facile concipiet animo, non exiſtentiam ſolummodo, ſed & modum quo Univerſalis Medicina ſuam in corpore humano exercet efficaciam. Cum enim ſanitas æque ac morbus a ſpiritu, animæ organo, actionumque omnium patratore genuino, quem ille nominat, Archæum, dependeat, illa quidem, ſi hic recte ſe habeat, ſuoque, cui a Deo præfectus eſt, muneri ſatisfaciat, in partibus omnibus vitali ſua præſentia irrorandis, in alimento recte digerendo, pro neceſſitate cuique juſta lance diſpenſando, ſuperfluasque illius partes inter coctionem ſeparatas ejiciendo; Morbus vero non niſi a turbato vel debilitato Archæo oriatur, dum vel inordinatorum affectuum procellis concuſſus, ſui muneris obliviſcitur, unde per alimentorum materiam neglectu in excrementum verſam corporis partes inquinantur, malum-

malumque mora ſuccreſcit; vel ex aſſumtis &c. Archæo adverſis œconomia corporis humani turbatur; vel tandem ex peculiari & plerisque ignoto, adeoque incredibili ejus cum corporibus cœleſtibus infauſto aſpectu impeditis, conſenſu languet, & quæ ſui ſunt officii peragere non poteſt, deſtitutus ſcilicet a ſuo pabulo, quod ſingulis momentis, ex aſtrorum ſpirituali, ſibique in ſubſtantia ſimili affluvio, juxta ſapientiſſimam Divini Numinis ordinationem attrahere ſolet. Ex quo quidem graviores illas infirmitates, quas incurabiles dicunt, præcipue ſuboriri, veritati eſt conſentaneum. Incurabiles autem vocantur iſtiusmodi defectus, quia viſceribus intimius infixi adhærent firmius, quam ut vulgaribus remediis ex regno vegetabili plerumque petitis, utpote imbecillioribus, & mox ab ipſo Archæo, deſtructis medendi viribus, domatis, queant corrigi & debellari.

Pateſcit inde, altiori opus eſſe remedio, quo iratus quaſi Archæus reconcilietur, viresque ejus pro ejiciendo ſanitatis hoſte corroborentur. Experientia ipſaque veritate teſte, jam olim quaſi ab ipſius mundi incunabilis in indaganda, Dei inſtinctu, Medicina Univerſali, deſudarunt ſapientes, quam & ejusdem ductu & auxilio tandem invenerunt rariores quidam, & a Deo quaſi ſpecialiter ad hoc electi. Quæ cum cœleſtium corporum virtutes in puriſſima Elementaris materiæ maſſa contineat, tanto mirabiliores & vix credibiles, in reſtaurandis Archæi viribus, quocunque debilitatis, exhibuit effectus, quanto ipſa puritate & perfectione excedit cuncta totius naturæ concreta. Poſſem hoc loco in teſtimonium vocare innumeram ſcriptorum probatiſſimorum ſeriem, quibus fidem dictis facerem, niſi prolixitati modum ponendum judicarem. Vera hæc eſſe, illi ſaltem judicabunt, qui curioſa rerum ſecretiorum indagine, naturæ vires propius intueri didicerunt. Cæteri, qui hoc non capiunt, ne tamen carpant, quia de ignotis judicare iniquum.

Altera hujus Medicinæ Univerſalis virtus, (ut alias minus notabiles præteream) in transmutandis & in meliora convertendis metallis imperfectioribus conſiſtit. Longum foret, ſi omnia circa hanc pulcherrimam materiam perſequi, poſſibilitatemque rationibus (quæ ex univerſa philoſophia naturali, aliis, quam vulgaribus fundamentis nixa, petendæ) ſolidis evincere vellem; ſed ubi rerum teſtimonia adſunt, quid opus eſt verbis? pleni ſunt libri, plenæ ſunt hominum tantum non omnium voces; plena antiquorum monumenta de incredibili Univerſalis Medicinæ in purificandis metallis, impurioribus efficacia, ut aquam mari adderet, qui plura de his proferret.

Interim ne prorſus hanc partem relinquam intactam, hæc pauca, Lector accipe; Nimirum, quælibet res tanto perfectior eſt, quanto agendi virtutibus ditior, & tanto virtuoſior, quanto plus de ea parte, unde omnis operatio emanat, forma videlicet, continet; forma autem rerum naturalium, eſt veluti lux quædam, aut ſubſtantia luci corporum cœleſtium ſimillima, quod philoſophia demonſtrat, & experientia artium magiſtra probat, dum ejusmodi lucentem ſubſtantiam, ex corporibus quibusdam, virtute agendi præ cæteris conſpicuam, ocular iter educit, unde ratio de reliquis recte concludit. Medicina Univerſalis vero concentratam quaſi & in corpus redactam poſſidet lucem. (unde & noctu ſtellarum inſtar lucere dicitur, & non ſine ratione creditur) Lucis autem proprium eſt, ſeſe per infinitos radios in medio apto diffundendo multiplicare. Quodlibet enim metallum imperfectum lucis quandam portionem, ſed exiguam, & ad perfectionem inſufficientem (unde ejus imperfectio) corporis impuritate clauſam quaſi carcere, & compedibus ſordium elementarium ligatam tenet.

Habes hinc primo metallum, cujus forma recipiendæ majoris, a ſuo ſimili eatenus ditiore, lucis capax, & cupida: habes deinde Tincturam (ut a tingendi in ſibi ſimilem ſubſtantiam virtute vocatur Univerſalis Medicina) luce formali turgidam, & inſtar ſolis minora ſydera illuſtrando, ſuoque jubare imperfectorum metallorum formas accendendo, adeoque perfectionem conciliando, pronam ac paratam, ejectis & concrematis per ignem ſordibus. Nil deeſt, niſi ut intime copulentur, id Vulcanus præſtat, cujus beneficio metalli fores aperiuntur, hoſpes adeo gratus læto brachio excipitur, metallum purgatur & perficitur, &c.

Videas Lector, an hæc pro demonſtrando tranſmutationis metallicæ modo ſufficiant, ſin minus, feſtinatæ hinc inter alias curas ſcriptioni veniam concede. Hæc de altera Medicinæ Univerſalis virtute. Cumque & animus mortalium haud raro ex contagione corporis laboret, aut propter fortunæ bona, invidiæ, odii, avaritiæ labe tabeſcat, Medicina Univerſalis vero utrinque omnia removeat incommoda, dum firmam corpori conciliat pacem, ut ex intemperie humorum ſuboriri ſoliti pravi affectus, angores, &c. ceſſent, avaritiam denique malorum omnium radicem averruncet, invidiæque cauſam removeat, infinitos atque inexhauſtos divitiarum theſauros ſuppetitando, concludi inde jure poteſt, Medicina Univerſali nihil præſtantius, nihil ſalubrius, nihil denique ad bene beateque vivendum efficacius hominibus a Deo datum eſſe. Gallus, ſi recte memini, Autor: memento,

inquit,

inquit, fili, ſi opus ad optatum perduxeris finem, quod paulo major ſis futurus Regibus. Quæ etſi Thraſonice dicta videntur, vera tamen eſſe is reperiet, qui ſuo pretio æſtimabit Medicinam Univerſalem. Ac proinde quod inſtitui, *ſapientiæ humanæ primas huic arti vindicavi.*

CAPUT III.

Medicinam Univerſalem negantes exempla redarguunt.

Difficile eſt rei fidem mortalium ſuperantis probare exiſtentiam; at difficilius multo probare contrarium, imo prorſus impoſſibile judico, oſtendere rem nunquam extitiſſe. Cujus enim tam longe retro porrigitur vel memoria, vel ſcientia, aut quis eſt adeo in orbe terrarum verſatus, ut docere poſſit, vel nullibi, vel nunquam quenquam mortalium iſtam Univerſalem Medicinam habuiſſe? Vel quis adeo omnem naturæ poteſtatem judicio ſuo emetitus eſt, ut in ejus viribus, non eſſe ejusmodi medicinam ex ſuis theſauris depromendi facultatem, penitus didicerit? Et nihilominus, ut bona pleraque, ita etiam hæc inſons Philoſophiæ pars, mox ab incunabulis ſuos nacta oſores; Nam imperitia ſua infauſti aurei velleris prædones, ubi ſe a vano conatu deturbatos, & tantæ arti longe impares ſenſerunt, in ejus gloriam furioſa rapti deſperatione, quaſi bacchantes, exarſere, ſupra ſuam perſpicacitatem & ingenii vires, præter inane quicquam eſſe, inficiantes, quaſi ipſorum ſcientia cum naturæ facultate pari paſſu ambularet. Et quia non innoxio labori incubuerunt, arcanæ philoſophiæ primicerios falſitatis, artem præſtigiarum inſimulare non deſierunt, haud alia prorſus ratione, quam quod incognita temere damnent; nec ſufficit damnatio ad vindictam, niſi etiam addita rabies infami morſu inſontes diſcerpat.

Verum tantum naturæ & artis theſaurum odiſſe liceat, quibus potiri non licet; Optarem ut ſimiles Antagoniſtas veritatisque hoſtes eo, quo Arnoldus Villanovanus modo Lullium, vincere ac refutare valerem; is cum Lullius acriter variis ſophismatibus impugnaret Univerſalis Medicinæ virtutes, plumbi partem in aurum ipſo ſpectante convertiſſe fertur, ſcomma adjiciens: ſolve mihi hunc ſyl-

 logis-

logiſmum? Nam quæ experimento oculari videntur, probatione non indigent, inquit Sendivogius. Verum cum tali probandi modo, etſi efficaciſſimo ad reprimenda obtuſa ratiuncularum, quas acervatim mittunt, ſpicula, uti nondum liceat, nec per rationes rei ſingularis exiſtentia demonſtrari poſſit, reſtat unicum probandi genus, *Teſtimonium.* Bene in hanc rem *Sendivogius Tractat. XII. Novi Luminis*, de veritate, inquit, artis, ſi quis dubitat, legat copioſa philoſophorum antiquiſſimorum ratione & experientia verificata ſcripta, quibus ut fide dignis in ſua arte fides non eſt deroganda. Quamobrem cum ab aliis alia in medium allata ſint hujus rei exempla, & ejusmodi Dominus *Clauderus* plura conſcripſerit, lubens eo labore ſuperſedeo, ea tantummodo prolaturus, quæ adeo nondum innotuerunt, nec paſſim obviæ reperiuntur. Commode autem accidit, ut, dum his meditationibus indulgeo, a Viro, Vulcano non minus ac Apollini claro, acceperim literas, in quibus ſingularis quædam, de Univerſalis Medicinæ exiſtentia, continetur hiſtoria. Quam hiſtoriam Benevolus Lector verbotenus relatam legere poteſt hujus Schediasmatis pag. 78.

CAPUT IV.

Major indagatorum pars in materia Medicinæ Univerſalis errat.

UTi primi errores peſſimi, ceterorumque exiſtunt radices, ſic quoque peſtilentiſſima eſt veræ materiæ, ex qua Univerſalis Medicina præparari debet, ignoratio. Nunquam enim optatum conſequitur finem, in principio qui errat. Apposite *B. Valentinus*, qui farinam habet, diſcet tandem etiam pinſere panem. Eſto, quod non ſtatim artis amator, verum operandi calleat modum, uno tamen alterove errore commiſſo, facilius in viam redire diſcet. Errores enim ſunt magiſtri eorum, quæ fieri debent. Qui nunquam male, nunquam bene, proverbium monet. At qui in primo hoc horti Philoſophici ingreſſu errat, is poſtea quo plus progreditur, eo longius a vero ſcopo regreditur. Ridenda autem nonnullorum præſumtuoſa temeritas, qui illotis manibus in ſacra hujus artis myſteria irruunt, recipientes ineptiſſimas materias, pro efficienda Univerſali Medicina, nec ſine prius, nec principio ſatis cognito, per media abſurdiſſima tendunt, neſcio quo, non aliter,

(ut

(ut cum *Arnoldo* loquar) ac Aſinus ad præſepe. Fuit, qui micam panis ſibi pro materia operis delegit, teſte *Riſtio*. At ille eſurienti forte potuit apponere pultem, ægrotanti vix medicinam. Alii in hominum excrementis, aut ſuperfluis, ſpei ſuæ anchoram fixerunt, ſanguine puta, ſudore, urina, ſtercore, &c. perforatis auribus fidelem *Augurelli* admonitionem, accipientes:

in auro
Semina ſunt auri.

Hi quod ſeminant jure metunt. Aliis Nitrum impoſuit ſua ſexangulari figura & purpureo ſpirituum colore, præeuntibus ſcilicet facemque referentibus quibusdam, totius fere Germaniæ deceptoribus, quibus veluti fatuo quodam igne, magna hominum pars in paupertatis & miſeriæ paludem iniquiſſime ſeducta, vix abſtinet, quin cineribus eorum maledicendo librosque lacerando vindictam exoptet. Nitrum quidem mirabile eſſe ſubjectum, nemo niſi iſtius naturam ignorans negat. Baconius de Verulamio ad conſervandas humanæ ſanitatis vires non ſine ſana commendat ratione. Virtutes ejusdem ſæpius admiramur, & ex ejus ſpiritu, cretæ auxilio lucidam produci materiam novimus. At fruſtra pro ſtella Orientis, quæ Magos ad cunas Regii pueri, qui ſuo ſanguine ſanaret morbidos, comitaret, habere ſcimus. Sunt qui verborum planum ſenſum in obſcuriſſimis ſapientum Libris ſecuti, rorem Majalem, nives, grandines, pluviam, quin & viridem illam texturam, quæ aquis æſtivo ſupernatat tempore, & flos aquæ vocatur, ſibi deligunt. Et quis poſſet omnes omnium in erroris via verſantium, ineptias recenſere, quibus inæſtimabile tempus inutiliter terunt? Lege ſi placet, *Treviſanum*, *Dionyſium Zacchariam*, *Gallum Anonymum*, & *Sendivogii jucundiſſimos dialogos*, ubi deplorandam dicam, an riſu excipiendam errorum dementiam graphice depictam invenies. Cauſa vero tot errorum præcipua eſt ſtolida perſuaſio, quaſi arcanum Philoſophorum eſſet perquam facile, opus Mulierum & ludus puerorum. Unde quilibet ſibi initio ſua ſententia, nullo licet fundamento nixa, blanditur, in fine dolet; primo aureos montes ſibi fingit, ultimo quisquilias invenit; initio cuncta ſcit, in fine nihil, lætatur incipiendo, finit triſtis. Aliam etiam rationem Pantaleon, (cui, ſe ipſo nimium blandiente, par ſapientia non exſtitit,) affert? Philtrum inſaniæ præcipuum eſſe, laborem imaginativum brevem & lucrum non adeo invidioſum. Intentio horum non eſt mala, ſed finis. Facete *Trithemius*: „Multas Ars iſta, (inquit) familiares habet, quæ Domi-

 „nam

„ nam ſuam perpetua vigilantia cuſtodiant, ſeque ejus nomine ſup-
„ponant, ut eam conſervent a commercio importune amantium,
„tempore ſempiterno intactam: Vanitas, fraus, doloſitas, deceptio,
„ſuperſtitio, cupiditas, falſitas, conſcientia mendax, ſtultitia, inopia,
„paupertas, deſperatio, fuga, proſcriptio & mendicitas pediſſequæ
„Alchymiæ, quæ Dominam ſimulantes, ejus amatoribus avaris, ſtu-
„pidis, ignavis libenter proſtituunt, & in deſperationis barathrum
„tandem eos præcipitant. Unica (teſte d'Eſpagnet) reſtat eis ſpes
„ſalutis in duce fido & præceptore inveniendo, qui vindicatis a te-
„nebris ipſorum oculis, purum ſolem conſpicuum eis reddat.

CAPUT V.

Medicina Univerſalis ex Regno Mineralium petenda.

NOn probo incipientium Chymiſtarum Opinionem, qui dum in ſubjecto metallico ſummam latere medicinam obiter perceperunt, mox aſpernari cuncta faſtidioſo animo ſolent, quæ ex plantis aut animalibus præparari queunt Medicamenta. Eſt & his ſua Virtus, a DEO Creatore omnium ad humanum uſum indita, quod norunt, qui unquam Medicinæ operam dederunt. Quod autem in gravioribus morbis plenarium non afferant auxilium, id ideo fit, quia Medicamentum morbo debet eſſe adæquatum, ut pulchre Johann de Monte Snyders docet: *Vegetabilia* inquit, & quæ ex animalium partibus præparantur medicamina, quia levioris ſunt compoſitionis, a fermento primæ concoctionis mox transmutantur, deleto ſpecificæ operationis charactere, & in alimentum convertuntur, ut ſalva vi medica ad poſteriores digeſtiones deferri, morbisque remotioribus in partibus frequenter hoſpitantibus, mederi non poſſint. Multo minus vegetabilia, minime omnium ea, quæ ex animalibus deſumuntur ad metallorum transmutationem inſervire querunt, iſta enim maximam partem combuſtibilia ſunt, nec fuſionis ignem fuerunt. Et licet fixa vegetabilium ſalia non nihil in depurandis extrinſece metallis præſtent, eadem tamen radicaliter non ingrediuntur, quia leviora, cum Helmontio judice, nihil in fluxu radicaliter ingrediatur metalla, niſi mercuriale adeoque metallicum ſit, proinde nec alterare queunt. Omnis enim radicalis ingreſſio, eſt vera transmutatio, ut *Philalethæ Anonymo* placet.

Cum

Cum itaque Tinctura transmutatoria & Univerſalis Medicina, unum idemque ſint, & transmutationem metallicam nihil perficere poſſit, niſi ſit metallicum, ſponte ſequitur, Univerſalis Medicinæ materiam eſſe Metallum, adeoque non niſi in Mineralium familia inveniendam.

Id ut plenius intelligatur, ſciendum, quodlibet (Sendivogio affirmante) agere inſimile, & verum eſſe vetus illud Philoſophorum dicterium: Natura naturam trahit; natura gaudet natura, natura naturam corrigit. Etſi vero diverſæ diverſorum de hoc dicto ſint opiniones, ea tamen indubie antiquorum ſententia fuit, quod quævis res cum ſuo ſimili promte jungatur, ejus conſortio perficiatur, & a nocentibus defendatur.

Id qua ratione Medicina Univerſalis tum in humano corpore, tum in metallis originali labe conſpurcatis præſtare poſſit, ſupra quidem jam tum tetigi, & , ni fallor, ſolidis rationibus, ex intimioris Philoſophiæ receſſibus deſumtis, quibus Medicinæ ſtudium, velut ſaxo quadrato, adeoque immobili fulcitur, adſtruxi, ut eadem hic repetere ſupervacaneum exiſtimem.

Quod ſi tamen forte alicui hæc quæ de Medicina ex Regno Mineralium petenda, in medium protuli, non videantur ſufficere, is mecum *Baſilii Valentini*, *Theophraſti*, *de Monte-Snyders*, cœterorumque Univerſalis Medicinæ a DEO adeptæ fama Clarorum, animo volvat ac revolvat, ſententiam, qui uno quaſi ore omnes clamant, *ex Metallis*, *in Metallis*, *per Metalla*, obtinendam impuriorum Metallorum perfectionem. Id quo ſenſu verum ſit, Lector attende. Nempe eam inter ſe metalla obſervant differentiam, ut alia dicantur perfecta, & a ſordibus, ſi non omnibus, certe plurimis, præpotenti formarum ſuarum efficacia liberata, puriori nitore refulgeant; alia vero velut originali & mox ab ortu accepta inquinentur macula, partim propter loci nativi ineptitudinem, partim etiam propter ipſius formæ, infauſto ſuperiorum corporum (quibus ſubjacet univerſa hæc ſubcœleſtis Regio) influxu, contaminatæ, & quaſi obſcuriorum ſiderum radiis obfuſcatæ imbecillitatem, qua prohibita debitam perfectionis viriumque metam aſſequi non potuerunt; omnia tamen lucis formalis ex ſole ceterisque ſideribus, omnipotentis arbitrio defluæ, continent portionem, perfecta quidem ſufficientem, imperfecta minus: Et in præcipuo illo metallorum Principio Sulphure, etiam potiorem formæ ſedem reperiri, haud vanis conjecturis exiſtimatur, (adeo ut ex quarumlibet rerum Sulphure, lux formalis palam queat educi, ſegregatis Elementarium partium exuviis) Sulphurque ex quovis metallo, aut minerali, (ad

metal-

metallorum indolem propius accedente, adeoque Sulphure metallico non minus, ac ipſa metalla, imo magis turgido) ſecerni poſſe, experientia notum. Hinc extractam inde Philoſophico, ut dicitur menſtruo obſtetricante, Tincturam, eamque intime nuptam corpori ceu receptaculo convenientiſſimo, Sali videlicet per aquæ & ignis abluitionem clarificato, debita ignis Vulcani opera fixati, perque reiteratas ſæpenumero aureæ Sulphuris metallici Tincturæ irrorationes in ſanguinei ruboris maſſam, regenerationis beneficio converti poſſe, ſi concedatur, nil vetat, quæ viribus cœleſtibus gravida, luceque ſolari corruſcans, Monarchiæ ſupra tria Naturæ regna throno conſcenſo, dignam merentibus imponere queat perfectionis coronam.

CAPUT VI.

Rerum Mineralium ac Metallorum cognitio Medicinam Univerſalem indaganti prorſus neceſſaria eſt.

ID equidem obſcurum eſſe poteſt nemini, cui adhuc in animo hærent, quæ in ſuperioribus tradita ſunt; Cum enim ibidem ſat plane demonſtraverim genuinam, ex quo Univerſalis Medicina peti debet, materiam, non niſi ex rerum in intimioribus Naturæ thalamis, quos terra tegit, creſcentium ordinum ſeligendam, intelligi facile poteſt, perquirenda ibidem omnia, ut agnoſcatur unica.

Non quidem ea quorundam mihi placet ſententia, quaſi in terræ cavernis prima quædam metallorum mineraliumve, quæ nullam prorſus adhuc ſubierit determinationem, reperiri queat materia: ſed quia ignorata metallorum mineraliumque quaſi patria, aliquam eorum, quæ in ipſis cognoſcenda ſunt, partem ignorari neceſſe eſt, ſuadeo, ut diligens harum rerum ſtudioſus in ipſas deſcendere fodinas ne pigretur; non equidem omnes omnium locorum viſitare neceſſum habet, attamen aliquas, ut diſcat, quo ſitu ibi ſingula mineralium genera a Natura ſint diſpoſita, quibus involucris quaſi tecta, qua arte eruantur, quemque vultum teneant ſingulorum ſpecies, &c. Præiverunt ſummi in hac Arte antiſtites, ſuperiori quidem ſeculo *Paracelſus* Chymiæ reſtaurator Magnus, qui ſexto decimo ætatis anno fodinas, quibus Miſnia celebratur, perluſtraſſe fertur, hoc noſtro autem Nobilem *Sendivogium*, *Agricola minoris Autorem*, ut & *Monte-Snyderum*.

derum, in perquirendis variorum locorum mineris non mediocrem poſuiſſe diligentiam, majorum noſtrorum memoria habemus compertum.

Quin imo, cum hæc ſcientia verſetur in perfecta univerſæ Naturæ, artisque circa regnum metallorum (verba ſunt Joh. d'Eſpagnet) cognitione, non fodinæ ſolum ſunt inſpiciendæ, nec ſufficit externam minerarum cognoviſſe faciem, non minus ac in hominibus ipſis variam, hæc enim & metallurgis plerisque ceterarum rerum tamen ignaris, cum ſcientiſſimo Philoſophorum ſunt communia, ſed & cæteræ metallicolarum artes, quibus metalla ab inutili terra ceu involucro fuſionibus crebro repetitis liberentur, a ſe mutuo (cum raro ſolitaria reperiantur) ſegregentur, & uſibus humanis, communibus ſaltem præparentur, aliqua ex parte noviſſe debet.

Cumque longum ſit iſta omnia perquirere, conducet generaliter ex libris cognoviſſe, quæ ipſo opere poſtmodum ſunt addiſcenda plenius. Plurimum enim conferre ad viſitandas cum fructu fodinas, legiſſe probos peritorum de re metallica libros, meo exemplo didici. Ideo quod peregrinando regiones varias perluſtraturi faciunt, ut earum primo domi ſitum, terminos, incolas, horumque mores, quantum fieri poteſt ex Tabulis Geographicis & Hiſtoricis cognoſcant, quo generaliter ſic inſtructi, de iis, quæ quolibet in loco, notanda occurrunt, eo accuratius inquirere poſſint: idem & rerum metallicarum indagator faciat, accurateque omnia, quæ e re futura videbuntur, prius ſecum præmeditetur.

Imbutus igitur genuinis ſcientiæ naturalis principiis, legat *Baſilii Valentini de metallorum mineraliumque generatione librum*, olim ab *Andrea Solea* Bohemo editum, nunc vero aliquoties recenſum, ceterisque laudati Autoris adjunctum. Qui liber cum innumeris laboret mendis, pariter ac utiliſſimarum quarundam rerum defectu, eundem ex manuſcriptis complere, & curatius aliquando in lucem edere conabor, additis, quæ in dignoſcendis mineris & lapidibus cujuscunque generis (quorum mihi ſesqui mille, ex omnium fere non ſolum Europæ, ſed & exteris regionibus congeſtorum, ad manus ſunt varietates) non nihil harum artium ſtudioſis profutura videntur. Novi præterea virum rei metallicæ peritiſſimum (cui & me plurimum debere ingenue fateor) qui propediem abſolvet *Opus de ſcientia Metallurgica* accuratiſſimum, uſibusque harum rerum ſtudioſorum non invidebit. Celebriores etiam de re metallica ſcriptores ſunt *Agricola*, Löhneiſen, Ercker, Beccherus, Aldrovandus, Kircherus & nonnulli alii; quorum lectionem non negliget, qui accuratius de hoc ſtudio infor-

 mari

mari cupit. Omnium autem maximum in hac arte proficiendi momentum, ac aſſidua cum peritis & fidelibus Viris dependet converſatione.

NB. Tabulas Metallurgicas, Caput hoc VI. illuſtrantes, C. Lect. in fine Op. reperiet.

CAPUT VII.

Medicinam Univerſalem inquirenti multa occurrunt impedimenta.

INnumera certe ſunt devia, quæ a recto tramite Medicinæ Univerſalis ſtudioſos ſeducunt: ego quæ ſint potiſſima ſaltem recenſebo.

Primum devium ab *ipſius artis difficultate & ſublimitate* dependet. Quæ pulchra etiam difficilia eſſe credunt fere omnes; Heliconem non cuivis adire contingit, nec omnium nervi Vulcani aſſueſcere queunt Miniſterio, multo minus pigrum in plumaceo cubili diductum, per imaginativum ſomnium vera demonſtratione de hoc opere edoctum; aut miraculoſum & pretioſiſſimum iſtum theſaurum a cœco menteque claudo erutum, vix unquam legimus.

Facile eſſe opus ſpondent Philoſophi, non tamen abſolute id dicunt, ſed quod de ſapiente & experto iſta ſit intelligenda vox, ſæpius inculcant. Magnum eſt quod ignoratur, nunc quantum ſtudii, intentionis, laborisque indefeſſi requiratur, Lector cogita. Philoſophi hinc ipſi, non fraude, (ut injuſta Pantaleonis de Philaletha vox) recepere Tincturam, ſed longis ſtudiorum fluctibus, & laborum chymicorum procellis defatigatis, inſulis tandem fortunatis læto pectore perfrui licuit.

Accedit *ſcriptorum immenſus numerus*, hinc ex multis ſeligere optimum, perſpicaciſſimi eſt ingenii. Quis Philoſophum facile a Sophiſta ſecernat, cum deceptorum larvæ ſi non præcellant, tamen externa ſpecie infucatis Philoſophorum faciebus adæquantes hunc illumve deludentes, eum tandem mœrore debilitatum, ſanitateque & opibus exhauſtum, cum *Pantaleone* (ut plures credunt, nec jam adepto) ad ejusmodi adigunt ſuſpirium: O mihi præteritos, referat ſi Jupiter annos, non quod ipſos Venere & Baccho triverit, ſed quod vanis proceſſibus inhærendo, tempus & ſanitatem deſtruxerit. Eſt quoddam Sophiſtarum genus peſſimum, quod non ſolum falſa excogitando,

gitando, ſed etiam ſcripta Philoſophorum vere Adeptorum, ex ulceroſi cerebelli affectu corrigendo, addendo vel mutilando, Lectorem curioſum plane reddit dubium, exempli gratia: (inquit Sendivogius) ſcriptum eſt in uno loco: poſtea has aquas ſimul miſceas, alter addidit NON, parum quidem addidit, totum tamen caput contrarium fecit. Fateor, nullius fere adeptorum novi ſcripta, ubi vel non aliquid abſurde appoſitum, vel ex invidia aut ſtultitia deraſum ſit, niſi forte, ut plerumque contingit, correctorum in cauſa fuerit deſidia.

Aſt diligens ſtudioſus, ſi ad poſſibilitatem dirigat lectionis fervorem paleas facile a granis, & verum a falſo dignoſcet, maxime ſi id pro fundamento in ordine ſtudiorum ſibi propoſuerit, non Sophiſtarum pertractandas eſſe ſchedulas, ſed Philoſophorum probatorum inſiſtendum eſſe regulis: nam ſi tunc in errorem incidat, quo in rectum regrediatur tramitem, ſignis demonſtrabunt, fideles Autentici. Conſultum videtur, ut tyro Philoſophorum, quæ in hac arte extant ſcripta, (cum omnia quidem vera, non autem æquali exhibita claritate) infucata tractet. Valde agnoſcimus prodeſſe monumenta *Baſilii Valentini*, *Theophraſti Paracelſi*, *de Monte-Snyders*, *Philaletha*, *&c.* ſimul cum iiſdem, qui ab his citantur atque commendantur. Præterea viros, qui practicis operationibus Philoſophorum allegorias illuſtrant, non plane ſpernendos æſtimes: ſcimus enim, quid *Helmontio* in hoc genere facile ſummo debeamus: Neque parum induſtriæ in hac re poſuerunt, *Majerus*, *Conradus*, *Faber*, *Pantaleon*, *Beccherus*, *Borrichius*, *Clauderus*, *Morhofius*, ut & alii, quos brevitatis cauſa hic omitto. Fateor quidem magna ex parte ob errores in chymia occurrentes ipſos etiam accuſari ADEPTOS. Homo enim (inquit Pantaleon) qua talis, vix caret invidia, præprimis in rebus magnis, ſicut videre contingit non ſolum in obſcuriſſima Tabula Smaragdina, ſed aliorum Philoſophorum etiam ſcriptis, ita ut ob Allegorias, quas plerumque ſtylo ſingulari ſcribunt, potius pro ſomnolentis & vino & ſtultitia plenis, quam pro Viris doctis eos æſtiment ſtudioſi. Certe quotquot unquam de myſteriis Naturæ ſcripſerunt, omnes varia nugamenta ad arcendos profanos de corde & vero intellectu ſenſus admiſcuerunt, ut exempla idem *Pantaleon Tumulo Hermetico* recenſet.

Præterea aliud quotidianum ſe offert impedimentum, quod damnando vocabulo vocatur INCONSTANTIA. Nam Curioſi ſemper pluribus intenti, minus recte ad ſingula utuntur ſenſu. Plurimi Naturæ ſcrutatores particularibus allecti, ipſum interea Univerſalis ſeponunt

ponunt ſtudium. Ipſe olim ab iſto contagio non plane eram liber, nunc quid mihi contigerit, quia relatione non videtur indignum, fuſius enarrabo: ſcilicet cum primum in indaganda Medicina Univerſali operam adhiberem, & ſæpius de Particulari, quod mihi realis metallicæ transmutationis exhiberet exemplum, eſſem ſolicitus, irruebam in librum *Meiſneri*, qui Baſilii Claves erroneo cerebro & calamo explicare auſus eſt. In fine iſte ſophiſta tonſor proceſſum affixit, quo realem metallorum in aurum permutationem demonſtrare teſtatur: Mox fervore ſummo ſecundum literam iſtas peregi operationes.

Recepi Vitrioli, Sulphuris, & Lapidis Calaminaris partes anaticas, ſubtiliſſime trivi, & ex iisdem per retortam vitream igne aperto in recipientem maximum ſpiritus tanta certe fragrantia exiſtentes, ut licet luto denſiſſimo orificium recipientis eſſet clauſum, nihilominus tamen odor ſumme Sulphureus, adſtantem fere ſuffocans, perciperetur, populi. Ex aliquot libris materiarum tunc temporis liquoris ſpirituoſiſſimi, clariſſimi, continuoque fumantis, maxima ut dixi ſpirituum parte per lutum, licet bene munitum, evaporata, vix aliquot uncias acceperam, capite mortuo in retorta remanente leviſſimo. Hic ſpiritus aquea exiſtens claritate, magnam partem Lunæ in aqua forti ſolutæ uno momento in aurum præcipitaturus credebatur. Hinc Luna in aqua forti, ex æqualibus Nitri & Vitrioli partibus conſtante, ſoluta, de ſpiritu dicto infundebam, & finita fermentatione & reactione ſumma, calcem aliquam rubicundiſſimam fundum petentem, læto perſpiciebam animo, ita ut de invento ſcilicet tam ſingulari fere exultarem. Poſt iſtam rubram calcem aqua edulcoratam ponderavi, & ex uncia una Argenti, duas iſtius materiæ rubræ reperi Drachmas, quas ope borracis in furno docimaſtico liquavi, non autem ad votum aurum, ſed maſſam plumbo ſimilem reperi. Admirans mollitiem, recordabar, in proceſſu non mandatam eſſe edulcorationem calcis, & hinc forte per edulcorationem colorem lucidum putatitio auro molliſſimo periiſſe. De novo itaque opus aggreſſus, ſpirituque ex tribus prædictis materiis deſtillato, iſtoque luna præcipitata, calcem rubei coloris non edulcoratam ſtatim cum borace fundere tentavi, ſed nec vehementiſſima flamma id perficere potui; tandem facta mera ſcoria vitrea cœrulei coloris; Hanc plumbo, ut moris eſt, purgavi, & ope cineritii Argentum colore priſtino albo, aſt mollitie ſingulari præditum, reſtitui. Iſtud cum aqua forti reſolvi non poſſet, & Lunam fixam repræſentaret, an ſtibio colorari poſſet experiri volui, recepi quidem regulum, ſed

cum

cum ſub tegula antimonium abigerem, ſimul Lunam fixam redactam fuiſſe in auram, ne granulo reſtante, oculis attente adſpiciens, fere obſtupui. Hæc enarravi, ne quis adeo facile credat proceſſibus, cum amor erga particularia plures ab inquirenda Medicinæ Univerſalis dignitate retineat. Sed ignoſcat DEUS peccatoribus, qui expreſſis Verbis ſtudio ſeducunt curioſos, illosque ad ſaniorem redigat pietatem.

Occurrere vidimus præter has quas enarravi complures alias ambages, ne omnes ad optatum percurrant ſtadium. Sunt, *quos negotia mundana retinent*, ne regiis ſe accingere velint epulis. Quidam ingenioſi, autem *re anguſta domi oppreſſi*, Minervæ potius quam Vulcani exiſtunt Clientes. Alii *infamia* (quæ huic arti infida plerumque comes) deterriti, opus vel non ſuſcipiunt, vel priusquam ad finem productum negligunt. Præcipuum autem, quod a facultate Medicinæ Univerſalis, ejusque læta poſſeſſione arcet ſtudioſos, *DEI eſt Voluntas*, quæ omnes ab his removet ſacris, quos admittere periculoſum prævidet, & ut in aliis, ſic in hoc etiam curioſis certum præfigit terminum. Plures de irrito vel prolongato labore conqueruntur Philoſophi, proprium refert exemplum Joh. de Monte-Snyders, quod licet deſtructionis & reductionis, ſimulque medii conjungendi, nempe aquæ permanentis mercurialis ſciverit fundamentum, DEI tamen placitu factum, ut fracto vitro plurima pars Tincturæ deperdita fuerit, tantum pauca remanente materia, quæ decem plumbi partes in argentum commutando, permutationis metallicæ ipſi exhibuerit exemplum; nihilominus DEI voluntate effectum, ut poſthæc per duos annos ab opere ceſſaverit, ita concludens: non eſſe volentis aut currentis, ſed ſolius miſerentis DEI, cum DEUS illud ſummum Myſterium cui, & quando vult largiatur.

Non cavilleris Lector, quod ego, priusquam de poſſeſſione Lapidis Philoſophici inſtituerim Jubilæum, de tam miraculoſa materia has conſcripſerim paginas, nam meo, ſi concordares ingenio, jejunum aliquo modo ſuſpenderes judicium. Magnam certe differentiam eſſe inter Theoriam, praxin inchoatam & abſolutam, inter principium & finem, norunt omnes. Profecto non cuilibet ad regium palatium ſtatim volare permittitur, licet illud a longinquo perſpexerit animi perſpicillo. Clamas: experimento oſtende vera te dicere: nam rationes absque praxi dubiam relinquant demonſtrationem, ſi ſcis, fac, &c. Sed reſpondeo: in inquirenda Medicina Univerſali jam per aliquot annos animo & manibus occupatus fui, principia & ope-

rationes oculis perſpexi, ſed vitris fractis, ſpes mea, in partu quaſi oppreſſa, ſenſit infortunium. Hinc & in iſto clementiſſimi DEI agnoſco directionem, nam quoties olim in deſtructionis fundamento, extractione ſulphurum, clarificatione metallicorum ſalium, præparatione Mercurii ſophici, Vitro ſigillando, &c. commiſerim errores, ſi recenſere vellem, nimium excreſceret diſſertatio. DEO ſit gratia, qui meum de iſtis erroribus & dubiis poſthæc liberum fecit animum, in cujus Clementia proceſſus & finis laborum requieſcet. Nunc charitate Chriſtiana impulſus, ne quis tantis erroribus, quos ego, & alii erravere, ſeduci poſſit, quid mea peregerit experientia ediſſeram, ut iſta verba, cuilibet mediocriter circumſpecto, ex abſtruſo Alchymiſtarum labyrintho, commonſtrent iter: non ſtylo allegorico, ſed clariſſimo, me Tibi Lector, agnoſces propitium.

CAPUT VIII.

Ad Medicinam Univerſalem plures patent Viæ.

PLurimi affirmant ex Philoſophis: unicam rem, unumque modum ad hoc Myſterium ducere, quod quidem ſuo ac certo modo verum eſſe concedi poteſt, conſtanter tamen Philoſophorum monumentis perſuaſus, affirmo, plures ad unum ſcopum pateſcere vias.

Chriſtianus Roſencreutz in Tractat die Chymiſche Hochzeit, quatuor recenſet hac inſcriptione:

Hoſpes ſalve:
Si quid tibi forſitan de Nuptiis Regis auditum,
Verba hæc perpende:
Quatuor viarum optionem per nos Tibi ſponſus offert,
per quas omnes,
modo non inde devies,
Ad Regiam Ejusdem Aulam pervenire poſſis.

PRIMA

brevis eſt, ſed periculoſa, & quæ Te in varios ſcopulos deducet, ex quibus vix te expedire licebit.

ALTERA.

ALTERA.

Longior, quæ circumducet te, non abducet, plana ea eſt & facilis, ſi te Magnetis auxilio, neque ad dextrum, neque ſiniſtrum abduci patiaris.

TERTIA.

Vere Regia eſt, quæ per varias Regis noſtri delicias & ſpectacula viam Tibi reddet jucundam, ſed quod vix milleſimo hactenus obtigit.

per QUARTAM

Nemini hominum licebit ad Regiam pervenire, utpote conſumens, & non niſi corporibus incorruptibilibus conveniens eſt.

Elige nunc
ex tribus, quam velis, & in ea conſtans
permane.

Scito autem, quemcunque ingreſſus fueris ab immutabili fato Tibi ita deſtinatum, nec niſi cum maximo vitæ periculo regredi fas eſſe.

Hoc Te ſciviſſe volumus.

Sed heus!

Cave ignores, quanto cum periculo te huic viæ commiſeris.
Nam ſi te vel minimi delicti, contra Regis noſtri leges, noſti obnoxium,
quæſo, dum adhuc licet, per eandem viam quam acceſſiſti, domum te confer quam citiſſime.

Hæc ille: Duplicem autem Medicinæ præparandi modum nempe HUMIDUM & SICCUM agnoſcit *Baſilius Valentinus*: in eadem ſententia eſt *Pantaleon.* Ego autem quatuor præcipuos ſtatuo, hos quantum ex indefeſſa lectione, accurata ratione, & experimentis ſingularibus perſuaſus ſum, luculentiſſime explanabo.

CAPUT

CAPUT IX.

Medicina Univerſalis brevi tempore ope cujusdam Salis effici poſſe videtur?

IN ſole & ſale naturæ eſſe omnia, cum profundiſſimo *Gebero* Philoſophorum conſentit turba. Nam quod ſale caret non corrigitur, quod non corrigitur id totum inſalubre putredinoſumque advenit. In ſale inquit Kircherus, omnium naturalium morborum medicamentum requieſcit. Hinc antiqui ſophi non ſine cauſa ſal Divinum nominarunt, tanquam id, quod a corruptione omnia ſervat. Ipſe etiam Clementiſſimus Chriſtus, ſapientiam ſali comparans, per iſtam parabolam demonſtrat, in ſale maximam hominum uſibus accommodatam reperiri facultatem. Quidam Philoſophi menſtruum ſuum aquam ſiccam vocare ſolent, quod plures de Mercurio manus non madefaciente explicari quidem conati; ſed obſervantes Mercurium per poros metallorum tranſeundo eos intimius humectare, in dubio permanſerunt. Sal autem revera aqua eſt congelata, & quaſi mare exſiccatum, formaque cryſtallina, manus minime humectans, hinc Augurellus:

Nec maris immenſi reputes, aut nubis aquoſæ,
Vel liquidi fontis ſimilem, quam quærere lympham
Inſtituis; neque enim (quod tu obſervare memento)
Inficit illa liquatve aliquid, cum ſpargitur, aut id
Humectat, propius cui venerit: ARIDA namque
PULVERIS hæc extra in ſpeciem ſe prodit; at imis
Uvida contuſi liquet in penetralibus auri.

Ad ejusmodi ſalinum corpus alludens Artiſta ad Helvetium (ut iſte in vitulo aureo refert) dixit: „*Philoſophorum Menſtruum* eſt ſal quod„dam cœleſte, ſeu cœleſtis virtutis, cujus beneficio philoſophi ter„reum corpus metallicum, duntaxat ſolvunt, ſolvendoque mox no„bile Elixirium Philoſophorum educunt: in crucibulo autem a prin„cipio ad finem usque in igne aperto perficitur operatio, opus vero „totum non diutius niſi quatriduo & inchoatur, & plane conſum„matur, in quod opus totum non impenduntur impenſæ plures tri„bus florenis; quod vero materiam, ex qua perficitur arcanum, atti-

„net,

„net, reſciſcas velim, duo duntaxat metalla ac mineralia dari, ex qui-
„bus præparetur, ſed quia multo abundantius in iſtis mineralibus
„ſuppetit, ergo ex mineralibus conficitur, & neque minerale ex quo,
„neque ſal per quod, magni eſt pretii, &c.

His olim permotus, multa ſed fruſtraneo effectu, experimenta peregi. Obſtupeſco certe quoties ex Ephemeridibus meis phyſico chimicis cognoſco, quot genera ſalium cum auro vel luna per trium horarum ſpatium igne violentiſſimo crucibulo tractaverim, ut fere nihil ſub forma & ſpecie ſalina ex regno minerali, vel ex vulgari chimia petitum reperiatur, quod non irrito conatu, in crucibulo cum fixis tentarim metallis, quæ omnia ſi enarrare vellem, multum, non ſolum temporis, ſed etiam chartæ requireretur, Lectori tamen parum afferrent emolumenti.

Tunc quidem reperi illud *Sal mirabile Glauberi*, quod licet ſiccam ſaltem exhibere videatur metallorum corroſionem, magna tamen ejusdem promitterem beneficio, ſi per aliquot ſaltem horas crucibulum relinqueret intactum. Certe naturæ ſtudioſus mirum quantum ex iſto cognoſcet, maxime cum illud ſal ſpecifica virtute medicinali polleat, ſi cum metallis fuerit ſociatum. Satis autem diuturno & anxio labore inquirenti ejusmodi ſalinum corpus, quod aurum radicaliter ſolveret, & virtute exaltaret, mihi tandem occurrit, quod Joh. de Monteſnyders, de ſale ſolis refert; *Ubi* inquit, *ſulphur ſeparatum eſt, tunc poſt reverberationem extrahitur ſal ſolis pretioſum medicinale, de quo philoſophi dixerunt :* SAL METALLORUM EST LAPIS PHILOSOPHORUM, &c. Quia autem tunc temporis ſal ſolis mihi ad manus non erat, SAL MARTIS ſecundum Philoſophi citati inſtructionem paratum adhibui; quid autem iſta operatione effectum fuerit, Lector auſculta: Auro puriſſimo in crucibulo pyriformi liquato, iſti decem partes de ſale martis adjeci, texique tegula, & ſic igne fortiſſimo per tres horas in fluxu detinui, tandem per ſe frigefactum crucibulum aperui, & aurum, licet ponderoſiſſimum metallum, in ſuprema media parte conſpexi, ſal vero totum in nigricantem poroſam vitream maſſam permutatum, & pondere quarta parte auctum reperi. Admiratione non ſolum dignum eſt, ſalem iſtum cum auro tantam habuiſſe fermentationem, ut iſtud ad ſummum elevaverit, & in medio portaverit, ſed etiam ſoli nec ponderis accreviſſe, nec ſplendoris multum, ſi autem in lapide lydio examinaretur, lapidem non colore aureo, ſed rubicundiſſimo (cupri colorem ſuperante) pinxit, & ejusmodi colorem non ſolum in externis, ſed etiam mediis partibus exhibuit. Iſtud aurum cineritio purgatum, hoc modo pondere aliquantillum

 auctum,

auctum, poſt etiam rubicundiorem auro finiſſimo in lapide lydio oſtendit colorem, infortunio autem deperditum eſt, ut cum iſto alia non viderim experimenta. Huc usque meum experimentum.

Judica Lector, quid futurum ſit, ſi ejusmodi labor, cum ſale ex auro antimonii ope confectum, per aliquot dies continuaretur. Concludo cum *Helvetio in Vitulo aureo:* O felix, inquit, terque felix ille artifex, qui conſequitur a Clementiſſimi Jehovæ benedictione, artem conficiendi præparandique ſal iſtud quaſi Divinum, cujus efficaci operatione corpus metallicum ſeu minerale corrumpitur, deſtruitur, demoritur, anima tamen ipſius revificatur ad glorioſam corporis Philoſophici reſurrectionem.

CAPUT X.

Poſſe etiam ex ſole & Mercurio confici Univerſalem Medicinam plures exiſtimant.

IN Mercurio eſſe quicquid quærunt ſapientes, omnium fere Philoſophorum pateſcit ſuffragio: jam de quo Mercurio iſta ſint intelligenda verba, naturæ curioſo primo eſt indagandum. Plures ut ex metallis perfectis, alii ex imperfectis & mineralibus Mercurium elicerent, dies noctesque inſudarunt: nos poſſibilitatem præparationis agnoſcimus, ſed ejusmodi ad opus Philoſophicum requiri, *Flamelli* verbis perſuaſi credere dubitamus. Vulgarem Mercurium, ſi philoſophice purgetur, ad opus philoſophicum ſufficere, *Treviſanus* ſatis accurate in epiſtola deduxit. Recte etiam Mercurius per proſopœjam in Dialogo *Sendivogii* inquit: *Cor meum ſemer eſt puriſſimum, veſtes autem ſordidiſſimæ.* Et non ſine prægnanti ratione *Pantaleon* ſtatuit: Unicum in tota metallica & minerali natura eſſe Mercurium, differre autem inſigniter a ſe ipſo per accidens ratione puritatis, & ex quocunque metallo vel minerali eliciatur, excepto ſole, eſſe heterogeneum, &c.

Sane quicunque rerum metallicarum non plane hoſpes exiſtit, is Mercurium in terræ viſceribus ad metallicam prædeſtinatum fuiſſe naturam, ſed vel fermento, vel calore deſtitutum, in fluida remanſiſſe forma, agnoſcet. Nullum certe minerale nec metallicum quodpiam imperfectum novi, quod non mercurialem intermixtum habeat vaporem, imo ipſum ſulphur vulgare ardens in ſe abſconditum retinere Mercurium, colore, ſi lapide Lydio affricetur, deſignat. Ergo cum antiqui, teſte Philaletha, Philoſophi, omnia metallica, mercu-

rialis

rialis eſſe originis, mercuriumque pondere ac homogeneitate eſſe metallorum perfectiſſimo auro ſimillimum, ſtatuerent, hunc ad auri maturitatem digerrere ſunt conati, ſed fruſtraneo effectu, quia Mercurius ſordibus inquinatus, primum depuratione neceſſe habet, hinc magi Saturni ſobolem ad manus accipientes, illumque probantes auri ſtylangem, quod itaque ab auro maturo feces ſecernendi vim haberet, idem in Mercurio facturum argumento a majori ad minus ducto cognoverunt. Hunc ergo Mercurium depuratum in ignem poſuerunt, illumque tempore haud admodum longo coagularunt, inque ſua coagulatione ſolem lunamque repererunt. Tandem ad ſe reverſi cogitarunt, quod Mercurius ſic depuratus nondum coagulatus, nondum erat metallum, at volatilis ſatis, quodque nullam relinqueret in deſtillatione ſua in fundo remanentiam, quare ſolem immaturum, lunamque ſuam vivam illum nominarunt, conſiderarunt item, quod ex quo verum eſſet auri ens primum, adhuc volatile exiſteret, quidni eſſet ager, in quo ſatus Sol virtute augeretur. Eapropter Solem in eodem poſuerunt, & quod admirationem facile patraret, fixum in eodem factum eſt volatile, durum molle, coagulatum diſſolutum, ſtupente ipſa natura. Quare duo invicem deſponſarunt, vitro incluſerunt, ad ignem poſuerunt, opusque regerunt, ad naturæ exigentiam tempore longo. Sic vivificatum eſt mortuum, mortuumque eſt vivum, putruit corpus, & glorioſus reſurrexit ſpiritus, animaque tandem exaltata eſt in eſſentiam quintam, animalibus, metallis ac vegetabilibus ſummam Medicinam, &c. Hæc Philaletha.

Aſt ne diutius aliorum verbis me detineam, ſincere dico: Philalethæ Scriptum eo tendere, ut per plures abſtruſas allegorias doceat, quomodo Mercurius purificari & ad opus Philoſophicum adaptari debeat. Fit autem purificatio ope antimonii, ut idem & ejus explicator Pantaleon remonſtrat. Nam licet Philaletha iſtam purificationem ſaltem cum Regulo Martis procedere exiſtimet, plane tamen aliam cum Pantaleone colo opinionem, maxime, cum in regulo iſto, ſi rite per Tartarum & Nitrum purgetur, vix quicquam vel parum de corporali ferro remaneat, & eundem ab alio Regulo absque marte ex ſolo antimonio facto non differre variis demonſtrari poſſit technicis: hinc certis rationibus perſuaſus ſtatuo: Si Mercurius cum Antimonio conjungi poſſet, Antimonium ipſi omnes intrinſecas adimeret ſcorias, ſicque illum cum auro amalgamatum per longam digeſtionem tractatum, miras exhibiturum operationes. Verum ſi Antimonium vel ejusdem Regulus liquefiat, & Mercurius

calefactus iſti injiciatur, tota maſſa ut vidi, incredibili tonitru, & ſummo adſtantis periculo in auras abit: idem non tamen impetu non adeo vehementi contingit, ſi cinnabarim in fuſum projicias Antimonium; Medium ergo requiritur. *Philaletha* Columbas Dianæ commendat, quas *Nobiliſſimus Beccherus in Supplemento Phyſicæ ſubterraneæ* de Salibus reſuſcitativis Mercurii Antimonii agnoſcit; aſt cum Philaletha ipſe aliique Philoſophi annuant, ex Mercurio vulgi, ſi a primordiali labe prius purgatus ſit, Mercurium Philoſophorum fieri poſſe, hæc Beccheri explicatio mihi videtur dubia. *Pantaleon* in ſtringenda Philalethæ Theoria nimium verboſus in explicatione autem quid per columbas Dianæ intelligat, de hoc magis mutus quam piſcis. Sunt qui juxta *Suchtenii* Proceſſum Philalethæ intelligant amalgamationem, maxime perſuaſi, quod iſte plurimis in Suchtenii Proceſſu occurrentibus verbis uſus fuerit, quam opinionem recentiſſimum Scriptum, ſub Titulo: *Enarratio methodica trium Geberi medicinarum* confirmat, & integrum Proceſſum verbotenus proponit.

Ego meis manibus, ſecundum verba Autoris Proceſſum Suchtenii elaboravi:

Recepi Reguli martialis purificati, partem unam, Lunæ cupellatæ partes duas, fudi in crucibulo, hanc maſſam, quæ cineritii ſplendentis erat coloris ſubtiliſſime trivi, & Mercurii vivi partes decem cum iſta in mortario lapideo prius calefacto amalgamavi, in digeſtionem poſui, poſt aliquoties ablutis aqua ſcoriis nigerrimis, ſepties hanc repetii amalgamationem, Mercurio qualibet vice reſuſcitato per deſtillationem, tandem ſplendidiſſimum reperi, &c.

An autem eo modo Mercurio omnes intrinſecæ impuritates demantur (nam ſcoriæ nigræ in regulum reduci queunt) affirmare non auſim, cum ejusdem virtutes nondum ſatis accurate inquiſiverim, aliquibus tamen conſtat experimentis, hunc a vulgari differre. Illud quidem aſſerere poſſum, quod Mercurium ſingulari modo Antimonii ope tractatum, cum auro amalgamaverim (erant autem Auri uncia una, Mercurii unciæ duæ) & amalgama molliſſimum butyri inſtar fecerim, quale Philaletha deſcribit. Hoc Phiolæ vitreæ inditum, hermetico ſigillo obſignavi, in lenta digeſtione per duos detinui menſes, aſt materia ſemper facta mollior, nec colorem mutavit: tunc recordatus admonitionis Philalethæ (ſi, inquit, Myſterium ſolis noſtri nondum in latitudine ſua noveris, at Mercurii ſcientiam es adeptus, tunc cape ſolis vulgi partem unam bene purificatam, & Mercurii noſtri ſumme lucidi partes tres vel duas, junge & impone igni,

igni, dando calorem in quo bulliat, ſudetque, ſudorque ejus circuletur, &c.) gradum ignis auxi, & ecce brevi tempore, pulvis ſubtiliſſimus nigricans in ſuperficie apparebat, tunc paucis elapſis hebdomatibus tota maſſa picis ad inſtar infra & ſupra nigerrima conſpiciebatur, adſcendebant continuo guttulæ mercuriales, quæ etiam deſcendentes nigri iſtius coloris fiebant participes, ſumma inſuper vitri pars coloratis nebulis reſplendebat. Maſſa nigerrima in cinereum procedebat colorem, tunc itinere impeditus, laboris iſtius nondum ſpectare licuit exitum. Obſervavi etiam, quod meus quidam Amicus Mercurii ſeptem partes cum una parte auri amalgamatas poſt variorum colorum mutationem in rubicundiſſimum & ſubtiliſſimum pulverem quatuor menſium ſpatio præcipitaverit, qui licet medelam in morbis quibusdam promitteret, non tamen ob injuſtam Mercurii cum Auro proportionem, ad ſummam metallorum pervenire potuit Medicinam fixiſſimam.

Præcipuum autem hujus Philoſophici laboris in recta Mercurii purgatione conſiſtit. Antimonio purgationem inſtitui debere, affirmavi, an autem per columbas Dianæ, duæ partes Argenti intelligi debeant, dubium videtur. Nunquam enim legi, Lunæ a Poetis columbas attribui, easdem vero Veneri dicatas eſſe ſcio: nec per Dianam apud Philoſophos deſignari Argentum, ſed plerumque Mercurium (quem Joh. de Monte-Snyders filiam Dianæ nominat) memini, hinc videtur, per columbas volatiles quosdam ſpiritus deſignari, & quod Joh. de Monte-Snyders alas Mercurii vocitat, id hoc loco per columbas Dianæ explicandum eſſe. Aliquos itaque referam modos, quibus Mercurius per minima Antimonio commiſceri, & ſic, ut videtur purificari poſſit:

℞. Mercurii ſublimati partes duas, Antimonii partem unam, deſtilla per retortam, & Mercurius cum Sulphure Antimonii permixtus ſublimabitur: Inquis: id ſaltem ob Sulphur, quod Antimonium poſſidet, fit, doce modum cum regulo. Reſpondeo: ſi non credis Mercurium ope ſpirituum in Mercurio ſublimato concentratorum, cum regulo amalgamari, ſic proba: Regulus & Mercurius ſpiritibus Salis & Vitrioli rectificatiſſimis irrorentur, ac dextra trituratione uſus, reperies, an vera dixerim. Alios etiam adhuc referam modos: ſublima Regulum martis cum Sale ammoniaco, albos flores ſolve in ſpiritu Salis, adde Mercurii ſublimati quantum vis, & ſolvetur penitus, &c. Certe ſi hoc modo commixtionem per minima fieri negas, vix datur ulla. Poteſt etiam Mercurius ſublimatus, vel ſpi-

ritu Nitri præcipitatus, cum liquato Antimonio in retorta tubulata aliquo modo miſceri, &c.

Placeat Tibi ex his modus qui videtur accuratiſſimus; ego amalgamationem Mercurii, quæ ope Auri vel Argenti fit, non plane negabo, maxime ſi hoc modo procedat commiſtio, ut in fluidam reguli Auro vel Argento commixtam maſſam Mercurius infundi, & ſic per intima commiſceri poſſe. Mercurius autem Antimonio conjunctus, facillime additis alcalibus reſuſcitatur.

Præter intrinſecam purgationem Philalethæ aliam requirit, quam accidentalem vocat & Introitu aperto ad Regis Palatium Cap. XV. deſcribit: Aſt cum iſte labor haud exiguus, imo plane ſit incertus, ego amore erga proximum permotus, modum, (quem nemo unquam, quantum ſciam, ſcripto edidit) ſingularem declarabo: ℞. Ceræ puræ quantum vis, fluat ſuper prunis ardentibus in vaſe vitreo vel terreo, cui indatur Mercurii ana, agita lignea ſpatula per horam dimidiam, ſic cera nigerrimum a Mercurii impuritatibus accipiet colorem, amove ab igne, ut frigeſcat; frigefacta cera ſtylo ferreo calefacto perforetur, ut Mercurius in minima parte vaſis requieſcens effundi poſſit: tunc alia cera iſta repetatur operatio, & non tanta ut prius afficietur macula; Tertia vice plerumque cera permanebit munda, etiamſi per aliquot horas liquefacta cum iſto Mercurio agitetur. Cera autem iſta vel iterum depurari, vel ad emplaſtra uſurpari poterit. Hæc de Mercurio: Pauca adhuc de Auro monenda.

Requiritur ad amalgamationem cum Mercurio depurato, Aurum puriſſimum. Eſt quidem aliud aurum, quod Philoſophorum appellatur, ab iisque mire laudatur, iſtud autem a nativo non eſſentia ſed fixitate differt, eſt enim nihil aliud, quam Mercurius ſophicus (ut dicit Pantaleon Examine Chymico) coagulatus, aptiſſimum vero cenſetur hoc Aurum a Philoſophis pro opere ipſorum brevi & occulto, innuente *Gebro* ac dicente: Quod ſi ex ſolo Mercurio perfeceris, indagator eris pretioſiſſimi Magiſterii. Omnia reliqua abſque fuco deſcripſere d'Espagnet & Philaletha, cum ergo aliorum verbis meas paginas implere diſpliceat, Lectori elegantiſſima iſta commendo Scripta.

Con-

Contenta hujus Capitis illuſtrat:

Antiqui Philoſophi Galli Delphinatis Anonymi Liber ſecreti Maximi totius mundanæ gloriæ: qui cum encomio: Optimi longe ac veriſſimi Tractatus, in margine rubro atramento notati, ex Volumine Tertio Theatri Chymici, Illuſtris cujusdam Medici, excerptus Lectori traditur.

IN minimis implorandum eſt Divinum Auxilium. Quid ergo, Fili chariſſime, in arduis & majoribus hujus mundi facere debemus? Et cum ita ſit, quod intentio noſtra verſetur circa maxima, & majora Mundi Arcana, ut infra ſyllogiſtice demonſtrabitur propterea invocando DEI, Patris Domini Noſtri JESU CHRISTI, immenſam bonitatem, in ipſius & Servatoris noſtri nomine, Spiritu ſuo nos ducente, auſpicabimur.

Anno 1447. die Lunæ Menſis Januarii ſeptimo in craſtino jucunditatis aſſuetæ, in regno noſtro fieri, ut moris eſt apud nos, lætari, in commemorationem illorum fidelium regum, qui Noſtrum Dominum & Servatorem læto animo ex diverſis partibus in unum locum adoraverunt, decrevi calamo depingere, & ſecreta manifeſtare, quæ ſub velamine, & quaſi in deſperata forma conſueverunt tradi. Tali modo tamen ut ingenioſi, & his introducti, poſſint in hoc opuſculo proficere & gloriam mundanam totaliter acquirere. Hortor autem vos, ne gloriam ſempiternam, pro rebus a vobis leviter tranſeuntibus, relinquere velitis: ſcientes, corruptibilia quæque pro incorruptibilibus relinqui debere.

Hoc præfato, in utilitatem omnium fidelium Chriſtianorum, præcipue Domini Noſtri Regis Ludovici, Sereniſſimæque Dominæ Reginæ, Ejus conſortis ac Filii eorum, Domini mei Delphini Primogeniti, dicimus:

Planetas ſeptem eſſe, dies ſeptem, metalla ſeptem, licet, quod me attinet, ego tantum ſex numerem, nimirum quæ ſub malleo extenduntur. Hæc & illa nota ſunt, & hæc ab illis denominantur ob influentiam & participationem inter ſe.

Mercurius autem non eſt proprie metallum, ſed principium metalli, & quod eſt principium alicujus, non eſt ipſum totum: Mercurius autem eſt eis pro materia, Sulphur vero pro forma. Nos vero vidimus corpora metallica oculata fide, reſoluta in Mercurium, & multiplicata in illo; at nunquam Mercurius erit metallum, niſi coagulatus fuerit virtute Sulphuris: Sulphureitatem autem capimus pro omni calore naturali. Si vero adveniat ipſi Mercurio aliud

Sulphur

Sulphur a ſuo proprio, ex quo fuit ab initio nec ne, ut inde fiat metallum non eſt præſentis ſpeculationis. Notant tamen filii mei, quod qui metallum cupit perficere, metallum conſpiciat oportet, & hæc diſce, nota, & ſæpius revolve, nam in hoc dicto ſtat conſideratio rei.

Generatur autem Lapis noſter ex Patre & Matre, & ejus ſperma eſt aqua ſerena non madefaciens; per longum tempus adſcendit vir ſuper feminam in colore nigro, & illud corpus nigrum accipiet aquam ejusdem naturæ, & fugit & fluit per proceſſus temporis, & ſalvabit infirmos ab omni infirmitate. Datum in Camera Parlamenti Hermetis.

℞. Rubei ponderoſi partem unam, albi in ſua ſubtilitate partes tres, aquæ ſerenæ partes quatuor:

Lapis componitur ex igne & igne per calorem, & ex cocto & crudo, & ex igne rubeo & albo, & ex igne fluente & firmo ſive compacto, & ex Sulphure & Mercurio, & ex aqua incombuſtibili: Vel ex aere & igne, vel ex igne aere aqua & terra ſimul, & multis aliis & infinitis modis poteſt dici. Et tamen non dico tibi mendacium ſicut alii fecerunt; qui de Arſenico, & Auripigmento, de Aluminibus, Salibus, vel Animalibus, Atramentis & infinitis aliis phantaſticis rebus locuti ſunt, quæ falſa & vana penitus cognoſcuntur eſſe.

Meditare fili ſapientiæ & invenies veritatem. Ego te celavi nomen vulgare propter duas cauſas, una eſt, ut ſi quis per hunc meum libellum male agat, ego poſſim me apud DEUM excuſare, & dicere, quod ſecretum non revelavi niſi ſapientibus & vere dignis. Alia cauſa eſt, quod ceteri Philoſophi ſatis in ſuis libris nominant, & regimen celant; regimen manifeſtabo, & tibi ſufficiat.

Quod ſi Lapidem non intelligas ex te ipſo per rationes naturales, & per verba Philoſophorum, prætermittendo omnes res quæ præter naturam ſunt, non es dignus vocari Philoſophus, neque debes nobiſcum philoſophari.

Hei vobis phantaſticis laborantibus in hac arte, qui vultis ſeminare fabas, & colligere oleum Balſami, & ex ſtercoribus facere aurum potabile! Væ vobis! groſſis capitibus, qui vultis de ovis & ſanguine & aliis mille truffis aurum generare: Aurum loquitur & dicit: Maledicantur qui nobiliſſimam meam formam vilipendunt: Ego ſum nobiliſſimum Ens, & omnes influentiæ cœli in unum convenerunt ad meam generationem, per mandata DEI omnipotentis, & ego ſum opus naturæ perfectæ, & ſum natus ſine adulterio, & iſti phantaſtici, & novelli occæcati, me ſpurium & baſtardum vocant, & me ignorant. Ego vero ſum incorruptibilis, & filius ſolis, & minima pars ſubſtantiæ meæ eſt totum meum continens, nec in me aliquid corruptibile reperiri poteſt, & tamen iſti ex corruptibilibus me & ſubſtantiam meam volunt multiplicare: quomodo poſſunt ipſi creare filios mei ſimiles, absque conſenſu & conſilio meo, nequaquam fiet, quousque ego ſemen meum igneum jactavero in ſanguine meo fluente, albo & igneo; verum confiteor peccator ſum, quod cum matre mea,

quæ

quæ me prius in ſuo ventre portaverat, conſuevi multiplicare filios meos, & cum ipſa conſuevi delectari, & amicabiliter amplexari, ut ex ea & per eam poſſim mihi ſimiles augmentare & multiplicare, juxta illud: Pater Ejus Sol, Mater Luna:

Et dicit *Arnaldus:* Matrem puram accipias, & eam in lecto ponas cum filiis, ut ibidem delectetur, & quando incipiet aliquantulum delectari, in aqua frigida extingue. In diſputatione Solis ad Mercurium, dicit Sol: Diſputabisne mecum? Ego ſum Dominus Lapidis, & inſuper ignem patiens. Dixit Mercurius: Verum dicis, ſed ego te genui, & tu es avarus, reſpectu mei, & nihil vis largiri de duro propter tuam duritiem. Ego vero ſpiritualis ſum, & in me latet ſapientia abſcondita, & qui me junxerit filio, vel fratri meo, vivet & gaudebit, habebitque ſempiternum theſaurum, adeo ut ſi paſceret quotidie mille millia hominum non indigeret. Et ego ſum illud vivificans & mortificans, & in me ſunt omnia mundi mirabilia.

Dixit autem Sol. Neceſſe eſt ut ſubſtantia mea multiplicetur in Ventre Matris meæ, Mater mea eſt Luna viva, argentum vivum, juxta id: Portavit eum Ventus in Ventro ſuo: Ventus id eſt aer, aer id eſt Mercurius, quia aereus eſt. Hæc Hermes.

Nec filii tales reprobantur, propterea quod ex matre & filio generentur. Nam hoc eis eſt permiſſum per omnipotentem DEUM. Et ipſum aurum eſt ſolus agens & mater ſua eſt ſola patiens, apta nata ad multiplicationem ſuorum individuorum in ſua ſpecie. Nonne ſi ſolus filius eſſet in natura humana, & ſola mater, permitteretur quod generarent ſibi ſimiles, quod neceſſe eſſet multiplicare genus humanum, aliter totus mundus perderetur? Honorate Regem noſtrum, & ſuam Matrem & nolite eos in ſuo concubitu vilipendere. O vos impii! qui hoc ſecretum vilipenditis: qui absque aliqua mora & patientia nos comburitis igne violento, & creditis nos annihilare? Sed certe nos non timemus rigorem Veſtrum, nec timemus ignem, quia de natura ſua ſumus.

Dixit it. Sol Matri ſuæ: Ipſi ſophiſtæ nos ſeparant ab invicem, & nos impediunt a generatione noſtra, quia tu mater habes certas alas & pennas mirabiles & ſubtiles, & de levi me dimittis, & volas a me, ne tuæ pennæ comburantur, tuam tamen ſubſtantiam facies quieſcere paulatim & paulatim. Ego vero ſum groſſus, ponderoſus, ſicut urſus, non poſſum bene currere, nec habeo alas ad volandum, quia compactus ſum, quapropter non timeo ignem. Advertendum tamen eſt maximum ſecretum & incredibile, quod ſi per longum tempus ſtarem cum matre mea in lecto delectationis, id eſt in calore ignis. Certo ipſa me ſecum portaret totaliter, & nihil de ſubſtantia mea inveniri poſſet, ſi ſibi violentia fieret, quia multum fortis eſt & terribilis, quando eſt in ardore amoris, propterea dicitur, acetum acerrimum, aqua fortis, venenum tingens, Lac Virginis, fons vitæ, & ignis comburens magis quam ignis

& per violentiam noſtræ conjunctionis efficior volatile corpus & ſpirituale ac totaliter revertor ad naturam meam primam, & completur quod dicitur: ſciant Alchymiſtæ, ſpecies rerum transmutari non poſſe, niſi prius revertantur ad naturam primam.

Et certe Fili, in hoc pretioſo opere, ut Morienus ait: ſi ſcirent Aurifabri, quid habent præ manibus quando deaurant, multum lucrarentur. Meditare fili & intellige, quia aliter non poſſumus de hoc opere loqui, niſi parabolice, quæ dicta ſunt, per me ſæpius viſa ſunt, & propterea ſcio, quod vera ſunt.

Materia immediata Lapidis eſt Sulphur & Mercurius, non talis qualis invenitur, unde natura creavit aurum. Sed id quod nunc in eo eſt, quod ars imitatur naturam in quantum poteſt. Majora dico quam credebam dicere, ſed me non pœnitet, quia non loquor niſi amicis meis & filiis ſcientiæ.

Dicunt Philoſophi, quod aurum noſtrum non eſt aurum vulgi, & multum bene loquuntur, ſed male a legentibus intelliguntur. Ecce & ſimiliter de Mercurio Philoſophi dicunt, quod non eſt vulgi; Fili aperi cellulam tui intellectus, ac nota, quod Sulphur noſtrum aurum eſt purum, merum, ſincerum & rectum, & dicitur apud nos Argentum vivum coctum, & eſt filius ignis, & ex puriſſima ſubſtantia Mercurii ſumſit originem, & cum videtur virtus ejus, non intelligitur niſi a nobis, ex materia unde generatur. Homo, non eſt hic homo, nec hoc fruſtum hominis generat hominem: ſed eſt quædam virtus agens hujus vel hujus hominis, & talis virtus eſt inviſibilis, propterea dixerunt, quod materia Lapidis noſtri non eſt aurum vulgi, videlicet illud quod videtur, illa prima maſſa tota aurea, ille denarius aureus, vel illa accidentia quæ videntur, non perficiunt Lapidem noſtrum, ſed certa virtus in talibus exiſtens, hoc perficit. Nec unquam fuit poſſibile, nec erit aliter, ut dicit Avicenna, reperitur materia illa in illis, in quibus eſt. Item dicit: Si Solem & Mercurium non viderem, dicerem ſcientiam iſtam eſſe falſam; quaſi dicat, ſi nullum granum frumenti eſſet in mundo, dicerem multiplicationem grani eſſe falſam, & tamen non intelligas, quod granum hoc frumenti quod videtur, videlicet illa groſſities grani, vel durities, vel illa accidentia, quæ videntur, generent grana, ſed virtus latens in dicto grano, hoc fecit, quod niſi cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.

Intellige hæc omnia in tuo intellectu ſeparata, & non groſſo modo, ut litera dicit. Relinquitur ergo quod ſubſtantia intrinſeca eſt illa, quæ operatur, & per conſequens ſequitur, vera eſſe Philoſophi verba quando dicit, aurum noſtrum non eſſe vulgi, id eſt, quod videtur, palpatur, ſed eſt quædam ſubſtantia magis ſubtilis, quæ ab ipſo extrahitur, & in ipſo latet. Lapis igitur noſter fit ex Sulphure fixo, rubeo, ponderoſo incombuſtibili, & ex ſubſtantia Mercurii recentis, crudi, puri, & ſimiliter Philoſophi dicunt: quod illud argentum

gentum vivum quoque capitur pro Sulphure noſtro, quod etſi vocatur Sulphur, non tamen Sulphur eſt; ſed ita vocatur propter proprietatem agentem quam habet: Nihilominus non eſt aliud quam argentum vivum coctum & inſpiſſatum per naturam & in tali inſpiſſatione Sulphur naturæ ſibi occurrit, quod Sulphur dicitur ſubſtantia aurea, id eſt virtus aurea, & facit ex Mercurio, merum Aurum, per præceptum naturæ, nec taliter ſulphureitas minuit ſubſtantiam Mercurii, nec comburitur per ipſam, imo partes ejus homogeneæ per talem virtutem ſulphuream igneam coadunantur magis ac magis, aliquæ poſt aliquas, & efficitur per longum tempus corpus durum & compactum. Tale corpus poteſt dici Sulphur & Mercurius, & quod tale Argentum vivum coctum eſt nobis neceſſarium, propterea dicimus ſæpius, quod non eſt Mercurius vulgi.

Conſiderandum eſt etiam fili, quod tale Argentum vivum ſive Sulphur non operatur per ſe, quia ſimile non operatur in ſuo ſimili, & par in parem non habet Dominium. Neceſſe eſt igitur, ut adjuvetur per aliud Argentum vivum, crudum, mundum & aereum, quia illud eſt, per quod noſtrum Sulphur fixum & argentum noſtrum vivum coctum naturaliter ſuperabuntur ab invicem, ut inde multiplicentur in ſuo humido radicali in infinitum, juxta illud: Cui naturaeſt calida & ſicca & cocta, ſi frigidum, humidum & crudum advenerit non nocebit; quia ſicut minimæ partes ſiccæ terræ ſuperantur per appoſitionem aquæ, & per bonam mixtionem ut patet in opere figuli, ſimiliter terra noſtra, vel Sulphur noſtrum dividitur in minimas particulas per minimas partes, cum ingroſſatur per appoſitionem aquæ ſuæ videlicet, Mercurii vivi, crudi, mundi & ex minera extracti, quia ipſum argentum vivum eſt perforativum & penetrans, in infinitum magis quam aquæ fortes ſophiſtarum, a quibus debes cavere. Secunda ratio quare Mercurius non eſt vulgi, eſt iſta, & ſimilis, ſicut diximus, de auro vulgi; quod illud quod videtur non eſt proprie materia lapidis, ſimiliter argentum vivum, prout videtur a vulgo, eſt multum volatile, mobile, frigidum & humidum & album, & tamen in abſcondito eſt calidum, & aſperum, & terribile & rubeum probatur, quod, ut ſuperius dictum eſt, eſt ignis albus, & corpora metallica per eum funduntur & liquantur citius multum quam per ignem fuſionis ut patet per experientiam, item in rubeum convertitur per regimen noſtrum, item fixatur virtute ſua cum adjumento Sulphuris noſtri, id eſt ignis noſtri. Idem ipſum eſt opus naturæ & virtutes ejus non videntur, propterea non cognoſcuntur a Vulgo.

Qualis debeat eſſe fornax.

Domus vel locus erit in certa Camera ſecreta ad hoc ordinata, nec ventus, aer & pluvia poſſint Magiſterium annihilare, in loco non nimis alto, ſed paſſo vel mediocri. Sit feneſtra ſatis ampla, quæ reſpondeat ſupra furnum, ut tempore neceſſitatis ſuas poſſis videre actiones, cognoſcere colores in opere apparentes; & erit furnus ad hoc aptus in dicto loco, & pes, ſeu fundamen-

 tum

tum furni, 4. pedum in quadratura, & in altitudine unius pedis vel plus. Sit craticula ferrea in medio rotunda, & quatuor viæ in cruce venticulares correſpondentes addictum furnum, ab extremitatibus ad dictam craticulam, & in uno angulo dicti furni erit unum Canale ſatis groſſum ſemper carbonibus repletum, altum ad quantitatem unius cannæ, vel 5. pedum, vel plus vel minus correſpondens ad craticulam, & in circumferentia craticulæ erunt quatuor capellæ terreæ ad formam Alembicorum, & in medio erit una capella, ad modum aliarum tamen ſtabit in aere & altæ quatuor erunt, ſuperfundamentum fietque ignis ut dicetur, & os furni erit in oppoſitione ad Canale videlicet in angulo, eruntque inſtrumenta neceſſaria ferrea ad mundandam craticulam, & ad cineres extrahendos.

Eſt autem regimen unum, videlicet ut ponatur in ſuo vaſe & in ſuo furno & coquatur jugiter ſine intermiſſione.

℞. Mercurii optimi ℔j & ponatur in mortario cum Sale groſſo & aceto optimo, & incorporetur admodum paſtæ: deinde cum aqua calida rorando vivifica, & fac bis aut ter, ut ejus nigredo pereat: demum fac tranſire per corium, & tranſibit ad modum lactis. Deinde in unciam unam Sulphuris noſtri, impone quatuor uncias Mercurii in vaſe Vitreo ſigillo Hermetis ſigillato, deinde collocetur in ſuo furno ſecreto & ibidem accendatur ignis & multiplicatur, & creſcit, efficiturque fons ſapientiæ currens. O benedictum mare ſapientiæ! fluit & refluit, bullit & quieſcit, & ſi velis ſecure agere ſemper cum patientia agito, & continua, & non te tædeat: non eſt feſtinandum, nec ab opere ceſſandum: donec totum ad modum ſicci Lapidis formam aſſumat.

Nam Sulphur fixum cum ſit, coagulans coagulatum, naturaliter coagulat ſuum Mercurium per longam & frequentem ſublimationem ſuper ipſum. Cuſtodi ergo hæc: ſcilicet terram & aquam, quia cum aqua miſcetur cum terra, eam abſorbet ſua ſiccitate & inſpiſſat ſua tenacitate, & facit eam ſibi ſimilem ſua groſſitie, quia omne ſiccum naturaliter appetit ſuum humidum, idcirco tardamentum & temperamentum dicitur eſſe in Magiſterio Philoſophorum: & natura præterire motum non poterit niſi impedita fuerit per feſtinationem; fac igitur ut omnia ſolvantur, & cave ſpiritus fugiant per violentiam ignis, quia totum perderetur Magiſterium.

Scias Fili chariſſime, quod totum noſtrum Magiſterium nihil aliud eſt quam facere rectam ſolutionem, & perfectam coagulationem, ſolvite Lapidem noſtrum, poſtea congelate, & nihil plus quæratur. Humiditas noſtri Lapidis deſiccatur paulatim, & ex aſſuefactione in ſuo igne.

In Lapide noſtro non ſunt niſi duo, & ſunt unius naturæ: unum eſt ſiccum & firmum, incombuſtibile: aliud eſt humidum volatile & incorruptibile, propterea neceſſe eſt, quod iſta duo contemperentur ad invicem, ut unum non dimittat alterum. Quod ſi velis dare calorem ad æqualitatem rei fixæ, res volatilis minime

poſſet

poſſet expectare, & ſi velles dare ad æqualitatem rei volatilis, res fixa ſemper hebetaretur a frigiditate alterius, & nunquam perficeretur opus. Neceſſe eſt dare calorem ad æqualitatem rei motæ, videlicet totius compoſiti, ut omnia ſolvantur, & fiat una aqua permanens, propterea coque, coque, & iterum coque, & ne te tædeat longa decoctio eſto longanimis, patienter & continue, & ſoli complemento inſiſtas, cætera prætermittens. Primus color Lapidis noſtri poſt bonam continuationem quando incipiet coagulari, erit niger, & durabit per 40 dies, & tunc efficietur Lapis albus, & tunc Sol operabitur cum Sulphure ſuo albo, Mercurium convertens in lunam puram: & ſi majorem habuerit digeſtionem operabitur cum Sulphure ſuo rubeo, Mercurium convertens in aurum optimum: & per hoc perpendere debes, quod aurum eſt corpus hermaphroditicum, id eſt, in ſe continens duas virtutes, Lunarem & Solarem, quod aurum prius fuit argentum, quam aurum. Nota tamen, quod cum materia noſtra fixa eſt ad album, nunquam poteſt deſtrui per ignem, & propterea potes ei dare ignem quantum volueris, quia ſemper meliorabitur, ejus Tinctura in infractum, & efficietur rubicundiſſima, velut ſanguis aduſtus vel Syrupus Granatorum. Si illa volueris multiplicare cum fermento, unde fuit a principio: & totum convertetur in 30. diebus in Medicinam puram albam aut rubeam, ſecundum quod fuerit fermentum. Et demum capies unciam unam ejus pulveris, & projicies ſuper 10. uncias cujuscunque metalli, & erit Aurum purum, vel Argentum purum. Iterum capies unciam unam, & projicies ſuper illud jam converſum, & erit Medicina pura, & toties reiterabis quoties Medicina fluet, ſicut cera vel oleum, & tunc dicitur oleum auri, aurum potabile, Balſamum, fons vitæ & fluvius Paradiſi, Theſaurus totius mundi & ſecretum abſconſum.

CAPUT XI.

Ex Vitriolo ſolo conſtrui poſſe Medicinam Univerſalem abſurdum non eſt.

HUic theorematí contrarius eſſe videtur *Pantaleon* inquiens: „Subjectum proximum Alchymiſtarum ante annos aliquot „fuit Vitriolum in tota ſua ſubſtantia, hoc purgarunt, dulcificarunt, imo, quod DEUS bene vertat, per colores „omnes ad transparentis rubiniformam adegerunt, objectum vero „obtinuerunt Tincturam quidem pro pannis, ſed non pro metallis, „& finem, loco auri, cuprum &c.„ Ego tamen hoc non obſtante, Baſilio fidem adhibens ex Vitriolo ſolo puro, ſi qui ſeparationem norit Philoſophorum præparari poſſe Medicinam Univerſalem autumo. Iſta quidem Pataleonis verba haud impugno, nempe, ſi Vitriolum

Phiolæ indatur, & per longum temporis ſpatium digeratur, vix ex iſto Univerſalem parabis medicinam.

Nam ego cum juxta Proceſſum *Rogerii Baconis* ante hac Vitriolum Hungaricum, repetita ſolutione purgatum, in vitro bene lutato longa digeſtione tractaſſem, videram varias metamorphoſes, paucis quippe diebus in rubicundum quaſi mare totum fuerat ſolutum, aſcendebant vapores clari, interdum & rubicundi coloris, qui circulando decidebant; parietes vitri primo argenteis ſtriis quaſi arborum figuris picti apparebant, quæ indies magis ad aureum, tandem ad cinnabarinum vergebant colorem. Aſt licet Vitrum per annum, & quod excurrit, in digeſtione fuerit, tandem tamen nil niſi caput mortuum Vitrioli inveni coloris rubicundiſſimi. Hæc enim mea digeſtio, Philoſophorum operationi non erat conſona, cum certum ſit, requiri ad Vitrioli veram præparationem, non ſolum ut purificatum digeſtioni mandetur, ſed ut ex ejus ſubtiliſſimo ſpiritu principia prius ſeparentur, & æquali proportione conjungantur.

In Vitriolo vero requieſcere primum ens metallorum, mihi pro fundamento haud fallaci id eſt, cum notum ſit, quod omnia metalla & mineralia in ſalem vitriolaceam redigi poſſint, & in omnibus fodinis metallicis, ubicunque metallica concreta reperiuntur, Vitriolaceus iis ædhæreat ſapor, ut maxime in fodinis auriferis Hungariæ contingit, ubi Vitriolum dulciſſimum albicans & vireſcens in maxima reperitur copia, quod iisdem in locis (cauſam ignorant) *Saccharum Theophraſti* vulgo appellitant, vilique pendent: natura inſuper Vitrioli mineras ſingulari & admiranda figura inveſtivit, pleræque enim ſub Sulphureo aureo, vel arſenicali argenteo ſplendore refulgent, & naturæ ſcrutatores admonent, latitare in iſto embryonali ſubjecto, multum de auri, argentive nondum tamen perfecta qualitate &c. Præterea ex omni minera per deſtillationem prodit Spiritus Vitrioli, quod egoſæpiſſime conſpexi. Quid autem Vitrioli admiranda efficacia in Medicina præſtet, norunt plurimi. Quis non ob pulveris ſympathetici virtutes ferme obſtupeſcat? Quis non oleum Vitrioli (quod ignis concentratiſſimus ſit) ſummis extollat laudibus, cum omnia mortua corrodat, vivam autem carnem humanam & oſſa (niſi putrida) non lædat. Certe qui ejusdem vires recte inquirit, cum eodem omnem lithiaſin ex fundamento curare poteſt, aliique ut vocantur morbi tartarei hujus viribus non reſiſtent, opus tamen eſt, ut alia hujus Medicamenti accedat præparatio, de qua plura dicere animus nunc non eſt. Evolvat Lector *Helmontium*, *Theophraſtum*, *Baſilium*, ſic per chymicam hujus Salis

ana-

anatomiam innumera elici poſſe arcana cognoſcet. Qua ratione autem ex ſpirituali parte Vitrioli præparari debeat Medicina Univerſalis deſcribere ſuperſedeo, verbotenus enim propoſuit *Baſilius Valentinus in Tractatu de Univerſali totius mundi*, & de *naturalibus & præternaturalibus*. Hos lege, evolve, conſidera, & Philoſophi fideliſſimi & ſinceriſſimi verbis adhibes fidem.

Viſitando Interiora Terræ, Rectificando Invenies Occultum Lapidem Veram Medicinam.

CAPUT XII.

Ex Sale & Sulphure Metallorum (a) *per Spiritum Antimonialem fit Medicina Univerſalis.*

HUnc Medicinæ Univerſalis conficiendi modum plures Philoſophorum elegerunt. *Lullius* ſatis accurate tradidit, ſed ſimul adeo ſophismatibus obfuſcavit, ut ex ejusdem Scriptis vix ipſe ſe expediret Apollo. *Artephius* menſtruum Philoſophorum vocabulis clariſſimis edocuit. *Ripplæus in pupilla Alchymiæ*: Menſtruum, (inquit) Philoſophorum fit ex Leone rubeo & Leone viridi; per hos (ut ipſe explanat) & Spiritus Salino venereus in Mercurio exaltato concentratus, intelligi debeat. *Baſilius* fere idem innuit, cum Saturnum conſulere jubet, utpote qui ſplendidam traditurus ſit mineram ex prima omnium metallorum materia oriundam, hanc poſt ſingularem præparationem ſublimari in aluminis plumoſi ſimile quid, reſolvique tandem in aquam ſatis validam, ad aureum recludendum ſemen, &c.

Apparet cæteroquin quod omnes Philoſophi *Saturnum* ſummis evehant laudibus, tanquam ope iſtius, ut dicunt, Menſtruum Philoſophorum, imo ipſum Mundi Miraculum præparari poſſit. Sic enim ajunt *Agricola & Sendivogius*: In Regno Saturni Philoſophici Speculum eſt, in quo omnes naturales actiones in toto ſyſtemate Mundi apparent, &c. *Joh. de Monte-Snyders* inquit: Ignis mineralis & materia prima in minerali reperitur Saturno. Idem: Saturnus Philoſophorum metallorum omnium hoſtis & amicus, deſtructor & meliorator, in iſto metallorum omnium exaltatio reperitur, &c. Hæc autem verba non de plumbo vulgari intelligenda eſſe, ipſe Joh. de Monte-

Sny-

Snyders declarat, dicens: Saturnum Philoſophorum DUPLICI FALCE armatum, &c. quod ita explico: ſi duos characteres plumbi (quæ quaſi falces repræſentant) a dextro & ſiniſtro latere ſibi invicem opponas, exinde ſignatura oritur Antimonii. Alio loco idem materiam Philoſophorum FIGURA MUNDI ſignari remonſtrat, quæ pariter Antimonio competit. MAGNETEM vocat, quia omnia metalla in fluxu attrahit ſibique annectit; quod etiam *Baſilius Tractatu de Naturalibus* affirmat; Melioratio, inquit, metallorum in ſtella ſignata vel eorundem Magnete reperitur, a quo omnia metalla virtutes receperunt, &c. Idem variis in locis expreſſe proponit; per Antimonium breviſſimo tempore ſummam animalium & metallorum perfici poſſe Medicinam, &c.

Cur autem Philoſophi Antimonium tanto deprædicent encomio, ea eſt ratio, quia in iſto ſummam, ut dixi, requieſcere Medicinam exiſtimant, quam ſua virtute tribus Regnis ſuccurrere, ſupra demonſtravimus. In Antimonio itaque latere facultatem medicinalem, quæ vires ad tria extendat regna hoc qualecunque illuſtrat experimentum:

℞. Antimonii q. v. partem unam, fluat in crucibulo, tunc injice nitri partes duas, Tartari partem unam, poſt ſemihoram effunde, & aqua calida ſolve, fiet lixivium Sulphure Antimonii imprægnatum, pone ad fornacem calidam ut evaporet aqua, ſic remanebit ſalina quædam maſſa rubicundiſſima: Hujus recipe granum unum, divide vel in centum partes, & centeſimam particulam (nam ſi multum de Sale adhibueris, non aureum, ſed cupreum, & tandem ferreum colorem exhibebit) in cochleare argenteum optime politum impone, affunde aliquot guttas aquæ frigidæ, & circum circa iſtis deductis guttulis colore aureo pictum videbis argentum, non ſecus ac ab aurifabro optime eſſet deauratum, licet quidem adeo firmiter non adhæreat, ut ſeparari nequeat, interim tamen agnoſces, argentum ſingulari magnetiſmo ad ſe traxiſſe aureum Sulphur, ut aqua, niſi Sal vel arena adhibeatur, ablui non poſſit, & ſatis diu cum iſto permaneat colore. Iſtud admoneo, Salis hujus in colorando virtutem vix per aliquot durare dies, attrahendo enim aerem aliquo modo ab alcali ſeparatur Sulphur. Atque ſic magnam coloris aurei cum Sulphure antimoniali extenſionem demonſtravi. In morbis variis Sale hoc ſulphureo utaris a granis x. ad xv. usque xx. & iſtius alexipharmacum miraberis effectum. In regno vegetabili ſuas etiam extendere vires, iſto demonſtro experimento: ℞. Grana hordei vel avenæ, vel alius vegetabilis, circumda cum Sale iſto ſulphureo,

reo, & tempore conſueto terræ manda, magnam certe copiam tam in calamis quam granis producet, ut vix credibile ſit: Si autem exiſtimas hoc non ope Sulphuris antimonialis, ſed ſolum per alcalia effici, tenta cum alcalibus ſolum, & etiam iſto modo, ſic contingens differentia tuam tibi incredulitatem adimet.

Ex relatis non judices, me tam ineptam fovere opinionem, ut exiſtimem, per nitrum, Tartarum & Antimonium, præparari poſſe Lapidem Philoſophicum, ſed ideo adduxi exemplum, ut ex ungue Leonem judicare diſcas. Præterea quantam ſympathiam Antimonium cum mineralibus habeat ex hoc colligi poteſt, quia nullum eſt minerale, quod omnem limum, lapides, metalla & mineralia ſic reſolvat, & cum iſtis per minima ſe permiſceat, quam Antimonium, in iſto enim requieſcere humidum radicale metallorum concentratum plurimi credunt. Sic experientiſſimus Theophraſtus, omnia quæ mineralium ſunt arcana potentiſſima in Antimonio concentrative reperiri ſtatuit, &c.

Antimonium tanquam inexhauſtus medicaminum fons, in morbis fere deſperatiſſimis auxilia ſumma ſuppetit, cum nempe ſuas ſingulares virtutes, irradiando, quaſi (ut de vitro & regulo ejusdem plures longa experientia edocti teſtantur) in corpus humanum effundat, quamobrem optandum foret, ut quidam ignari (qui nunc inſcitia quaſi temulenti, antiquorum dogmatibus tam pertinaciter inhærent, ut ægrotum mori, quam ad ejus conſervationem novum dogma proficuum admittere malint) ad ſaniorem mentem redigerentur, & antimonium non plane e republica Medica proſcriberent, ſed potius de ejusdem facultatibus ſolliciti, ex ejus viſceribus optima in ægrotantium emolumentum perquirerent medicamenta. Recte & accuratiſſime de hoc ex Neotericis judicium exhibet *Sylvius* Medicus Celeberrimus: Non putem, inquit, ullum in rerum natura medicamentum ipſi Antimonio æquiparandum, poſtquam non tantum omnis generis evacuantia, ſed & alterantia ex ipſo queunt, præparari; unde ſi aliqua reperiatur in rerum natura materia, ex qua confici poſſit Medicamentum Univerſale, morbos quosvis ab humorum vitiis pendentes curans, illa revera ſit Antimonium, &c.

Nunc breviter commemorare mihi liceat quædam nomina Antimonio a Philoſophis attribui ſolita: *Joh. de Monte-Snyder* iſtud comparat MINERÆ Mercurii (tam propter ſtriatam formam, quam quod ex iſto facili negotio cinnabrium Sulphure aureo repletum præparari poſſit) alio loco vocat: DIVITEM NON FUSAM MINERAM (ein reich ungeſchmoltzen Mineral) hinc multi permoti, in An-

timonio nondum fuſo (Spießglaß-Ertz) non ſolum ſpiritum anxie inquiſiverunt, ſed etiam in deſtructione vix aliquid cognoverunt; aſt ſcias, me ſæpius operationes chymicas inſtituiſſe, tam cum fuſo, quam non fuſo Antimonio, ſed expertum eſſe, fuſum non fuſo præferendum eſſe: Inquis, cur vocat non fuſam mineram? reſpondeo, id exinde fit, quia Joh. de Monte-Snyders terminis technicis mineralium ſcrutatoribus uſitatis plurimis in locis locutus eſt; Denn die Berg-Leuthe ſagen niemahls: Das iſt geſchmoltzen Antimonium, ſondern: Das iſt geſeigert Spießglaß, hinc Autori Vocabulum ungeſchmoltzen, placuit, ut indignis opponeret velamen. *Philaletha* in via ſicca laborans, & Antimonium ad purgationem Mercurii uſurpans, iſtud nominat CHAOS, item: CENTRUM OCCULTUM, MATREM METALLORUM, ARSENICUM, DRACONEM BABYLONICUM, SATURNIAM, MAGNETEM ASTRO SEPTENTRIONALI NOTATUM, &c. Joh. de Monte-Snyders autem viam humidam ſecutus, docuit quomodo metalla & mineralia omnia cum Antimonio permiſceri debeant, ut eadem vel hoc modo ad deſtructionem aptificentur; vel ex regulo menſtruum Philoſophorum præparetur. Hinc ut indignos arceat ab intellectu Proceſſuum in Metamorphoſi accuratiſſime propoſitorum, Antimonii vocabulum variis texit denominationibus; ego potiſſimas explanabo. Vocat

1.) PATREM SUMMUM METALLORUM, ratio eſt, vel quia Saturnus a Poetis omnium Planetarum fingitur parens; vel quia, ut Theophraſtus Tractatu de vita longa, inquit, in qualibet marcaſita latet Antimonium, &c. ex marcaſitis autem coctione in terræ viſceribus generari metalla facile poſſet demonſtrari: Accedit, quod omnia metalla in primordialem, quam habuerunt figuram (in Ertz-formige Geſtalt) ope Antimonii reduci poſſe ſæpe expertus ſim.

2.) MATERIAM PRIMAM i. e. principalem, & PROXIMAM PHILOSOPHORUM.

3.) MATERIAM HERMAPHRODITICAM SOLAREM & LUNAREM: i. e. ex Sulphure & Mercurio conſtantem.

4.) OPTIMUM METALLUM & MINERALE CONCENTRATUM, non actu ſed potentia.

5.) MUNDUM PHILOSOPHORUM.

6.) POMUM AUREUM.

7.) SOLEM

7.) SOLEM CRUCE SIGNATUM.

8.) GLOBUM TRIBUS BRACHIIS.

9.) UMBRAM VENERIS.

10.) VENEREM INVERSAM.

11.) CRUCIFERUM, quæ verba omnia a Signatura Antimonii (♁) deſignationes ſortiuntur.

12.) FONTEM INFORTUNII METALLORUM, quia in Antimonio liquato omnia ſuffocantur metalla.

13.) SALVATOREM METALLORUM, quia metalla glorificat.

14.) CERBERUM.

15.) SENEM.

16.) MONARCHAM & REGEM POTENTISSIMUM. &c.

Operatio autem Joh. de Monte-Snyders ſic procedit: Primo fit amalgama cum Antimonio vel ejusdem regulo & metallo, poſt per fulmen, quod Theophraſtus in Cœlo Philoſophorum deſcripſit, metalla ſimul cum Antimonio in ſcorias rediguntur, tunc aqua vulgari elixiviatur Sulphur, præcipitaturque aceto, & optime edulcoratum ad reliquas reſervatur operationes. Ex remanentia vero cinerei plerumque coloris, aqua primum excocta, ut omnis ſalſedo alcalica abluatur, poſt aliquoties reverberata, aqua communi calida Sal extrahitur metallicum, quod formam quidem Vitrioli præ ſe fert, ſed tam fixitate quam fluiditate a Vitriolo differre videtur. Qualia nomina auctor Sulphuri & Sali attribuerit, in *Tabula* ejusdem *Scripto de Medicina* [illegible] *verſali annexa*, expoſui. Hoc ſaltem volo: Fulmen ([illegible] autore appellatur: PINGUES ADOLE VERBENAS; [illegible] A MAGICA, IGNIS ARTIFICIALIS CONSISTENS IGNE [illegible] INFLAMMATO, IGNEO AERE ET SALE VEGETABILI: [illegible] IS EX DRACONIBUS ET COLUBRIBUS, &c.) non ea quam innuit Theophraſtus, ſed hac proportione miſceri debet; (quod & Autor Metamorphoſis Planetarum Capite XXV. innuit) ℞. Terræ vegetabilis partes tres, nitri partes duas, & ignis mineralis partem unam, ſic cum novem partibus hujus pulveris totum regulum ex [illegible]ris vel fixis metallis conſtantem deſtrues; ad molliora autem me[illegible]lla pauciores fulminis ſufficere partes, facile agnoſces. Signum [illegible]nnia in ſcorias abiiſſe ceſſatio ſcintillarum erit, &c. Hoc modo [illegible]eſtrues metalla, ut Joh. de Monte-Snyders deſcripſit.

Licet vero aliquo modo hujus deſtructionis (ab antiquis minime uſitatæ) fundamentum impugnare poſſem, ad alium tamen de *Principiis Metallicis Tractatum* differo. Interim ſive verum id Sulphur metallorum eſſe credas, ſive pro ſumme ſubtiliato agnoſcas metallo, parum intereſt, cum certum ſit per mercurialem ſpiritum ſecunda vice veram extrahi Tincturam.

Ne autem in mea genuina explicatione aliquis ſit defectus, de clarificatione Salis dicendum: Debet autem clarificatio fieri per Spiritum Vini, ut dicunt Philoſophi, aſt cum Spiritus Vini nullum vitriolacea figura exiſtens corpus ſalinum reſolvat, ita procedendum: Aqua, qua cum Sal ex capite mortuo elixatum, ad tertias evaporet, & affundatur Spiritus Vini anatica aquæ proportione, ſic ſtatim præcipitabitur Sal, quod in frigido loco concreſcet in cryſtallos, hos aqua iterum ſolve, & relictis fecibus habebis depuratiſſimum, &c.

Nunc de ſpiritu tractandum: Supra dixi, Spiritum Philoſophorum in via humida ab Antimonio procedere, quod & nunc affirmo, & innumerorum quidem adducere poſſem teſtimonia, ſed ſufficiet Theophraſti: ita enim propriam intermiſcens explicationem, iſte Libro X. Archidoxorum deſcribit:

„Quicunque metallicum ſuum cœlum, id eſt Regulum Anti„monii ad ſummum graduare & in actum reducere cupit, ipſe debet „primo ex corporali vita, Mercurio vulgi, primum Ens liquidum, „tanquam cœleſtem ignem, Quintam Eſſentiam Solis, & acetum „acerrimum Metallorum extrahere, per ſolutionem cum ſua ma„tre, id eſt, arcano Salis, & cum ſtomacho Struthionis, id eſt, „Spiritu Vitrioli permiſcere, in eo Mercurium Antimonii coagula„tum ſolvere, digerere, & poſtremo in cryſtallos reducere, ſi„milis fiat cryſtallo flaveſcenti, de quo in Manuali menti „fecimus. &c.

Vides iſtum Spiritum componi ex parte mercuriali Antimonii, nempe regulo, ope (ut Lullius vocat) Vitrioli Azoquei, vel Spiritibus ſalinis vitriolatis concentratis, ut Joh. de Monte-Snyders clariſſime Metamorphoſi Capite XXIX. deſcribit, & Pharmacopeis uſitato nomine aliquoties indigitat.

Quales autem Philoſophi denominationes huic Mercuriali liquori attribuant, in Tabula ad Joh. de Monte-Snyders Tractat. de Medicina Univerſali alias explicui, atque hinc iſtas hic repetere animus non eſt; illud ſubjungo, eſſe quosdam, qui butyrum Antimonii pro Spiritu minerali Philoſophorum agnoſcunt, ſed ſi iſti Ciniflo-

nes

nes Philoſophorum Scripta recte intelligerent, & labores rite inſtituerent, iſtumque liquorem figere ſcirent, non in vanum ſemper inſtituerent operationes. Vere enim *Crollius Baſilica Chymica*, num in Chymia (inquit) aliquid præſtare poſſit hoc oleum, judicent ii, qui illud cum Auro radicaliter ſoluto fermentare, & per rotam Philoſophicam ſecundum artem requiſitam deducere norunt, &c.

Qui hoc animo perpendet, facile dijudicare poterit, cur ordinem Philoſophorum, ut Joh. de Monte-Snyders Metamorphoſ. Cap. VIII. introducit ex figura Crollii libro præfixa receperit. Audeo dicere, Menſtruum Philoſophorum butyro Antimonii admodum eſſe ſimile, ſi in hoc Salia & Sulphura metallica ſolvas, hasque aquas in phiola permiſceas, & ſigillo philoſophico munias, nihil quam coctio, opus ut a Philoſophis vocatur mulierum, reſtat.

Inquis: Omnia dixiſti, ſed qua proportione principia metallica conjungi debeant, in dubio eſt? Nam Joh. de Monte-Snyders Metamorphoſ. Cap. XVI. inquit:

℞. Unam partem Sulphuris, Spiritus tantundem, Salis autem non obliviſcaris, &c. Capite XI. p. 49. & Cap. XXV. ſibi videtur contradicere, his verbis: Mars, i. e. Philoſophus ſolvit Sulphur & Sal in appropriato ſpiritu, & confundit, &c.

Adeſtum cum omnia me explicaturum promiſerim, ſic inquam iſta conciliabis loca: Affirmo ſolutionem Sulphurum & Salium neceſſariam eſſe, nam ſi recipias Salis, Sulphuris, & Spiritus, partes anaticas, ex iſto mixto terreum quid ſaltem evadet, cum tamen Philoſophi liquidam requirant ſubſtantiam. Ergo ℞. Sulphuris ſolaris (omne autem Sulphur rubicunda Tinctura exiſtens, ſolari præditum eſt qualitate) partem unam, Spiritus ſ. Mercurii Philoſophici liquidi partes plures, (quot ſufficiant, Lector, judicato, cum una pars Sulphuris innumeras fere partes Lactis iſtius virginei in ſanguineum tingat colorem) pone in digeſtionem, & habebis liquorem ob concentratam rubedinem fere nigrum, item recipe Salis metallici cryſtalliſati, ſolve eodem modo in ſpiritu, & ſpiritus cœruleo vel viridi apparebit colore. Tunc accipe (ut Autor Capite XVI. inquit,) Sulphuris illuminati, (id eſt in ſpiritu ſoluti) partem unam, & ſpiritus (in quo Sal metallicum reſolutum) tantundem permiſce: Sic cognoſces quod una res (i. e. materia liquida,) unum vitrum, & unus ſufficiat ignis, &c. Reſtat quod non prætermittere volui, dicere Philoſophos: Ovum Philoſophicum igneo percute gladio, hoc idem eſt, ac ſi dicerent: Hermetice ſigilla, i. e. colliqua vitrum. Nam nullum ego reperire potui lutum, quod concentratiſſimos ſpiritus cu-

 ſtodiat,

ſtodiat, aſt nunc ſingularem vitra colliquandi inveni modum, quem licet deſcribere vellem, oculari tamen deficiente demonſtratione ex verbis vix percipi poſſe autumo. Atque hanc Medicinam Univerſalem conficiendi viam tribus prioribus præcellere, pluribus explanarem rationibus, niſi omnem prolixitatem evitare vellem.

Iſtam ergo, quam hic deſcripſi, laborum eliges normam, ſi ſapis Lector. Tantum eſt ex mea experientia, de fine tamen hujus Philoſophici laboris gaudere nondum licuit, ſpero tamen meliora.

Concluſio Autoris.

OMnia elegantiori modo & ordine referre fuerat animus, nunc autem cum feſtinante calamo, absque aliorum librorum auxilio has conſcribere paginas, atque ob iter quoddam ſumme neceſſarium concludere adactus fuerim, ignoſcas, Lector, ſi non ea, qua delectaris ſtyli elegantia omnia refulgeant, & cogites ſatis pulcre locutum eſſe, qui nihil quod neceſſarium, oblitus eſt. Clare etiam omnia, non invidioſos metuens raptus, demonſtravi, cum olim a Viris probis mihi fuerit inculcatum, eum, qui loquitur ut nemo intelligat, majori dignum encomio, plane ſi taceat. *Laertius de Ariſtotele* refert, cum audierat, ſe a quodam maledictis eſſe laceſſitum, tum ille: abſentem inquiebat, etiam verberet. Sic ego injuſtis hujus ſcripti calumniatoribus non ſuccenſebo, imo permittam, ut ſi diſpliceat, inſontem hanc chartam manibus dentibusque lacerent. Benevolum enim nec expeto Lectorem, nec momum timeo, cum nova mox ab ortu & ingratos ſuos habeant cenſores, veritatemque dicenti æquo animo imperitorum audienda ſunt convitia, & ad honeſta vadenti ipſum contemnendum eſſe ſciam contemptum. Iis, qui ob claritatem hic propoſitam iram concipere volunt, tandem reſpondeo: me non hominibus (peſſimis) ſed humanitati, has dicaſſe paginas. Major ſupra nos regnat Poteſtas, quæ, quibus vult, animi ſenſus obcæcabit, ſi quosdam agnoverit indignos. Philiatri autem ignoſcant, quod hic non Hippocratem, non Galenum, cæterosve, quorum etiam apud me multum valet autoritas, Medicinæ Antiſtites, ſed Paracelſum, Valentinum, &c. loquentes audiant, quippe ex horum aſſidua lectione potiſſimum hæc qualiscunque profluxit Univerſalis Medicinæ Cognitio; magnum enim in obſcuris

ſcuris probandis momentum peritorum in quavis arte teſtimonium habere, compertum eſt. Candide ſcripſi, Concludo igitur:

PROSINT AMICIS, PROFICIANT INIMICIS. DEO autem SIT GLORIA.

(*a*) Cum abunde ſatis conſtet; Salia Metallorum a multis anxie quæri, a nonnullis penitus negari, ab aliis vero ſtrenue vindicari; cumque non lateat, quantum ad hunc usque diem ſagaciores Chymici inſudarint, quantum operæ & laboris impenderint, quam innumeris fere modis & rationibus quæſiverint, ut metalla, eorumque lucis & ignis principium, ſulphur puto, a compedibus ſuis liberent & purificent, utrorumque naturam, modum præparandi, & vires, qua fieri poteſt, brevitate, hic inſerere, non inutile judico, inprimis cum in ſequentibus Excellentiſſimi Koenigii obſervationibus, hinc inde illorum mentio fiat.

D. Godofredus Rothius in Diſſertatione ſua *de Salibus Metallicis* ſub Præſidio Illuſtris D. Georg. Erneſti Stahlii Anno 1708. Halæ Magdeb. habita, ſequentia profert.

Qui ſalium Metallicorum exiſtentiam in dubium vocare, vel penitus deſtruere ſatagunt, tria potiſſimum urgent:

1.) Quicquid ſub nomine ſalis e Metallis parari ſoleat, non eſſe portionem a reliquis principiis conſtitutivis, ſulphure nim. & mercurio, per modum extractionis ſeparatam, ſed integrum metalli corpus per ſalia menſtruorum adhibitorum corroſum.

2.) Concrementum ſaltem eſſe, ex calce metallica, cum ſale aliquo coaleſcente conſtans, Magiſterii potius titulo, vel alio magis appoſito nomine, quam ſalis inſigniendum.

3.) Proinde quoque hæc e Metallis producta ſalia igne candeſcente tractata, non fluere inſtar genuinorum ſalium, ſed in calcem inſolubilem, vel ſcoriam vitreſcentem abire.

Ad primum reſpondet: ſe firmum ratumque eſſe exiſtimare, vera corporum mixtorum principia, longe eſſe ſubtiliora, quam ut ſub ſalis corporei, ulteriorique reſolutioni adhuc expoſiti, concepta ac ſchemate ſiſti queant: Interim poſſe mixtum aliquod etiam citra ultimam in vere prima principia Analyſin in partes

tes a ſe invicem revera diſtinctas dirimi, vel ſolam Tartari deſtillationem oſtendere, ubi ſane ſeorſim ſpiritus amaricans, oleum fœtidum, porro ſal fixum fuſile, & denique terra cinerea inſolubilis in conſpectum prodit; quæ cum denuo in partes heterogeneas ulterius diſtrahi valeant, nondum quidem pro primis principiis haberi poſſunt, nihilominus principiata multum diverſa, & conſiſtentia & effectu a ſe invicem diſtinguenda, cenſeri ac ſalutari utique mereatur. Quale quid in metallis ſi contingat, ſcilicet ut illa pariter in diverſas ejusmodi partes dirimantur, quid impedit, quo minus inde reſultantia apoſpasmata diverſa, diverſis etiam appellationibus, diſtinguere liceat, etiamſi arcta illa principiorum unio nondum funditus diremta, nec radicalis mixti reſolutio facta fuerit.

In Explicatione principiorum rerum chymicorum, & præcipue metallorum Beccherum & Stahlium ſequi jubet, & principium ſalinum in metallis ita deſcribit: illud non denotat perfectum & ſtricte dictum ſal, in mixtione ſalina jam conſtitutum (nempe cum aquoſitate intimius connexum) in qua etiam conſiſtentia eſſet utique alienum a metallica mixtione, nec in illa ſubſiſtere poſſet. Interim eſt utique talis ſubſtantia, quæ ſalibus uſitato ſenſu ſumtis, præ aliis, & inprimis ſulphureis quibuslibet, ſubjectis, promtiſſime omnium obſequitur, illis ſemet ſociat, &, ſano ſenſu, ab illis extrahi quaſi ſeſe patitur; certe in ejusmodi veluti conſiſtentiam cum his abit, ut hinc propius diſpoſitum ſit, ad ſubeundam mixtionem novam, aliis metallis ſalino hoc principio pauperioribus, ſeſe ſubtiliter ac intime inſinuandum.

Adducit, Chymici dexterrimi Dn. Lincken Lipſienſis ſpecimen, qui argentum e Mercurio currente fecit, per valde parvam quantitatem ſalis cujusdam metallici.

Imo provocat ad experimentum, ubi per craſſum etiam ſalinum ſchema e plumbo, cupro, &c. efformatum, in Mercurium communem ejusmodi mutatio introduci poſſit, quæ non ſolum plenam atque veram, ſed etiam omnium firmiſſimam mixtionem, egregie probet.

Porro nondum ſufficienter adhuc demonſtratum exiſtit, quod Salia metallica nihil aliud ſint, quam integrum metalli alicujus corpus per acidum corroſum ac ſolutum, adeoque cujusvis alcali beneficio in priſtinum metallum reducibile. Quamvis enim nonnulla ex his, per reductionis artificium aliquid priſtini metallici corporis exhibeant, tamdiu tamen de ſufficienti aſſerti hujus, etiam per ipſam hanc reductionem probatione dubitare licebit, usque dum plenum metalli aſſumti pondus reductione iterum obtineri, neque notabilem ejusdem quantitatem in vitrum vel ſcorias faceſſere, bona fide aſſerere, aut reductionem iſtam absque nova portionis illius magis volatilis, quæ inter calcinandum exhalavit, additione perpetrare valeat.

Rudiores quoque iſtæ per menſtrua acida inſtitutæ metallorum ſolutiones vix citra manifeſtam particularum heterogenearum ſeceſſionem contingere. Sic in

in vulgari Vitrioli martialis præparatione, h. e. ferri per oleum Vitrioli cum aqua communi dilutum ſolutione, hujusque cryſtalliſationi jam aptandæ filtratione, materia limoſa nigricans primum, per exſiccationem vero in pulverem gryſeum leviſſimum faceſſens ſolet remanere, quæ a plerisque nomine terræ inutilis abjicitur, accuratius tamen examinata, nihil aliud videtur eſſe, quam ferri portio magis ſulphurea ab acido Vitrioli, ſalinas terreasque partes promptius imbibente intacta relicta: annotante *Keslero in Ejus Cent. II. n. 27.* Imo ſi reſiduum iſtud ſiccatum cum pari quantitate Mercurii vivi diligenti tritura ſubigatur, ac ſublimationi committatur, major Mercurii additi pars, cum Sulphure hoc coaleſcens in genuinam elevatur Cinnabarim, *Cinnabaris martialis titulo* inſigniendam. Pariter acetum deſtillatum in ſolutione & cryſtalliſatione Viridis æris, multas cupri particulas relinquit intactas, non niſi Salis Ammoniaci acceſſu demum ſolubiles. Glauberus in Scriptis ſuis paſſim inculcat, ejusmodi ſedimenta in variis metallorum ſolutionibus ac digeſtionibus interdum ſecedentia, paulo diligentius examinanda; cum non raro labor hic aliquid etiam utilitatis afferre poſſet.

Imo nil obſtat, quo minus Salis titulum communi etiam acceptione, tribuere liceat tali quoque producto, quod omnes genuini Salis notas exhibet, licet citra manifeſtam reliquorum principiorum ſequeſtrationem & ſeparatam collectionem id paratum, & totum metalli corpus, vel potior ejusdem pars in ſubſtantiam ejusmodi Salini formem redactum fuerit: pariter ac ceræ vel pinguedinis tenerioris oleum, olei titulo non ideo cenſetur indignum, quod tota propemodum ceræ vel pinguedinis illius ſubſtantia motu igneo ſubtiliſata, hoc ipſum conſtituat.

Hanc Controverſiam componit facilius Salis definitio: *Quod, juxta Excellent. Dn. D. Hoffmannum Diſſertatione de Generatione Salium, ſubſtantia ſapida exiſtit, in liquido aqueo ſolubilis.* Conſentit & *Geber*, qui *Sum. perfect, L. I, p. IV. Cap. 51. de ſolutione* ita diſſerit: *Omne quod ſolvitur (in aquis acutis, acribus, & ponticis, ſicut eſt acetum deſtillatum & uva agreſtis, pruna acerba, &c. ſimiliter deſtillata) neceſſe eſt, Salis, aut aluminis, vel eorum conſimilium naturam poſſidere.*

Conſtituto ſic primario Salium charactere promta eorundem in liquido aqueo ſolubilitas, reliqua requiſita, ſcilicet, ut notabilem organis guſtus ſaporem offerant; ut menſtruis aqueis ſoluta facile iterum per horum evaporationem congruam, in ſiccam conſiſtentiam reduci queant, magis erunt ſecundaria, cæteræ affectiones coloris, fixitatis, puritatis, fuſibilitatis, differentiæ accidentales ſunt, quæ ſpeciem, nullo modo genus variare poſſunt.

Si itaque nihil aliud niſi Vitriolum ex metallis haberi poſſet, ſatisfactum foret Salia metallorum negantibus, nam illi ipſi negare non audent, metalla

Kk quælibet,

quælibet, etiam nobiliora illa, quæ flammarum violentiam alioquin eludunt, per menſtrua commoda in Vitriola ſeu cryſtallos ſalinas redigi poſſe.

Aurum quidem quod attinet, id effectu non adeo facile fuerit, ſi quis per ſuſpenſionem ſive expoſitionem laminarum aurearum ſuper vapores & halitus aquarum acutarum, quam plerique pro hoc ſcopo commendant, experimentum tentaret. Expeditam vero ac concinnam ſatis Aurum non minus, quam Argentum & Mercurium in ejusmodi cryſtallos ſ. Salia Vitriolica redigendi methodum proponit: *Erbinæus a Brandau*, in denen 12. Grund-Säulen der Natur und Kunſt. Scilicet Aurum in aqua regis, Argentum & Mercurius in aqua forti ſolvuntur, menſtrua ad dimidium circiter abſtrahuntur, tum liquori ſuperſtiti aliquot guttulæ Spiritus Vini inſtillantur (citra hujus enim acceſſum, ſolutio auri per aquam regiam facta, difficulter cryſtalliſationi paret, teſte *Cramero in Colleg. Chymico*) ita in loco frigido concreſcunt cryſtalli pellucidæ, quæ denuo in aceto deſtillato, poſtmodum in aqua pluvia deſtillata & Spiritu Vini ſolvi, atque per repetitas tales ſolutiones & coagulationes ad majorem puritatem perduci poſſunt. Conf. Kesler. Cent. I. n. 4. item Baro Schroeder. Bedencken vom Goldmachen.

Facilius ex plumbo tale Sal Vitriolicum obtineri poteſt, ope aceti deſtillati minio, lithargyrio, ceruſſæ, aliique calci plumbeæ affuſi, quod ſtatim dulceſcit & poſt debitam evaporationem ſubjunctum Sal exhibet. Citra tamen calcinationem quoque præviam, ex ipſa raſura plumbi per aquam fortem debiliorem, aut aquæ communis partibus circiter tribus dilutam, paratur.

Ex ſtanno pari methodo ac e plumbo per acetum deſtillatum Sal elici poſſe, negat quidem *Glaſerus* in Chymiſchen Wegweiſer Lib. II. ſed ſi acetum deſtillatum generoſius, cui inter deſtillandum Salis communis manipulus fuerit additus, calci joviali per ſimplicem ignitionem & interagitationem aſſiduam paratæ, affunditur, ſubjuncta dein conveniente digeſtione, omnino tantum ejus imbibit, ut inſtillato Spiritu Vitrioli protinus turbetur & præcipitetur.

Ex cupro Sal Vitriolicum ſatis commode per cæmentationem & calcinationem cum Sulphure vulgari obtinetur, idem teſtantur cryſtalli virides ex ærugine cum aceto deſtillato, vulgo deſtillirter Grünſpan dictæ.

Ex ferro eadem methodo ac e cupro Vitriolum paratur. Circa acceptam Vitrioli martis conficiendi methodum, qua ferrum Spiritui vel oleo Vitrioli tribus circiter aquæ communis partibus diluto, promte obſecundat, hoc notatu digna digna occurrit enchireſis. Videlicet acquirit non raro ſpiritus imo & ipſum oleum Vitrioli, partim per immediatam magis cum materia igneſcente inter deſtillandum communicationem, partim per ſpiritus ardentis Vinoſi admixtionem, imo per ſolam ejusdem a Mercurio currente abſtractionem (quæ in præparatione Turpeti mineralis uſu venit) inſignem Volatilitatem, tantamque penetrandi vim, ut nullo propemodum modo coerceri poſſit, quin odor ſulphureus,

adſtantes

adſtantes ferme præfocans, per juncturas exſpiret, qui tamen, indita ſaltem vaſi recipienti limatura ferri recentiore, nec rubigine obſita, velut aucupario artificio irretitur, inque elegans Vitriolum concentratur.

Nauſeoſum ſaporem, imo ſepticam Salium Vitriolicorum virtutem ſatis violentam mitigari quidam tentarunt, per repetitas in aceto ſtillatitio & aqua pluvia pariter deſtillata ſolutiones, nec non per ſpiritus Vinoſi, aut Salis Volatilis urinoſi additiones.

Spiritus Vini efficacia in acidis etiam maxime corroſivis, v. g. oleo Vitrioli, Spiritu nitri concentrato, &c. enervandis, & dulcificandis, nota eſt. De aceto deſtillato jam *Baſilius Valentinus* monuit, optimum illud virulentiæ præcipue mineralis eſſe correctorem, experimento allegato de Vitro Antimonii aliisque emeticis antimonialibus draſticis per acetum deſtillatum cicurandis. Et *Iſaacus Hollandus* aceto deſtillato tribuit encomia, quod inſignem præ aliis menſtruis metalla penetrandi, volatiliſandi, ac rectificandi, denuoque figendi habeat efficaciam.

Spiritus vero ſive Salis Volatilis urinoſi, pro Salium horum Vitriolicorum correctione aptitudinem in dubium vocare liceret, ideo, quod periculum ſubeſſe videatur, ne Salia hæc per liquoris alcalici acceſſum deſtruantur, particularum metallicarum, cum menſtruo acido coaleſcentium, nexu iterum diremto ac diſſoluto. Aſt metus iſte eſt ſupervacaneus. Cuprum enim vulgari ſaltem aqua forti ſolutum per ſpiritum urinæ, vel ſalis ammoniaci non præcipitatur, aut ſi quid ab initio ad fundum ſecedit, protinus iterum ſolvitur, majori hujus ſpiritus copia inſtillata, cum inſigni coloris exaltatione, ut liquor antea virideſcens, jam elegantiſſimum ſapphirinum colorem acquirat.

Id unice adhuc deſiderandum videtur, non facile in cryſtallos ſimilis coloris ſolutionem iſtam cogi poſſe. Simplici enim, ut ut leniſſima evaporatione, aut vaſe etiam operto, inſtituta abſtractione, mox perit amœnitas illa coloris, & magma remanet Salinum viridiuſculum, difficulter admodum coagulabile, quod paulo vehementiori calore tractatum, inſtar auri fulminantis, cum ſumma violentia, nec ſine adſtantium periculo, diſploditur.

Non minorem difficultatem in ſolutione Vitrioli Cyprii per inſtillatum ſpiritum urinoſum, pariter loco præcipitationis aut conturbationis miram coloris exaltationem ſubeunte, cryſtalliſationi tamen conſtanter reluctante ſibi objectam fatetur: *Stiſſerus* in Act. labor. Chymic. Spec. II. cap. 2. poſt varia tamen tentamina voti ſe compotem factum fuiſſe refert, ope liquoris cujusdam, nec acido corroſivi, nec alcalici lixivioſi, quem Autor l. c. non quidem diſerte nominat, nullum tamen fuiſſe alium quam Spiritum Vini rectificatum, peritiores dudum augurati ſunt.

Vitriolum Lunare per oleum Vitrioli, vel aquam fortem paratum, ope ſpiritus Urinæ aut Salis ammoniaci corrigendi methodum ſatis dilucide exponit

Glauberus Furn. Philoſophor. Part. II. Item *Proſperitat. Germaniæ Part. IV.*

Alii per additionem aliorum Salium correctionem & exaltationem Salium Vitriolicorum obtinere tentarunt:

In *Experimentis Digbaanis* Cryſtalli Lunæ hydragogas per adjectum Nitrum tutiori operationi aptare docentur. Ex matre cryſtallos rubentes per aquam fortem pauxillo nitri alteratam, obtineri tradit, *Febure*: Aurum per phlegma aquæ fortis & Sal marinum in cryſtallos rubicundiſſimas, violacei odoris, nec ingrati ſaporis, redigit Caſſius. Tractat. de Auro Cap. 10.

Aſt quamvis hæc Salia hac ratione uſui Medico magis accommodari poſſent; aliis tamen, ob evidentiorem Salium peregrinorum acceſſum, tanto minus arrident.

Miſſis ſalibus vitriolicis de illis agitur, quæ plerisque ad Salia genuina propius accedere exiſtimantur. Via huc pertingendi ex *Gebro* monſtratur, hic *Summ. perfect. Lib. I. Cap.* 51. inquit: Ex operibus naturæ probare poſſumus, ſola Salium & aluminum & ſimilium naturam poſſidentia, ſolubilia eſſe, igitur quæcunque ſolvuntur, neceſſe eſt per illorum naturam ſolvi. Sed quia videmus, omnia vere calcinata per reiterationem calcinationis & ſolutionis ſolvi, ideoque manifeſte probatur per hoc, omnia calcinata ad ſalium vel aluminum naturam approximare.

Calcinatio clavis itaque veluti Laconicæ vices ſuſtinet in arctis metallorum repagulis reſerandis, teſte Gebro id duplici ratione efficitur, vel per ſolum ignem, vel per Salis acuitatem. c. 50. Utramque Methodum exponit *Iſaacus Hollandus* peculiari Tractatu de Salibus & oleis metallicis conſcripto, & illam metallis durioribus, hanc mollioribus aptiorem cenſet.

Scilicet aurum, argentum, ſtannum, plumbum, convenientibus menſtruis acidis ſolvuntur, præcipitantur, calces ab omni ſalſedine elotæ, cucurbitis planiore fundo inſtructis, non denſius, quam ut Craſſitiem digiti æquent, inſternuntur, atque per 20. 30. imo plures dies in eo caloris gradu ſervantur, quo plumbum forte, citra incandeſcentiam tamen flueret, poſtmodum ſucceſſive ad incandeſcentiam usque ignis augetur, & ultra octiduum continuatur. Sic portio magis volatilis, quam ille Mercurium vocat, ſub florum forma elevatur, calcesque in fundo relictæ, inſtar ſpongiæ intumeſcunt. Quo facto Sal inde per acetum deſtillatum extrahitur, extractum per repetitas ſolutiones ac coagulationes purificatur.

Duriora vero metalla, e. g. æs & ferrum, in teneram ſcopem ope limæ redactæ, ſimplici ignitione, ac tanto longiori, ad 30. imo 90. dies continuanda, reverberantur, donec pari modo intumeſcant, atque Sal ſibi per acetum ſtillatitium extrahi patiantur.

Prima

Prima operatio ob inſignem patientiam & exquiſitum plane ignis regimen, (ubi præſertim vitrificatio præcavenda) paucos adhuc habuit imitatores, & apud multos vix fidem invenerit. Methodum vero, per diuturnum reverberium, metalla, penetrandi atque attenuandi, propria experientia adſtruit *Kunckelius*, qui limaturam martis hoc modo tractatam, in ſubtilem crocum effloreſcere tradit. Vid. Ej. *Ars Vitraria.*

Magis arriſit pleriſque *Methodus Monte-Snyderiana*, metalla cum regulo antimonii remixta, per nitrum, tartarum & Sulphur, congrua proportione inter ſe commixta, ita deſtruendi, ut poſt ſeparationem Salium additorum, ſulphuriſque ſequeſtrationem, ex calcibus reſiduis, ulteriore calcinatione recluſis, Sal denique poſſit extrahi. Sed hac methodo vix aliquid aliud, quam nitida Vitriola obtinentur.

Mirandum tamen, quod loco Salium & Sulphuris vulgaris, non alia mineralia, aut etiam ipſa metalla huic ſcopo aptaverint artifices.

Stannum & plumbum leni igne amice inter ſe coeunt, mox tamen, ubi ad incandeſcentiam vergit calor, ita mutuo exardeſcant, ut prunæ ad inſtar gliſcendo, in cineres protinus fatiſcant. Ita Zincum metallo v. g. plumbo fervide liquefacto (daß es treibet) fruſtulatim ingeſtum, mox lucidiſſima flamma exardeſcit, & ſub copioſa florum albiſſimorum exhalatione, una cum metallo in pulverem leviſſimum ac tenerrimum albicantem abit. Et *Beccherus in Concord. Chym. Part. ult. quam Roſetum Chymicum vocat Num.* 3. docet, aurum ipſum, per trium circirer partium Zinci admiſtionem, hujusque igne fortiſſimo ab auro ſublimationem, in calcem flaveſcentem, ſplendore omni caſſam redigere.

Magis trita & uſitata eſt methodus metalla per iteratas Mercurii ab iis abſtractiones & ſublimationes, intimius penetrandi & recludendi. Hinc alii Mercurium dulcem, alii Mercurium ſublimatum corroſivum cum calce metallica terunt, & poſtmodum ab illa iterum ſublimant. Alii Mercurii vivi miniſterio hic utuntur, de illo lege *Atremontium*, & *Borrichium in Conſpectu Chemic. Illuſtr.* §. 57. item *Beccherum in Tripode Hermet. ſub titulo Concord. Mercur. Lunæ* Lit. Y. *In operibus Angel. Salæ ſub titulo Spiritus ſolis Joh. Oſiandri Præſulis Murbacenſ.* ſequentibus Proceſſus deſcriptus extat:

Aurum, in tenuiſſimas tracteolas redactum, cum Mercurio currente amalgamatur, & ſuperflua Mercurii vivi portio per corium exprimitur. Maſſa in corio relicta, in teſta vitro obducta, ſub alembico vitreo, ad excipiendum avolantem Mercurium, prunis ardentibus imponitur; ut mercurius ab amalgamate iterum ſecedat. Enchireſis, notante Bechero, hic neceſſaria conſiſtit in eo, ut inter alembicum & vaſculum terreum, amalgama continens, ſpatium relinquatur ad digiti latitudinem, quo tanto promtius Mercurius exhalare, & alembico ſe ſe applicare poſſit. Priusquam autem Mercurius dimidia ex parte, vel in

in totum exſpiret, removenda ab igne, & rurſus terenda eſt auri maſſa, ne coeat aut coaleſcat, quod omni ſtudio præcavendum. Mercurio omni ex parte fugato, calci relictæ novus Mercurius, vel priſtinus quoque reddendus, & rurſus per ignis vim abigendus eſt, idque toties repetatur, donec eadem calx jam ægre Mercurium ſibi jungi patiatur. In labore hoc non opus eſt, ut Mercurius, in amalgamando ſoli iterum junctus, prorſus fugetur, non refert, etiamſi aliquid cum auro maneat. Quando jam calx iſta ſolaris, Mercurium ægre, vel prorſus non vult admittere, tum Mercurius omnis per calorem expellitur, ſaltem providendo, ne calx fundatur, calx illa quodammodo rubet. Calci huic affunditur acetum ſtillatitium, & quicquid Mercurius ad ſolutionem aptum reddidit, extrahitur. Tum calci relictæ priſtinus, vel novus etiam Mercurius jungitur, quem jam promtiſſime, quod ſane mirandum, ſuſcipit, & primi labores ordine repetuntur, donec tota calx ſolaris, hoc modo reſoluta ſit, quod tamen non niſi multis & repetitis laboribus fiet. Acetum, quod in ſolutione fuit adhibitum & decantatum, conjungitur, & in cineribus lento igne evocatur. Remanet in fundo Sal, qui aqua pluvia deſtillata denuo ſolvi & depurari poteſt. Sal iſte ſiccatus, & per retortam deſtillatus, penetrantiſſimum fundit ſpiritum, croci fragrantiam æmulantem, relicto in fundo capite mortuo cinereo, ex quo iterum Sal, puritate & fixitate priori longe præſtantior elici poteſt.

Joh. Ulr. Reſchius ſub titulo *Experimentorum Oſiandrianorum* tentatam a *D. Luca Oſiandro*, ſupra laudati *Joh. Oſiandri Fratre*, *Theologo non incelebri*, auri argentive Analyſin, publicæ luci expoſuit, ſequentibus: Paravit Autor laudatus ex auri purgati parte una, & Mercurii purificati partibus ſex, amalgama, quod ſuperflua Mercurii vivi quantitate per corium expreſſa, phiolæ vitreæ extus luto obductæ, atque ollulæ vulgaris fundo pertuſo, adaptatæ, impoſuit, alembico vitreo, congrue applicito, ſubjectoque igne lampadis, Mercurium omnem, vel magna ex parte exhalare fecit, ut aurum inſtar globi cinerei, vel brunneo lividi remaneret. Quo facto globum hunc, antequam refrigeſceret, & vitro nimis firmiter agglutinaretur, exemit, comminuit, redditaque aliqua Mercurii vivi quantitate, affuſa inſuper aqua communi, diligenti tritura tamdiu exercuit, donec aqua affuſa nigreſceret, qua decantata, recentem affudit, idque toties, donec nulla inter terendum nigredo amplius emergeret, repetiit. Amalgama hoc modo lotum, denuo præfata methodo tractavit, usque dum tota auri ſubſtantia in ejusmodi pulverem atrum redacta fuerit. Pulvis hic nigricans tenerrimus, teſte eodem, leniter in crucibulo candefactus, ut ipſi adhuc adhærens Mercurii vivi portio exſpiret, (quæ tamen, ſi per retortam vitream hæc inſtituatur ſeparatio, cadi & ſervari poteſt) acquirit colorem obſolete flavum, ſplendore omni orbatum, nec unquam in aurum reduci valet, verum in vitrum Smaragdinum abit, ſi cum Nitro, Tartaro & Sale communi tentetur reductio; per repentinas vero cum aceto deſtillato extractiones, totus

totus denique in ſalem redigitur; Idem ſuccedit cum argento, hoc ſaltem obſervato diſcrimine, quod aqua, qua amalgama lavatur, & ipſe pulvis, ab amalgamate abſcedens, non ita eximie nigricet, per reductionis tentamen vero, in vitrum hyacinthinum faceſſat.

Nonnulli Salium metallicorum ab aceto ſtillatitio ad extractiones adhibito, ortum deducere volunt, quibus tamen opponitur *ſolertiſſimi Borrichii obſervatio*, qua deprehenſum fuit, ipſam illam aquam, qua talia amalgamata lavantur, poſt atrati illius pulveris ſeparationem, leni calore evaporatam, pariter aliquid ſinceri ſalis exhibere, qui, ſi aqua pura ſtillatitiæ lotioni fuerit adhibita, non aliunde niſi a metallo, per repetitam hanc cum Mercurio ſubactionem quodammodo recluſo, proficiſci potuit.

Borrichii Obſervatio Tractatu de Hermet. & Ægypt. Sapient. L. II. cap. 7. ſequentibus legitur verbis: Conficio, inquit, ex quadruplo purgatiſſimi Hydrargyri, & ſimplo auri, per Antimonium ſollicite transmiſſi, amalgama, quod diu per otium in mortario vitreo, ſuper infuſa aqua ſtillatitia, divexo alteroque, interea obſervo quotidie, imo quavis hora, tantillum corporis cujusdam nigricantis in aquam ex attritu deponi, cumque liquor ſatis videretur nigrore illo fœtus, in vitrum mundum effundo, & poſt intervallum breve ſubſidentibus in fundum atratis illis atomis, natantem ſupra aquam iterum reddo amalgamati, tero ut prius, & diu hoc negotium perſequor. Poſt dies aliquot, cum nigricantes illæ particulæ viderentur abradi parcius, adjeci nonnihil puriſſimi hydrargyri, ut flexilius redderetur amalgama, & metallicæ atomi, ſub piſtillo vitreo hærentes, dividerentur exactius. Ita continuato ad aliquot hebdomadas labore hoc, nigrum iſtum pulviſculum ad æſtivi ſolis radios deſicco, variisque tentaminibus exploro, iterumne in aurum poſſit reduci, ſed nullo hactenus artificio id licuit. Aqua autem illa ſtillatitia, quæ affuſa toties fuerat, leni evaporatione, aliquot grana Salis cryſtallini in fundo reliquit. Succeſſit res eodem modo in argento, & paulo citius: ſed illæ ex argento per trituram excuſſæ atomi, non nigricant; ſed ad cinereum magis declinant colorem, & illæ in priorem argenti maſſam, quantum adhuc conſtat, reduci neſciæ. Plumbum candidum, quod ſtannum hodie vocant, pulviſculum attritu reddit nigricantem, i. e. aurei illius valde æmulum. Æs elimatum bidui attritu, quoque in verum amalgama faceſſit, utcunque id ignotum hactenus plerisque, & relinquit in aqua, primum quidem pluviſculum ſubnigrum, in progreſſu trituræ propemodum flavum. Plumbum nigrum alba ramenta, & ſic ſatis copioſa in aquam ſecernit. Aqua, quæ ſingulorum amalgamatum trituræ inſerviit, leniter in vaporem ſoluta, relinquit in fundo tantillum veri & pangentis Salis. Hydrargyro autem, huic operationi adjuncto, ne quis ſive ſaltem illum, ſive nigra illa ramenta attribuat, ſciendum, me neutrum ab eodem probe defæcato

potuiſſe

potuiſſe hactenus extorquere, cum ſolum diu multumque in mortario cum aqua ſtillatitia exercerem. Hucusque Borrichius.

Trituræ huic tædioſæ a laborioſæ, ſubſtitui poteſt digeſtio, eo tamen caloris gradu moderanda, ut Mercurius ſublimationi quidem proximus, interim tamen parum ejus actu aſcendere videatur, qua per diem & noctem, aut diutius etiam continuata, amalgama cuticula nigricante obducitur. Exemtum itaque amalgama, diligenti tritura in mortario firmo cum aqua ſtillatitia exerceatur. Ita ſecedit multam pulveris nigricantis in aquam, quæ a pulvere iſto atrato, vel per ſpontaneam ejusdem ſubſidentiam, vel filtrationis ſubſidio ſeparata, atque leni calore in vapores ſoluta, relinquit aliquid ſinceri ſalis, quamvis minimam quantitatem. Si quis tamen, monente Borrichio, loco aquæ ſtillatitiæ acetum, vel ſaltem ejusdem phlegma huic trituræ adhibuerit, plus omnino ſalis obtenturus eſſet. Item ſi pulviſculus ille ater, ope lotionis ſequeſtratus, ſiccetur, retortulæque vitreæ immittatur, ut, quæ ipſi adhuc adhæret Mercurii vivi portio, inde ſegregetur, poſtmodum in vaſe patulo, ſub diligenti agitatione, leni incandeſcentia uſtuletur, ac denique per ſpiritum aceti extrahatur, largiorem quoque ſalis proventum ſuggeret.

Uſum horum Salium quod attinet vel Phyſico-Chymicus, vel Medico-Chirurgus a D. Rothio adducitur. Prior ad Tincturam ignobiliorum metallorum ſpectat, hinc multi promittunt: Sal Metallorum eſt Lapis Philoſophorum, nec non Mercurium conſtanter figendi virtus ab Iſaaco Hollando, Kunckelio, & aliis illi adſcribitur.

In Sebaldi Schwærzeri Chymici quondam Electoris Saxonici Auguſti, ſcriptis multa de Salibus metallicis, eorum præparatione & uſu ad metalla legenda ſunt.

Hæc tamen maxime notanda ſunt, verum ſignum & probam Salis veri metallici eſſe, quod per tres continuos dies & noctes igne acerrimo calcinari poſſit, & debeat, absque ſui imminutione, quæ nota Salia Vitriolica a vere metallicis diſtinguit, teſte quodam Chymico nobili.

Uſus Medico-Chirurgicus Vitriolorum quorumlibet conſiſtit in adſtrictoria virtute, cui interdum vis ſeptica plus minus manifeſta conjungitur.

Hinc *externe* uſum non contemnendum habent in ulceribus antiquis ſordidis & valde manantibus, ut & in ipſis cancroſis ulcerationibus. Circa quæ ulcera tamen mature deliberandum an expediat, talia diu aſſuefacta ulcera cito reſtringere & conſolidare, quia non rara extant exempla noxarum vere ſonticarum ex ulceribus antiquis, ſubito deſiccatis, pullulantium. Parem circumſpectionem D. Rothius adhibendam monet inflammatoriis congeſtionibus, præcipue oculorum, per Saccharum ſaturni aut alia Vitriolica reprimi ſolitis. Circa aſperitates, cicatrices & pelliculas tunicæ corneæ per vitriolum Venereum abſumi conſuetas itidem monet. *Interne* pollet *Vitriolum ſolare* anthelminthica,

cathar-

catharctica, ſimul tamen roborandi virtute. *Vitriolum Lunare* potens eſt hydragogum, inſimul tamen ejus efficacia ſpecifica phantaſiæ aberrationes corrigendi laudatur. *Vitrioli veneris* internus uſus merito diſſuadetur; cum Mercurio vero ſociatum, ac per acetum deſtillatum denuo ſolutum & correctum in Gonorrhœa virulenta etiam inveterata, radicitus exſtirpanda laudatur; *Sal ſ. Magiſterium Joviale* Mynſichti tanquam remedium antihyſtericum ſpecificum laudatur.

Cæterum, *Clavei verbis* ex *Libro de Artificio producend. Lapid. Philoſoph.* Diſſertationem claudit D. Rothius:

Sal noſter aurificus, ſeu Lapis Philoſophorum, eſt verum Aurum potabile, quod in omni liquore ſolvitur, & præſtantiſſimum eſt, & accommodatiſſimum profligandis morbis deſperatis remedium. Huic Sali inſiſtendum eſſe potiſſimum ſemper exiſtimavi.

Addens: Huic veritati indagandæ nemo aliter, quam prudenter & circumſpecte animum ſubmittat.

Interim Excellentiſſ. D. Stahl in Opuſculis Chymicis refert, ſi Sal vere metallicum fuſibile demum reddatur, ut ceræ inſtar absque fumo fluat, tunc cum Sulphure ſuo coire, & ingreſſum in illud habere, ac intime ſe ſe unire, ut novum glorioſum productum exſurgere inde queat.

Et Clariſſ. quondam Dippelius in Tractat. de Vita & Medic. animali, cum de morbis reſolutivis, phreneſi, mania, philtris, hydrophobia &c. agit, addit: Si quæ Salia metallica ad manus ſint, faciliore omnia procedent tramite, vim enim anodynam & ſomniferam, metallis præprimis fixioribus, indidit propriæ vitæ genius, in colligendis & coarctandis ſub ſuam ſphæram activitatis humoribus apprime conſpicuus, quam vim colligendi in concitatas exhalationes corporis animalis exercens, ſuavi blandimento conturbatam animam demulcet, & ad ſomnum inclinat ſecurum omnino & recreativum, non ceu ex opio expectandus eſt ſtupefactivum & nervis inimicum.

Sulphur Metallorum quod attinet, liceat mihi Excerpta quædam ex Diſſertatione ſub Præſidio Illuſtris D. Frid. Hoffmanni de Sulphuribus Metallorum Halæ 1716. habitæ hic addere.

Per Sulphur Metallorum intelligit partem, vel terram illorum pinguem oleoſam quaſi, luminoſam, colorem & Tincturam metallis impertientem, quæ oleoſitas durabiliſſima incombuſtibilis, anima, unctuoſitas in igne permanens, vinculum reliquarum terrarum, cohæſionis principium, lucis & colorum hoſpitium & Matrix exiſtit.

Hujus Sulphuris inprimis mentionem fecerunt Iſaacus Hollandus, Baſilius Valentinus, Theophraſtus Paracelſus, Gerhardus Dorneus, Penotus, Helmontius, Sylvius, Thomſonus Polemannus, Beccherus, Chriſtianus Langius, Wedelius, Stahlius, &c.

Cum autem clauſtra metallorum tam firma eorumque repagula tam arcte munita ſint, hinc non levem operam & laborem acutumque judicium intimior eorum reſolutio poſcit; cumque tot inanes fruſtraneas operas & labores in ſuperanda hac difficultate non pauci, etiam magni nominis Chymici, impenderint, deſideratamque metam non attigerint, alii autem ſubtilibus & ſterilibus tantum ſpeculationibus intenti, absque debita adhibita operatione manuali, reſolutionem tam fixorum corporum capere non potuerint, intimiori quippe naturæ cognitione deſtituti, & ſuperficiali tantum inhiantes: hinc non pauci Sulphura ex metallis elici poſſe plane negaverint.

Aſt ſumma audacia eſt argumentandi, quod ego ignoro, iſtud nemini omnium cognitum eſt, nec a particulari ignorantia, ad univerſalem exiſtentiæ negationem ulla valet conſequentia.

Hodie enim non ignotum eſt, aurum quoque fixiſſimum, reliquaque metalla omnia cum igne ſolari per grande vitrum cauſticum ita liquari & colliquari, ut quædam ejus partes in fumo abeant, (id quod ex minuto auri pondere & oculorum acie ſatis patet) reliquæ autem in cineres ſeu terram & dehinc in vitrum convertantur, unde liquido ſatis conſtat, quod per hunc ſolis ſubtiliorem ignem, metalla intimius & penetrantius alterentur, ex ſua compoſitione turbentur, ut pars volatilior mercurialis vel phlogiſton cum fumo abeat, Sulphurea vero cum Salino in vitrum conſletur, de quibus Generoſiſſ. Tſchirnhuſius, nec non D. Godofredus & D. Hombergius dans l'Hiſtoire de l'Academie des ſciences ad annum 1702. videantur. Nec latet hodie auri, argenti, &c. Solutio in oleis vel alcalibus, cum volatiliſatione horum fixorum corporum.

Veritatem & realitatem Sulphurum metallicorum ſequens experimentum adſtruit:

Solve e. g. uncias duas argenti in ſufficienti quantitate aquæ fortis, ſolutionem præcipita cum ſpiritu vel ſolutione ſalis communis in aqua, vel, quod, ſi non melius, ſaltem idem eſt, cum una uncia olei Vitrioli, tum injice tres uncias Mercurii & vivi, & per alembicum ex arena abſtrahe, primo lente omnem aquoſitatem, deinde vero auge ignem ultimo violentiſſime idque per aliquot horas, ſi Mercurius ex recluſa luna partem ejus ſulphuream arripiet, & cum ea, pro more ſuo ſublimabitur, in cinnabarim rubram, quæ cinnabaris veram Lunæ ſulphuream terram in ſe continet. Hic Proceſſus mutatis mutandis ad omnia metalla applicari poteſt terraque ipſorum ſulphurea elevari, his modo notatis variationibus.

Ad

Ad ſolutionem plumbi aqua fortis prius cum aqua communi debilitanda erit, alias ſaturnum non aggreditur (ad unam partem aquæ fortis requiruntur duæ partes aquæ communis) & tum, eadem methodo cum ſpiritu vel aqua Salis, ſeu oleo Vitrioli præcipitetur, & cum Mercurio ſublimetur.

Ad ſolutionem ferri & cupri, tam aqua fortis, quam aqua regis adhibetur, cumque Veneris & Martis ſolutio notabilem menſtrui copiam requirat, hinc prius ad dimidias ex cucurbita abſtrahatur, & ſolutio adhuc calida cum oleo Vitrioli, (Sal commune enim hæc metalla non cornuificat) præcipitetur, & tum addito argento vivo in cinnabarim metallicam ſublimetur.

Aurum vero ante cornuificationem prius volatiliſandum & præparandum erit, ſic itidem largietur cinnabarim, quamvis aliqua ex parte adhuc reducibilem.

Hæc operatio ſi recenti ſemper menſtruo repetatur, omnis tandem ſulphurea metalli pars extrahi, & ex reſiduo verum metalli illius Sal elici poterit.

Hanc Cinnabarim non eſſe Mercurium a concentratis ſalibus ita coloratum & tinctum ſequentia illuſtrant:

Si enim metalla in ſuis corroſivis ſolvas, & absque cornuificatione (quæ vera intimior reſolutio eſt) Mercurium adjicias, abſtrahas & ſublimes, nihil tamen præter album Mercurium præcipitatum acquires.

Nec a Sale vel oleo Vitrioli Mercurius rubro colore tingitur; ab illo enim fit Mercurius ſublimatus albus, ab hoc etiam Mercurius præcipitatus albus, qui nunquam ab his Salibus rubedine tingentur.

Ad hæc Cinnabaris iſta nullum ſaporem (quæ tamen omnium Salium indoles eſt) linguæ inprimit, ſed plane eſt inſipida, nec fragilis eſt, more Mercurii ſublimati vel præcipitati, ſed dura & compacta, nec in aqua ſolvitur, prout Mercurius ſublimatus, aliaque Salina compoſita; nec denique ſunt particulæ metalli per Mercurium in ſublime raptæ, alias enim poſſibile eſſet eas per alcalia, pinguia, borracem, &c. in corpus reducere, quod vero nullo modo fieri poteſt, & quod inter præcipua eſt, metalla iterata ejusmodi tractatione, notabiliter pondere decreſcunt, imminuuntur, & tandem ita deſtruuntur, ut extracto omni Sulphure, reliquum in corpus metallicum reduci plane non poſſit, ſed verum metalli Sal largiatur.

Cui volupe eſt hoc Sulphur metallicum a Mercurio liberare ſequentibus modis id fieri poteſt.

1.) Si ſolutioni, poſt injectum Mercurium, aliquot etiam Mercurii ſublimati uncias addas, & poſtea, ut ante dictum, ſublimes, omne ſublimatum in

 aqua

aqua communi coquas, tum Mercurius ſublimatus ſimul Mercurium ex cinnabari ſolvet & extrahet, relicto in fundo Sulphure.

2.) Cum aceto fortiſſimo, aut Sale Tartari volatili, vel menſtruo quodam oleoſo extrahe Sulphur ex cinnabari, & Mercurius reſtabit in fundo, ſolutio vero abſtrahi, & Sulphur in ſpiritu Vini diſſolvi poterit.

3.) Superfunde Cinnabari quatuor partes aquæ fortis & abſtrahe, ultimo fortiori igne, ſic Mercurius, dimiſſo Sulphure, arripiet Salia ex aqua forti, cumque iis in Mercurium ſublimatum elevabitur, Sulphur autem, cum in aqua forti amplius ſolvi non queat, ſed aquam regis poſtulet, hinc in fundo remanet.

4.) Addendo alcali quoddam, Mercurius per retortam abſtrahatur, & Sulphur cum alcali remanebit.

5.) Injice Cinnabarim in aquam fortem, adde ei Sal commune, & abſtrahe aquam fortem, ultimo ignem ſublimationis dando, tum Mercurius ſublimati inſtar adſcendit, ſulphur vero in ſale, ſeu potius nitro remanet, ex quo, vel cum ſpiritu vini extrahi, vel ex ſale in aqua ſoluto ſulphur cum ſpiritu vini præcipitari poterit.

Aliæ faciliores & commodiores Methodi ſulphura metallorum extrahendi & eſſentificandi in dicta Diſſertatione uberrime producuntur. De quibus tamen notandum, metalla omnia, fixiora præſertim, neceſſario prius ſubtiliſanda, recludenda, aperienda vel volatiliſanda eſſe, ut poſtmodum menſtrua benigniora, ex apertis his metallis, ſulphur facilius ſeparare valeant.

Helmontius, Polemannus & Thomſon per ſpiritum ſalis ammoniaci acidum, metalla cohobando, ſuper alembicum ducunt, & ex hoc croco ſulphur cum ſale tartari volatili extrahere geſtiunt. Ab Autore vero Diſſertationis ſpiritus ex oleo Vitrioli & Sale ammoniaco acidus protruſus ad volatiliſationem metallorum optime commendatur, cum quo in reliquis omnibus ſecundum *methodum Polemanni de Sulphure Philoſophorum* procedi poteſt.

Menſtrua, quæ ex recluſis metallis ſympathica extractione ſolum ſulphur, neglectis intactisque cæteris principiis aggrediuntur & extrahunt, dividuntur in *humida & ſicca*.

Humida ſunt vel oleoſa, vel alcalina, vel acida.

Cum vero ſulphura metallorum ſint pinguia & oleoſa ipſorum principia, hinc optime & ſympathice in ejusmodi pinguibus oleoſis & alcalinis menſtruis, tanquam ſui homogeneis diſſolvuntur. Ex his principem ſibi locum arrogat *Sal Tartari volatile.*

Ex praxi vero conſtat olea & alcalia fixa ita nude non miſceri & uniri invicem, hinc occultis ea combinandi enchireſibus opus eſt; verior methodus ita deſcribitur.

Præparetur modo communi Sal Tartari aere, quod aliquoties cum calce viva cementando, magis igneum reddatur, & cum 3. 4. partibus olei cujusdam ætherei, e. g. Terebinthinæ, juniperi: &c. ſucceſſive imbibatur, ſæpius terendo & circumagitando, donec omnes olei partes imbibitæ fuerint, his notatis probe enchireſibus, ut pauca ſemper olei quantitas affundatur, tritura creberrime reiteretur, & vaſculum, cum contenta maſſa, aeri frigidiori in cella, per totum hoc tempus exponatur, aër enim medium conjunctionis eſt, quod occultam digeſtionem vocarunt; ſic tandem maſſam accipies lacteam ſaponi formem; Hic ſapo per 40. dies digeratur ad Salinam usque conſiſtentiam, ex qua poſtmodum ſpiritum Salis Tartari volatilem pellere, vel ſpiritum vini, cum ea maſſa acuare poteris. Sic nactus eris Menſtruum ad Sulphura metallica extrahenda omnium fere nobiliſſimum, de hoc Paracelſus ſcribit: Spiritus Vini non ſolvit aurum, niſi inſit Sal circulatum.

Nec incongrua eorum methodus æſtimatur, qui Sal Tartari cum aceto deſtillato ad ſaturationem impraegnatum, ſpiritu Vini ſolvunt, & in terram foliatam redigunt, ex qua poſtmodum lege artis ſpiritum volatilem alcalinum deſtillant, inprimis ſi Sal Tartari ante ſaturationem per repetitas cum calce viva cementationes in oleum incoagulabile converſum prius fuerit, majores enim inde ſpiritus ex hoc prolectus igneasque vires acquirit, ſique acetum deſtillatum ex generoſiori vino paratum fuerit, multo citius ſaturatio abſolvitur, quam ſi ex viliori, cujus quidem ad hoc multo major quantitas requiritur.

Menſtruum ex ſpiritu Salis ammoniaci urinoſo & ſpiritu Vini rectificatiſſimo, de meliori in Diſſertatione commendatur, & ejus efficacia tanta deſcribitur, ut ex metallis aliquatenus præparatis, Sulphura ipſorum potenter ſatis extrahere & eſſentificare queat.

Nec laude ſua privandus erit ſpiritus, qui ex Sale ammoniaco, per calcem vivam fixato, & in eo ſoluto Mercurio ſublimato (quamvis alii crudum etiam Sal ammoniacum adhibeant) inque chartam bibulam, vel pumicem imbibito, & per cornutam deſtillato conficitur; hic enim ob particularum mercurialium ſimul immixtionem intimius reſolvit metalla, penetrat, ſulphuraque ipſorum extrahit.

Ex acidis menſtruis præ aliis commendatur ſpiritus ex oleo Vitrioli & Sale ammoniaco combinatus.

Ex acidis dulcificatis menſtruis ſpiritus ſalis dulcis laudatur, cum additamento, ſi aurum debite prius volatiliſatum fuerit, methodus hæc optime procedit,

cedit, dudum enim Baſilius Sulphuris ſolis extractionem per hunc ſpiritum aperte ſatis docuit.

Inter ſicca Sulphurum metallicorum menſtrua, recenſentur.

1.) Omne alcali, e. g. Sal Tartari fixum, quod in fluxu mineralia & metalla recluſa ingreditur, ex iisque partem Sulphuream extrahit, hoc modo ex Vitriolo, vel etiam capite mortuo Vitrioli, vel aquæ fortis Sulphur Vitrioli extrahi poteſt.

2.) Sal ammoniacum, quod ſublimat fixiſſima, & Sulphura ex metallis recluſis ſecum ſimul elevat. Multo majores vero vires exſerit Glauberi Sal ammoniacum ſecretum ex oleo Vitrioli & ſpiritu Salis ammoniaci confectum, quod longe potentius metalla penetrat & evehit.

3.) Sal mirabile Glauberi.

4.) Hepar Sulphuris, quo Illuſtris Stahlius aurum recludit.

5.) Proceſſus Monte-Snyderi qui per fulmen, ex nitro, Sulphure & Tartaro paratum, regulo Antimonii illiquata & pulveriſata metalla, detonando reſolvit, ex iisque Sulphur & Sal ſeparat, recenſetur.

6.) Mercurius ſublimatus, cum quo Autor Lullii redivivi Lunam in via ſicca ad Tincturam extrahendam, & alius cum eo Tincturam Martis præparat.

Tandem omnibus recenſitis menſtruum quoddam ſiccum, & in omni liquore ſolubile antefertur, quod ex Sale ammoniaco & Mercurio ſublimato componitur, adeo enim hoc metalla reſolvere dicitur, ut qui recte ipſo uti noverit, ei Menſtrui alkaheſtini vices, ad mineralia & metalla omnia deſtruenda, commodiſſime ſupplere queat. Nam ex ipſis metallorum vitris & amauſis, quæ alias corroſivorum omnium vim irrident, Sulphur fixum extrahit, metalla etiam fixiſſima volatilia reddit & recludit, nec quicquam ei reſiſtere valet, hinc miræ cum ipſo operationes perfici poſſunt. Dignum certe menſtruum, ut plus operæ a peritioribus ipſi impendatur, deque meliori nota ad penitius indagandum commendetur.

De hoc menſtruo id teſtantur Manuſcripta Beati Avi, illud ſibi ceu Calcinationem Philoſophicam omnium metallorum ſub fide ſilentii Philoſophici concreditum fuiſſe a Chymico non infimæ ſortis.

Sufficiant hæc de Modis extrahendi Sulphura metallica allegaſſe, Diſſertatio ipſa erudite & practice conſcripta legenti adhuc plures ſuppeditabit.

Uſum Metallicorum Sulphurum quod attinet, ille vel ad Alchymiam, vel Medicinam ſpectat. Inde alii cum depuratis metallicis Sulphuribus aurum

colore

colore ſuo exaltare, alii Lunam in aurum tingere, alii cum adjuncto Menſtruo mercuriali in Tincturam figere, alii Mercurium cum iis in aurum convertere, alii cum Mercurio vel Sale metallico in lapidem tingentem exaltare nituntur.

D. Wedelius in Pharmaciæ Acroamaticæ Lib. II Sect. V. Cap. IV. §. 6. de Sulphure dicit, illud coagulare Mercurium, quæ regula, addit, in doctrina de metallis, & ipſa Alchymia magni eſt momenti, unde qui Cinnabarin invenere primitus, inquiſivere ſic eandem coagulationem in aurum. Eſt vero non una hæc coagulatio, ſed variat reſpectu Sulphuris ipſius, & reſpectu Mercurii, quæ prout in puritate, & additamentis, volatilitate, fixitate variant: ita etiam effecta in metallis non una viſuntur. Sufficiat hinc nobis, aliam eſſe laxiorem coagulationem, aliam ſtrictiorem & revera metallicam; Hinc etiam diviſio Sulphuris v. g. metallici, alia eſt notabilis in externum & internum. Illud eſt ſeparabile, hoc minus, illud phlogiſton magis, hoc viſcedo metallica.

Hinc qui Mercurium transmutare in aurum volunt, id ſine Sulphure, ſi peragere tentent, fruſtra ſunt. Duo hæc indubie ſunt artis fundamenta, & inconcuſſa quidem, cum Mercurius prima metallorum materia, absque Sulphure nunquam in metallum coagulari poſſit: licet & ipſe ſuum internum habeat Sulphur. Sed hæc obiter.

Medicum uſum quod attinet, in his omnium metallorum Sulphura conveniunt, quod virtutem anodynam, nervinam, cordialem, confortantem, naturæ pacativam, collectivam, alexipharmacam poſſideant.

Pro diverſitate vero morborum electio inſtituenda eſt, & pro diverſitate menſtrui diverſa quoque Sulphuri ſimul indoles inprimitur, & quo nobilius menſtruum, eo excellentior Tinctura; quod tamen eo non extendendum, ac ſi omnis operatio a ſolis menſtruis proveniret, cum ſicca etiam Sulphura ſat nobiles effectus edant, & contumaces, erronei & inveterati naturæ motus in morbis Chronicis non aliter tolluntur, & natura deſuefit, quam per vera metallorum Sulphura. Plures effectus & uſus inſignes Diſſertatio docebit.

II. D.

II.

D. EMANUELIS KOENIGII PROFESSORIS IN UNIVERSITATE BASILIENSI EPISTOLA DE ELIXIR SOPHORUM.

Ad

Ampliſſimum, Graviſſimum, Nobiliſſimum,

Dominum

FRANCISCUM LUDOVICUM D'ESTAVAY, Dominum de Mollondin, olim Colonell & Gubernatorem Comitatus Neoburgici, nunc Senatorem Solodorenſem.

QUinque præcipue ſunt obſervanda in compoſitione Elixiris Sophorum, ſeu Medicinæ in his terris ſummæ. *Primum*, ut componatur Elixir ex corporibus & ſpiritibus in unum proportionabiliter conjunctis, & per nigredinem ad verum album tendentibus, ſub quo finaliter immutabilis rubedo continetur, tunc enim dicitur *Æs noſtrum*, *noſtra compoſitio*, & *noſtrum Elixir:*

Secundum vero eſt, quod corpora calcinentur, & a natura metallica deſtruantur, & tunc apud Philoſophos ſublimantur & lavantur, ut perfectiora & ſubtiliora inveniantur ad Elixir componendum: & ſimiliter ſpiritus ſublimantur & lavantur & vivificantur iteratis vicibus, deinde cum corporibus conjunguntur, ut ſic ad perfectiorem albedinem perveniantur, tunc ſi componatur Elixir debet ex tribus conſtare, ſcilicet corpore mortificato, & ex anima & ex ſpiritu, & quando hæc tria in unum conjunguntur, revivificant corpus mortuum, ſi per bonum regimen & ad temporis quantitatem perducantur; & ſic ſublimatum corpus

corpus & glorificatum, penetrat corpus glorificando & perpetuando. Opus ſcilicet Philoſophicum nil eſt aliud quam corporis cum ſpiritu reſurrectio & in cœlum velut adſcenſio, poſtquam ſcilicet prius ſpiritus corpus flagellavit, contrivit, & tanquam ignis infernalis combuſſit, & in cineres mortuos per pœnitentiam redegit.

Tertio regatur Elixir calore ſolis pro ejus putrefactione, nam nunquam corpus glorificatum erit, nec ſuſcipiet animam, & ſpiritum niſi poſt putredinem. In opere Philoſophico, ait *Setonius*, in ingenioſiſſima ſua Parabola, mater hujus rei eſt reaffuſa toties aqua metallica, & quicquid ex ea naſcitur, more vermium per putrefactionem naſcitur, ideo Philoſophi Phœnicem & Salamandram crearunt. Si enim e duorum corporum corruptione fieret, eſſet res morti obnoxia, at quia ſe tantum revivificat, deſtructo corpore priori, emicat aliud incorruptibile, ſcilicet corpus auri alterandum, & ejus partes a ſe invicem minutiſſime divellendæ, ut aliter invertantur, dislocentur, & compages auri arcta diſſolvatur vinculaque ejus & carceres, quibus captivum detinetur, paſſivumque ſaltem redditur, deſtruantur, id quod ingenioſum, ſed patientem requirit artificem, quare & *quarto* convertenda elementa in unum alterius eorum; & cavendum ne fugiant, nec comburantur per nimium calorem, quoniam ſi comburerentur, gaudium omne periret, materia ſcilicet vitrificata, unde deinceps inſolubilis amplius redderetur; cum calidum in frigidum & ſiccum in humidum permutatum erit, ſecuritas erit in opere, ſcopus enim eſt humidum ſicco unire unione firma, dum acidum & alcali utrumque fixum & volatile in Chao Antimonii ope ignis externi ex citato Archeo, continuo motu in orbem vertuntur, ac ſe mutuo amplexa in unum corpus coeunt; Alcali vero Volatile ſive ſpiritus dat fuſionem, Alcali fixum ſive anima, Tincturam, & ideo ſi Elixir non funditur, caret ſpiritu, ſi non tingit caret anima.

Elixiri enim perfecto quinque inſunt propriæ & neceſſariæ qualitates, ut ſit fuſile, permanens, penetrans, tingens & multiplicans. Tincturam & fixationem, ait Eſpagnetus Arcan. Hermet. Philoſoph. Oper. §. CXXV. a fermento penetrationem, a Sulphure attenuato, & in minutiſſimos atomos diviſo, fuſionem a Mercurio ſalificato, qui medium eſt conjungendi Tincturas, fermenti nempe & Sulphuris; multiplicati vero virtutem a ſumma denſitate auri & ſpiritu ſumme penetrativo & agili mutuatur. Sciendum vero, quod licet corpus reducatur in aquam limpidiſſimam, non tamen ſit propterea liquefactum, quo usque per regimen decens ad nigredinem perveniat, hæc enim non niſi per diutinam ſpiritus & corporis luctam longum & du-

rum certamen apparet ; evaporat enim ſæpius ſpiritus antequam compacto nimis corpori ſe immiſcere poterit, hoc vero dum tandem obtinebitur & corvus enaſcetur, certum emortui Draconis erit indicium.

Quinto converſis elementis, mutata ſcilicet aqua in terram (vis ſcilicet ejus integra eſt, dum in terram fuerit converſum, inquit Hermes, unde deinde colores in vitrificatione emergentes etiam reſultant) Mercurius ſæpius ſuper terram calcinatam & putrefactam erit reducendus & reimbibitio decens peragenda, hic enim cum aurum gravitate æquet, vel ſaltem proxime ad ejus gravitatem accedat, permanentem auro ſubtilitatem inducet, duritiem ejus penitus franget, ſuperabit, futileque reddet, ut non amplius reconcentrari ullo modo poſſit; hoc vero non obtinebitur, niſi diutina contritione cum aqua, multiplici enim ſaltem & alterna ſolutionis & coagulationis reiteratione nota extenſa totumque opus abſolvitur, & non niſi potus ſuavitate terra emollita, eum intra ſua viſcera ſuſceptum ſiſtet. Fundamentum vero hujus Philoſophici operis & veræ ſolutionis eſt: v. g. Sulphuris communis cum oleo deſtillato, dum nempe hæc invicem ſolvuntur, & ſæpius per retortam lento calore abſtrahuntur, & cohobantur, (ceu ut Philaletha inquit: Opus Philoſophicum non niſi cohobationem eſſe duarum naturarum, unius ſuper aliam, ut virtus digeſta cum non digeſto extrahatur) idque toties repetitur donec ſolvens & ſolutum adeo ſint unita, ut nulla arte a ſe invicem amplius ſeparari poſſint, ſulphurque (non minus ſic & aurum) ad fundum & radicem internam ſit recluſum, adeo ut ſulphur hoc ſolutum & volatiliſatum (pariter & aurum ut corporale fit ſpirituale, & Mercurius, ut ſpiritualis fit corporalis, oportet nimirum toties facere fixum volatile, & volatile fixum, quousque totum figatur & fluat: ſpiritus in corpus eſt vertendus, & corpus in ſpiritum, & rurſus ſpiritus in corpus, & tunc facta eſt amicitia inter frigidum & calidum, & inter calidum & ſiccum, elementaque prope converſa erunt ut dictum) multo majorem habeat virtutem in medicina quam prius, idque ex ſolutione eſſentiali, qua aurum in Sulphur Philoſophicum & terram ſubtiliſſimam ex calcinatione ſumme calidam & ſiccam, in cujus ventre ignis naturæ abunde multiplicatur, occultatur, reducitur, & cum ſuo ſimili mercuriali miro artificio unitur, hæc enim præcipua proprietas eſt, qua eſſentialis & naturæ conveniens ſolutio, a corroſiva ſolutione diſtinguitur, quod nempe corroſiva ſint rurſus ſeparabilia, eſſentiale vero ſolvens nullatenus, ſed cum auro ſola digeſtione & prægreſſa debita reactione coagulationem fixam & fuſilem ſuſcipiat, formamque ipſi novam

attri-

attribuat, quæ ipſi juxta gradus ſubtiliationis factæ congruit, fixitatem enim ex propria ſubſtantia obtinet, ſed ſubtilitatem & penetrantiam tali arte acquirit: hinc namque Veteres Philoſophi dixerunt: Natura natura gaudet, natura naturam vincit, permutat, emendat. Simile ſimili gaudet. Ex quo quid conſtat, ex eo nutritur; hoc vero fit in connubio omnium naturaliſſimo auri & Mercurii ſophici, quo aurum a natura in duriſſima coagulatione metallica conſtitutum, a ſuo ſimili ſolvitur, præparatur, volatiliſatur, ut rarum, leve, & ſpongioſum fiat, omnesque ejus atomi a Mercurio rite inflentur, ſicque tandem Tinctura ex eo obtineri poſſit & extrorſum ejus interius verti. Etſi vero duo perfecta metalla aurum & argentum ulteriore perfectione egere minime videantur, dum eorum animæ jam ſatis ſunt perfectæ, & ſuam perfectionem ante manum artificis a natura ejusque coctione ſint aſſecuta, non tamen obſtat, ait eleganter *Polemannus* de Myſterio Sulphuris Philoſophici Cap. IX. quo minus talis a natura perfecta Tinctura vel anima auri & argenti perfectior fieri, & in plus quam perfectionis ſtatum poni poſſit: Hoc enim pretioſæ arti Chymicæ non eſt impoſſibile, quod Libri Sapientum abunde teſtantur:

Interea nihilominus ſuſpicari quis poſſet, nec ignem nec Mercurium aurum plus quam perfectum, ſed ſolum perfectionem ejus ſummam manifeſtare partes ejus ſumme compactas, ab aere preſſas in libertatem vindicando, non ſecus, ac dum crocus ſolvitur, is non amplius arte excoquitur, ſed ſolum extenditur, & in aqua ejus Tinctura diſtribuitur, ceu & denuo in fermentatione tingendum, cum Sole & Luna Elixir album & rubeum, poſtquam Mercurius eorum Tincturam prius ſuſcepit, quo ſuſceptam poſtea aliis communicare poſſit: Hoc vero opus, ut in ventriculo humano vim ſuam diffundere poſſit, ipſum calefaciendo, illuminando ejus Archeum, & hinc corpus univerſum irradiando, omnem acrimoniam lymphæ temperando, & impuritates quasvis a ſanguine ſequeſtrando, quia enim ignem ejusmodi Sulphur vocare licet, etiam virtutes ſuas exſerere per calefactionem dici poteſt, & victorioſe in humidum noſtrum radicale agere, nihilque eo ad vitam longiorem eſſe benignius, ceu de Sulphure Vitrioli cum Sale mirabili Glauberi elicito, alias hoc prædicatur.

Ne vero circa multiplicationem aliquid intactum relinquatur, dicendum erit, ex primo Philoſophorum Sulphure aliud nobilius adhuc gigni poſſe, dum ſubtiliorem conſiſtentiam aſſumet, quotiescunque enim nova reſolutione per Mercurium in Mercurium ſubti-

liantur, totiescunque novam & ſubtiliorem formam acquirent, juxta quam ejusmodi maſſa metallica & materia Tincturæ reſtringitur, ſubtiliatur & penetrans redditur, unde fit, ut ob frequentiorem penetrationem & ſubtiliationem ſemper plus intimiusque metallorum poros ſubire, particulasque eorum tingere poſſit, atque ita in multiplicativa vi in qualitate & quantitate augeatur, non ſecus ac Vini ſpiritus, quo plus deſtillatur, ſubtilior redditur, pariter namque ex phyſico & Lulliano Vino habebitur ſpiritus tingens rectificatus metallicus, dum ſubtiliatione & penetratione mercurialis ſubſtantiæ aurum hoc ſumme ſubtiliatum acquirit formam, aliam nempe majoris ſubtilitatis, quam voce ſolutionis omnes Philoſophi indigitant & inculcant, unde deinde ſequitur Coagulatio, motus ſcilicet naturæ, ut in omnibus generationibus is animadvertitur, de liquido ad ſolidum, quod fit, dum ſubtilis gravisque metallica terra, evaporantibus particulis acido terreis mercurialibus, remanet, & repetita calcinatione inductaque hinc ſufficienti ſalificatione, materia fuſilis decenterque emollita, & in ſtatum quendam medium reducta, obtinetur: quo pacto autem motus naturalium fiat de liquido ad ſolidum patet ex principiis corporum omnium, quæ *Kunckelius* Obſervationibus Chymicis pag. 57. aquam, ſalem & terram ſtatuit, ex quibus aqua eſt prima materia generationis omnium corporum, terra vero ultima, annumeratis etiam ipſis quoque gemmis, Sal vero medium & vinculum omnium rerum, imo in eo eſſe ſemen mixti, ab eoque habere mixti peculiarem partium organiſationem, & conſequenter firmitatem & conſiſtentiam, (unde & Mercurio vulgi ejusque particulis divulſis invicem in projectione erit inſtar fibularum aut vinculorum) docte ſtatuit *de Lanis Magiſt. Natur. & Art.* Hoc Sal, licet in igne fluat, aquam tamen ſuam, ex qua etiam ortum fuit, retinet, & quamdiu in igne eſt, pelluciditatem, quæ alias in Vitro ab aqua & Sale proficiſcitur. Hinc namque Nobilitas Elixirii noſtri Arcani Arcanorum, Medicinæ in his terris ſummæ, & Typi glorificationis quondam noſtræ reſultat, dum aqua talis ſeu humidum radicale mixturæ Auri & Mercurii in cineribus eorum occultum inſeparabile eſt, & in nobile iſtud corpus diaphanum quaſi æthereum & glorificatum reduci poteſt; quia igitur ex aqua ſal & terra proficiſcuntur, & ex hoc chonade oriuntur omnia, cunctisque in rebus trinitas hæc cernitur indiſſolubilis, (cujus forte cauſa, aperto ore, profitetur Kunckelius, verum Chymicum & naturæ indigitatorem multa facilius repræſentare & credere poſſe, quam multos nonnunquam Theologos etiam quoad articulos fidei Chriſtianæ) & ex hisce tribus, ut aqua, ſale,

ſale, & terra omnis colorum, ſaporum, odorum, venenoſitatis & ſalubritatis varietas, quam vel artificis manus varia & diverſa commixtione & ſubtilitate, vel etiam ipſa natura ex ſe peperit, oritur, jubet etiam ingenioſe, quoad Elixirii Sophorum compoſitionem, ex prima materia primo aquam conficere, dein ſal & terram, & tum deinceps ſemper naturam Ducem ſequi, ſcilicet poſt ſolutionem (inter quæ tamen non eſt differentia temporis) coagulare, de liquido in ſolidum tendere, idque calore non frigore mediante, qui enim ſcit congelare aquam calido, ait *Setonius Tract. V.* & ſpiritum cum ea jungere, certe rem inveniet millies pretioſiorem auro & argento & omni re, dum nempe ad imitationem Naturæ ſpiritus igneus tenuiſſimus & colorificus materiam ad mutuam unionem & plexum diſponit; hinc & prout Kunckelius, de terra docet, ipſam ex aqua & ſale generatam, nunquam dein amplius in aquam ad ultimum reſolvi poſſe, ſuumque ſal & aquam ad extremum usque ultimi judicii diem, inſeparabiliter atque indiſſolubiliter retinere, dicendum etiam erit de noſtro Elixirio Sophorum, dum illud terreæ fieri jubetur conſiſtentiæ ſcilicet fuſibilis, etiam cum his terreis particulis colligari & firmiter implicari partes ſalinas & aqueas radicales cum terra ſcilicet auri (ſeparatione enim citatus Autor, deprehendit unam marcam auri, tres circiter uncias terræ mortuæ albæ habere, qua ſine additione ſalis irreducibilis eſt, vitrumque reddit lactei coloris, reliquum vero ex additione alcali maximam partem Mercurium eſſe, excepta exigua quadam portione terræ rubræ, quæ Sal volatile cum acido verius dici poteſt) immiſceri intime partes terreas, aqueas, ſalinas, graves, calcinatas Mercurii, adeo ut auri ſic recluſi poris adhæreant, & nullatenus, ac invicem divelli poſſint, ſic etiam, ut dum igne liquantur, ſolvatur quidem nexus unius partis compoſitæ ex terreo- ſalino- & aqueo, quo illa pars uniebatur, alteri ſimiliter compoſitæ, verum non poſſunt ſingulas illas partes ulterius ita dividere, ut aqueum ſalinum ſeparetur a terreo, horum amborum ſic commixtorie, & cum ipſo igne poſſint avolare: Hinc & cum non facile adhæreant avolantibus corpuſculis igneis, fixæ perſiſtunt, hujusque nomine gaudent, ſed inſimul etiam ſpirituales appellantur, quia partes auri ſumme attenuatæ ſunt & invicem diviſæ, nulloque nexu cohærentes, dum huc illuc agitantur, ab interſperſis igneis corpuſculis ipſum corpus ſic diviſum & agitatum, fuſibile dicitur a Philoſophis; Perfectio enim Elixirii, ut jam dictum, conſiſtit in ſtricta humidi & ſicci unione, & indiſſolubili aquæ, ſalis, & terræ matrimonio, ita ut hæc nunquam ſeparentur, ſed ſiccum modico

 calore

calore fluat in humidum ad omnem ignis preſſuram permanens, ſignumque perfectionis eſt, ſi tantillum illius ſuper laminam ferream aut æneam candentem injectum, ſine fumo illico fluat, qualis fuſio perſiſtit, quamdiu ab ignearum particularum ingreſſu materia rareſcit, nec rurſus denſatur, complicaturque niſi ignis particulas ſufficienti impetu agitans ab illis ſeparetur & avolet; impar vero omnino ad ullas ceu graviores elevandas.

Sicuti autem tali Elixirio hæc tria Principia perfectiſſimo & omnium abſolutiſſimo modo combinata ſunt, ita ut concentrata Magnetica velut virtus mineralium, juxta Baſilium Valentinum dici mereatur, methodo velut Analytica eluceſcent metallorum hinc perfectionem ſuam mendicantium compoſitiones: (nam prout Elixir per repetitas ſolutiones & coagulationes de ſpiſſitudine auri ad tenuitatem & ſpiritualitatem naturamque ſubtiliſſimam deducitur, ita e converſo per proportionatam projectionem, de tenuitate & ſpiritualitate ad corporis groſſi, naturam quoque accedet, ob partes mercuriales groſſas, quibus inſeparabiliter ex magnetiſmo incorporatur) generetur enim in terræ viſceribus materia Mercurii, primum ens metallorum, influentia aſtrorum bene collecta & coctione coadunata, ad hanc terra acido conjuncta, æqualiterque vel minus æqualiter admixta, pro frigoris & caloris operationibus metallum, vel ductile, vel friabile conſtituent, nam putrefactio, digeſtio, & fermentatio non minus ac in magno opere Philoſophico, hic facient omnia, & prout hæc ipſa corpora primum inæqualiter ab aqua generantur, ita calor ſubterraneus ſuo fungetur munere; Gur enim Helmontio ita dictum, & a Matheſio in Sarepta inprimis obſervatum, inde emerget, quia vero ſic aqua terram ſuam (ut in viſcoſitatibus lapidibus in aqua adhærentibus animadvertere eſt) per calorem adventitium, in minima copia uno loco dimiſit, in hocce Gur ob fermentationem acidum progignetur, & ex materia tali arctius ſibi firmiusque juncta, ſimul metalli quondam genus efformabitur, imo etiam ſæpius varia eorum genera in uno quartio, vel Lapide, prout hæc materia Gur nominata, æqualiter vel inæqualiter componitur, celeriusque vel tardius concreſcit, haud ſecus ac in corpore humano ſe cum ſanguine humano ejusque liquore nutritio habet, in quo tum ſanguis jam coagulatus, caro ſcilicet, tum fluidus adhuc reperitur, & prout diverſis quis ciborum potusque generibus utitur, naturamque ſuam aſſuefacit, varia etiam ſanguinis & lymphæ diſſimilitudo animadvertitur, ſubinde calore, ſubinde frigore, viciſſim prædominantibus; Ipſe vero calor & frigus, juxta ingenioſiſ-

ſimum

ſimum Kunckelium, pugna eſt, illa inter acidum & volatile, quæ in fermentatione inæqualiter prædominantur, unde tumores, tubera, aliaque id genus incommodorum oriuntur, unde & fieri nequit, ut æqualitas ulla, verum mixtura quædam ſemper & inæqualitas tam in terra, quam in ipſis quoque hominibus inveniatur.

Exinde etiam ex æqualitate ſcilicet & inæqualitate Salis acidi Volatilis & terræ, varii colores reſultant, prout experimentis circa Tincturam Veneris, modo viridem, modo cœruleam, modo rubram, prout varia Salis acridi muriatici, volatilis affuſione pateſcit, unde varia præcipitatur terra, & quantum in ſpiritibus terræ ſit, deprehenditur, patetque a Sale contrario ſemper colorem mutari absque Sulphuris adminiculo, adeo, ut ex ternario hoc Volatilis, acidi, & terræ, varie inter ſe differentium varii colores apparent, non ſecus ac apud *Svventerum in deliciis Mathematicis* novem perſonæ multoties ſedes mutant, ut nullus eorum in priſtinam redeat.

Rubet vero Tinctura & velut Rex Coronam pretioſiſſimis Rubinis contextam gerit, quia partes mercuriales auri ramoſæ, optime digeſtæ, & terra alba vitrea immixtæ, tinctæque portione illa terræ rubræ, quam in auro ex Anatome ceperit Kunckelius, partibus hiſce Salinis acidis ſummopere augentur, & hæc compage iſta particularum ramoſarum diſſoluta, per omnes partes ſe diffundunt, adeo ut hic color a Sale & tetra qua ſummopere turget ex calcinationibus toties repetitis extraverſa, omnino ſit derivandus, unde prout in mineris, Mercurius colorum varietatem accipit a Sale acido & volatico & inæquali digeſtione, etiam a Tinctura hac tingi poterit in aurum; Mercurius enim, qui (alias ſuum Sal volatile primum creſcens, inſipidum & inodorum in aqua & aere latitans, & aquam mediante aliqua generata terra ſubtili perlata obtinet) Sal libenter amplectitur, & facile per acidum coagulatur, ut in Cinnabari vulgari, Turbith, præcipitato rubro, & coagulato cum Tinctura Smiridis & viridis æris patet: neque vero ullum Sal volatile acido e Diametro oppoſitum fluxum & volubilitatem ipſi adimere valet, quia, ut dictum, aqua ejus tantum Salis ſubtilis volatilis poſſidet, quantum retinere & ſolvere poteſt, adeo ut homogeneum ſuum non amplius recipiat; unde & notanter laudatus Philoſophus Chymicus fatetur, nullo Sale quicquam Mercurio fixitatis extorqueri poſſe, ut in Metallum (in aurum nempe & argentum facilius, quam in imperfectam quandam naturam adducitur) abeat, niſi forte Salis metallorum id fiat, adjumento; Sciendum enim ex *Hollando* Operis mine-

mineralis Cap. XLIII. non eſſe certiorem aut breviorem viam ac rationem, quam operari in Sale metallorum, omne Sal metalli eſſe Elixir, & omne ſecretum conſiſtere in ſale & oleo metallorum, per reverberationem educendo, unde tantopere a ſapientibus eſt abſconditum, & quamvis juxta eundem Cap. 88. cum Sal aut terra metallorum cum oleo ipſorum ſunt educta ex metallis uſtione ignis, Mercurius ejus aut aer videatur ſeparari a terra & oleo, hincque omnem ingreſſionem, quæ expetitur (juxta illud: *aer ingreſſum dat, ignis Tincturam, oleum liqueſcere facit, terra fixat*) auferri diutina ignis uſtione, nihilominus ſatis aeris remanet in igne, quantum ei ſufficere poſſit, quin elementa ita conglutinata ſunt, ut nunquam a ſe invicem ſeparari poſſint, quin permiſta inter ſe maneant, & quinta eſſentia metalli, quæ incombuſtibilis eſt, ſe monſtret. Hinc *Roſarius Philoſophus in Turba* Vol. II. p. 223. ait: Sal metallorum eſt Lapis Philoſophorum & Lapis noſter eſt aqua congelata in auro & argento, & *Gummertus de Vitrificatione:* Vitrificatio auri & argenti totalis meo judicio via breviſſima & compendioſiſſima videtur perveniendi ad Tincturam, cujus mentio fit apud *Hollandum* & *Apocalypſ.* III. & XXI.

Quia vero in metallis puris nil reperitur quam Sal, in Mercurio & extra hunc itidem Sal, reſiduo terra exiſtente, & color a terra ſolubili, quæ cum Sale luſum inſtituit, accidentaliter proveniat, hujusque Mercurii & Salis puri, (tali enim Mercurium abunde ſcatere diximus) reſpectu omnia metalla inter ſe conveniant, patebit quoque in Salis metallici præparatione attendendum eſſe ad Sal illud quod diximus in iis reperiri inſipidum & inodorum, de hoc enim itidem participabit Tinctura metallorum, vel potius ſaltem erit Sal ejusmodi naturale inſipidum & inodorum prius volatile debite fixatum, & ab arte e corporibus in quibus in copia fixatum jam abundat, elicitum, ſciendum enim, Sal ejusmodi inſipidum, inodorum, & Mercurium, (præcipue Philoſophicum) omnia metalla in genere obtinere, (idque ex ortu, dum Mercurium ex aqua & ſale potiſſimum, cum ſubtili terra conſtare diximus, & ex Mercurio metalla progigni Philoſophorum communis eſt opinio) Salque metallicum itidem nec odorem, nec ſaporem ullum exhibere, id quod notabili experimento Kunckelius in arte Vitraria verſatiſſimus ſiſtit, obſervat: Chymicis Cap. III. de Sale volatili: Teneo, inquit, rationem Salis ex Metallis præparandi, quod in laboratorio non inſtructo, officina vitraria, aut ſimili quodam diuturno igne, præparare laborioſius eſt, illud Sal, primum in Sale & aceto ſolvitur, aut cum iſtis

extra-

extrahitur, tranſitque cum illis filtrum ; Si vero ſemel, velut alumen plumoſum concreverit, nullo deinceps neque aceto neque aqua amplius ſolvitur, nec in ullo igne liqueſcit, præterquam immoderato calore, ubi lacteo Vitro, (tale ſimiliter ex terra mortua alba ex auri anatome C. VII. obtinuiſſe refert, conjecta ſcilicet illa in crucibulum, & igne fuſorio, binis circiter horis ſubminiſtrato, candebat inſtar cretæ nullatenus liqueſcens, usque dum fluxum ipſi adderet, quo facto lacteum, non nigrum obtinuit vitrum) ſimile evadit, quæ res non ſine cauſa multarum meditationum anſam præbuit: ubi vero eo redegeram, ut in aqua ſolveretur, ſuperinfudi Mercurio depurato, qui totus tremulus hinc inde volitans apparebat, ex actione ſalis in illum, donec aquam inde calore abſtraxi, ubi in ruductione friabilem obtinui maſſam, (ſimilem ſcilicet iſti de qua *Antonius de Abbatia* in MS. refert) quæ poſt aliquot fuſiones & in teſta purgationes, pulcherrimi argenti puri duas circiter lotones & ſemiſſem reddidit; Ex tali vero ſale, nec odor, nec ſapor, elici potuit, ſicut nec ex aliorum metallorum ſalibus, quæ parare hinc inde docet, *Iſaacus Hollandus.*

In ſumma, quod Philoſophi quærunt eſt in Mercurio, ſicut ipſa metalla, quorum melioratio expetitur, ex Mercurio conſtant, ut patet ex ponderoſitate illorum, quæ indicium eſt, tantum illa in ſe continere Mercurii, quantum accedunt, ad pondus auri, reliquum eſt terra ſeparabilis immunda, qua ſeparata metalla facilius in Mercurium quoque reſolventem, & cum, uti dictum eſt, finalis rerum modus phyſicus ſit de liquido in ſolidum, & contra e ſolido in liquidum tendat, requiretur quoque, ut non ſaltem metalla, in aquam mercurialem primævumque fluorem reſolvantur, ſed & ſic mercurificata recongelantur, & figantur, id quod per ſolam mixtionem ope caloris & ignis contingit, cum omnia quæ ad calorem faciunt, etiam ad mixtionem & alterationem faciant, & trituratio & digeſtio, a Chymicis tantopere in turba, & alibi laudatæ mixtionis ancillæ ſint. Egregie hac de re *Zvvælfferus in Mantiſſa Spagyrica Cap. I.* Nobilis, inquit, & Philoſophica ſolutio auri illa dicitur, quæ aqua mercuriali ſeu menſtruo homogeneo peragitur, quo elementa in auro per naturam anatiſata, ſeu concordia facta, diſcordia redduntur, (ſcilicet appoſitione aquæ Mercurii ut ignis elemento prædominetur, vel mercurialitas potentiæ Sulphuris) dum elementum aquæ fit prædominans; quo ingenio harmoniam illam elementorum in auro diſcordem fieri, corpusque ſolare, miræ alias ob ſummam puritatem longamque decoctionem fixitatis, & perfectio-

 fectio-

fectionis corruere, in pulverem fatiſcere, artique cedere neceſſum eſt.

Hinc variæ manant præparationes, præprimis vero ſummum Veterum Philoſophorum Arcanum, non niſi variis ænigmatibus, notis, atque figuris hieroglyphicis poſteritati relictum, quod non niſi DEUS, cui vult, revelat, *eſtque revera nil aliud, quam ex auro nativo & Mercurio non alterato, tertium quid utriusque particeps digeſtione humida elicere, illudque ab heterogeneo ſeparatum, digerere, triturare, & tirculare variatione colorum ad ſummam atque purpuream perfectionem.* Hocque artificio a mediocriter ingenioſo omnia obſcura luce clariora capiuntur. Notandum vero, quod poſtquam metalla per repetitas volatiliſationes in minutiſſimas atomos fuerint diviſa, & poteſtatem mercurialem in pulviſculos incomprehenſibiles dilacerata, menſtruo benigno, vel ſimili, quod nimirum æque igneæ eſt naturæ, ac Lapis hic Ignis præparatus, uniantur, ut hoc ingenio quaſi vegetentur, i. e. a regno minerali, ſive natura metallica in vegetabilem, naturæ humanæ amicum & receptibilem transferantur, quam in rem loco ſpiritus vini ſimplicis, præſtabit alcali volatiliſato inſuper acuatus, e. g.

℞. Florum ſalis ammoniaci q. ſ. & affundatur Alcohol Vini ad eminentiam trium digitorum transverſorum, & per Menſem digerantur, ut paulatim ſpiritus vini imprægnetur ſale volatili urinoſo, ſic enim hic ſpiritus volatilis crocum ſolarem optime in ſe recipiet, ac elegantiſſime ſolvet, ut quoque ſpiritu dein leniter abſtracto, verum aurum potabile in fundo permaneat, quod totum ſpiritus, virtus & lumen eſt, curioſa vere curioſa exhibiturum, de quo Ephemerid. Nat. Curioſ. II. Dec. II. Ann. VII. Obſ. XLII. Excell. Samuel Ledelius inquit: Datur Panacea, quæ in forma pilulari ad grana duo exhibita pro doſi radicitus tollit omnes morbos chronicos: Epilepſiam quæ ab ipſa pueritia inſedit, mediante ſudore copioſiſſimo radicitus extirpavit, venenum per annum latens expulit ſudore fœtidiſſimo, peſti epinicium canit, & Lui Venereæ aliisque impuritatibus ſanguinis, præcipue & Cancro ſine recidivæ metu, ob vim renovativam, quam heroicum hocce medicamentum corpori impertit.

III. D.

III.

D. EMANUELIS KOENIGII MEDICI ET PROFESSORIS IN UNIVERSITATE BASILIENSI CELEBERRIMI

DE

MODO EXALTATIONIS METALLORUM OBSERVATIO.

LApidis Philoſophici exiſtentiam neminem ſanæ mentis negare, eamque aſſerere ex Profeſſo *Michaelem Meyerum*, *Danielem Morhofium*, *Caſparum Cramerum*, *Johannem Arndium*, *Valentinum Weigelium*, *Johannem Gerbardum*, & *Joh. Adamum Oſiandrum*, docte aſſerit *Excellentiſſimus Dominus D. Hannemannus Dec. II. Ephemeridum Naturæ Curioſorum*, *Anno V.* Inter cujus poſſeſſorum numerum cum referat Theologos, minime mirum obvenit Doctiſſimo Morhofio, ceu cui in Polyhiſtore p. 209. non ignotum eſt, perpetuum Myſticæ Theologiæ cum arcaniori ſcientia naturali ab ejus Doctoribus ſtatui conſenſum, & non tam ſuperſtitionis quam abſconditæ pietatis argumentum eſſe eorum, qui arcanis rerum naturalium quaſi typis quibusdam rerum Divinarum Myſteria adumbrari ſentiunt, quod multis ad Chriſtianiſmi ſacra amplectanda profuit.

Tractatuum vero Lapidis Phyſici compoſitionem docentium ingentem eſſe numerum nemo negaverit, principaliores autem, qui dilucide magis illum detegunt, hactenus delituiſſe, itidem in confeſſo eſt: Sic namque refert *Watſon Theatro variarum rerum* in Biblio-

theca ſua adſervari Manuſcripta de eodem, quæ aliquando in lucem edere animo conſtituerit. Nos cum inſigne ejusmodi Manuſcriptum tineis & blattis ſurripuerimus, ex eo breve aliquod Compendium de Lapide Philoſophorum *Illuſtri Philoſopho Arnoldo Villa Novano* (de quo ipſius Coætaneus *Johannes Andreas*, *J. C. in addit. ad ſpeculat. Tit. de Crimine falſi* refert: Noſtris diebus habuimus Magiſtrum Arnoldum de Villa Nova in Curia Romana ſummum Medicum & Theologum, qui & Magnus Alchimiſta, Virgulas auri, quas faciebat, conſentiebat omni probationi ſubmitti) attributum, quod hactenus lucem non vidit, hic Lectori Benevolo ſiſtimus: ceu quod aperte ſatis & dilucide artem detegit, & cum Manuductione ad *Cœlum Chimicum Tollii* penitus concordat:

„O Fratres Chariſſimi, inquit, ſi eſtis filii hujus artis Divinæ, „oportet vos ab omni errore,& omni erroris via declinare,notate ergo, „quod in tribus conſiſtat Lapis Philoſophorum & verum Elixir: ſcili„cet, ex Lapide lunari, in quo eſt Sulphur album; ex Lapide ſolari, in „quo eſt Sulphur rubeum, & ex Lapide mercuriali. O Fratres „mei, notate verba, quia ex ſummi Artificis Operibus, Omni„potentis DEI, ars noſtra Divina extrahitur, quoniam ſummus DEUS „creavit corpus humanum commixtibile, ſive diſſolubile, & ei „de ſpiritu animali infundere dignatus eſt, hoc eſt in quo conſiſtit „ratio atque vita. Et cum hoc corpus ſit corruptibile & ægrotum, „perpetuari & glorificari non valet, niſi omnia infecta ejusdem cor„poris ſeparentur ab eodem ad tempus, corpusque ſepeliatur mor„tuum, & penitus diſſolvatur, putreſcat & incineretur, deinde „virtute DEI ſibi reſtituatur vita, & ſua anima de novo introduca„tur in illud, & fiat reſurrectio, quam ſequitur vita immortalis. „Eodem modo in arte noſtra Divina eſt intelligendum. Ergo qui „ſcit mortificare & poſt mortem vivificari, & ſcit animam extrahe„re a corpore, ut vivus moriatur & mortuus reſurgat, ſepties mo„riendo, & ſepties reſurgendo erit Rex divitiarum: quia ſi vivus „conjungitur corpori Solis vel Lunæ, tunc primo ipſe vivus mori„tur, hoc eſt, per longam decoctionem anima moritur, id eſt, „Mercurius vivus, qui fuit cum corpore naturaliter congelatus, „unit ſe cum ſpiritu exteriore, id eſt cum Mercurio; qui conjun„ctus amalgamando cum corpore mortificat corpus, extrahendo „animam ejus: qui ſpiritus fuit aliqualiter cum corpore mor„tificatus: & ſic Mercurius corporis oritur & vivificatur cum „Mercurio vivo: Compoſiti ambo, ſcilicet ſpiritus & anima a „Mercurio extrahuntur per ſublimationem, & corpus rema-

„net

„net mortuum quaſi cinis: deinde anima & ſpiritus debent reddi „corpori, & corpus debet reſuſcitari, & ſpiritus & anima debent „in corpore mortuo præparato univerſali conjungi unione: Quamobrem a Philoſophis dicitur: qui mecum oritur, mecum moritur: it: Draco non moritur niſi cum fratre ſuo (i. e. Mercurius „cum auro & argento) interficiatur. Et quia ſpiritus eſt animæ locus, „ideo in aqua i. e. Mercurio extrahitur anima a corpore ſuo, & anima eſt Tinctura ſoluta in ſpiritu, qui eſt aqua permanens, & dirigitur in forma fugitivi, & quando aliquis ad hunc factum pervenit, jam didatus eſt; Unde ſi ſciveritis ponere terram in aquam, & „aquam in aerem, & aerem in ignem, & ignem in terram cum debita proportione ponderis, ad omnia ſecreta artis noſtræ Divinæ pervenietis ſine dubio. Item ſcias, quod Lapis noſter reſolutus tranſit in „terram, & terra rarefacta tranſit in aquam, & aqua depurata tranſit in aerem, & aer attenuatus tranſit in ignem, & ignis inſpiſſatus tranſit in aerem, & aer denſatus in aquam, & aqua congelata „in terram, & terra compacta in Lapidem. Conclude ergo, quod „duo ſunt principalia exordia quibus utimur, ſcilicet maſculinum „& femininum, in quibus quatuor elementa conjunguntur, unde „ſcias, quod hic mas & hæc femina communiter Lapidem noſtrum „gignant; Et Sulphur quamvis ſit maſculus in hoc loco albedinis natura velante, muliebrem ſuſcipit formam & patitur, ergo ſi Philoſophus es, noſti quod in occultum eſt Sulphur noſtrum, quod de „aere noſtro extrahimus dealbato, quod eſt Arſenicum noſtrum ſublimatum: Hæc igitur eſt filia Sulphuris & Uxor & Vipera, quæ „maritum ſuum interficit, & ipſum in ventre ſuo recludit: Effodiatur ergo illi ſepulcrum, & ſepeliatur mulier cum viro mortuo „in fimo equino quousque ſponte conjungantur; hujus fimi equini „decoctio eſt apud Philoſophos obſcura transfiguratio, quæ non „pervenit ad artificem duræ cervicis, cujus fimi equini figuram & „intellectum, ſi enucleaveris inter Philoſophos non immerito computari mereberis. Et dico, quod illius mulieris venter plenus eſt „veneno, Venenum voco non Sulphur agens, ſed Sulphur patiens, „quod primo ſuccumbit, quod uxoris formam ſuſcipit, deinde fit „mas; & tum complentur verba Philoſophi: Natura naturam continet, natura naturam ſuperat, & ea gaudet in æternum; Et hoc „eleganter manifeſtat *Morienus Romanus*, ubi reprehendit errantes, „dicens: Ad effectum hujus artis non pervenietis quousque Sol „& Luna, ſcilicet philoſophice in unum corpus redigantur: Nonne „ſcis, quod Lapis noſter caret ſimili in terra, & quod dicitur terra,

„nec credas, quod ego dicam de terra vulgari, ſed de terra noſtra „philoſophica. Eſt autem hic Lapis noſter aureus intrinſecus & ar- „genteus extrinſecus, cum autem alteratur, fit corpus ejus nigrum „& tenebroſum, ut carbo, ſpiritus autem ab eo ablatus eſt liquidus „& albus ut aqua; color vero animæ ejus eſt rubeus, quibus ipſi „corpori purificato redditis, tale corpus vivit, & lætatur, quare vi- „debitis eum ridentem, quia mortui cum reſurgant, ſunt perpetui, „& hoc non eſt aliud niſi ſpiritus Sulphuris quem extraximus a ſuo „corpore, & iterum ſibi reddidimus in reſurrectione, Salem & Sul- „phur naturæ nuncupantes. „ *Hucusque Arnoldus.*

Sal nimirum Metallorum eſt Lapis Philoſophorum, & hic non niſi aqua eſt congelata in auro & argento, nimirum, ut Agricola minor docet, recipienda Lilia duo, album & rubrum, quæ vaſi in- cluſa, locanda in vaporarium lene, ut lilium album ſe expandat, & in ſe recipiat rubrum, quia vero hoc naturæ eſt igneæ odorem ſuum Sulphureo balſamicum in frigidum album lilium extendit, ut mutuo invicem certent ob contrarias qualitates, quo fit ut creſcant ambo in cœlum, repellantur vero deorſum a ventis in terram, atque hoc aliquoties reiteratis vicibus, (coquatur ergo iterum inquit, *Aſtratus in Turba*, & non tædeat vos decoctionis, poſtea aperiatur vas, & ni- gredo invenietur, qua aſſumta apparebit albedo nobiliſſima) donec a labore adſcenſionis & deſcenſionis feſſi delaſſati, in terra quieſcant, & in æternum commixti maneant. Nimirum ex duabus rebus fit una res, dum in minimis ſuis partibus ita miſcentur, ut nunquam a ſe invicem divelli poſſint; conjunctione vero in fixitatem facta, rurſus ſolvatur, idque toties fiat, donec in medicinam abeat, quæ fundi poſſit, tam facile ac cera, & clara, ſubtilis, compacta, pon- deroſa ſit, ut cum ſuper ignem ponitur inſtar metalli liqueſcat, & priusquam Mercurius vulgaris avolet, ſe cum illo & cum omnibus metallis imperfectis per minimas partes, (ſequeſtrando partes Sulphu- reas combuſtibiles) conjungat, & illa adeo penetret, ac ſi de illorum ſubſtantia eſſet, & quæ poſtquam una res facta ſunt, nulla penitus arte ab iis ſeparari poſſit, ob convenientiam perquam ſerratura ape- ritur per ingreſſionem unius naturæ mercurialis in aliam. Aurum ſcilicet, vel argentum, quæ metallorum perfectiſſime miſta ſunt, nullis facultatibus agentibus, ſed ſolum perpetiendi potentia ſunt præ- dita, & hinc penitus incapacia quæ per ſe imperfectam miſtionem reliquorum metallorum perficere poſſint, Tinctura vero ex iis ope Mercurii Sophici elicita agendi & patiendi potentia pollet, unde im- perfectam miſtionem metallorum cupellam minime ſuſtinentium per- ficit:

ficit: ratio autem cur Tinctura perfectiori miſtione & facultate ſit prædita, fluit ex antedictis, quod ſcilicet elementa corporum miſtorum præcipue durioris compagis (particulis ſibi valde incumbentibus unde malleo adeo dilatari & extendi poſſunt aurum & argentum, ut ex Drachma una Caſellis in Principis Mauritii Theſauro rerum naturalium equus fabricatus videatur, omnibus lineamentis vivum æmulans) dum denuo miſcentur multo nobiliora & ſubtiliora evadant, id quod fit, juxta *Philaletham ſuper Riplæi portas* aliosque, ſolvendo & coagulendo, aperiendo & claudendo, volatiliſando & figendo, molle durum, & durum molle efficiendo, quousque ſpiritus corpus, & corpus ſpiritus fiat, non negligendo monitum Philoſophi: Operatio tua eſt iteratio, & in ſale eſt Tinctura vera ſine mendacio. Aurum ſcilicet penitus apertum eſſe debet & calcinatum, ut deinde intra poros ſuos novum Mercurium ex fixatione recipiat, qui ſi ſufficienti copia fixatus ſe immiſceat, partibus auri calcinatis & ſublimatis, ob ſalis una ingeſti copiam, fuſionem facilem facit; atque hoc eſt, quod inquit *Baſilius Valentinus in Præfatione Clavium: Pernix avis de meridie potenti fera de Oriente cor ex pectore eruit:* Mercurius ſcilicet eſt, qui aurum a natura metallica malleabili deſtruit, & in nobiliorem formam deducit, unde elegantiſſime *Avicenna in Emblemate: Aquila volans per aerem, & Bufo gradiens ſuper terram eſt magiſterium:* Quale Symbolum Philoſophicum & Hieroglyphicum inſigne Rudolphus II. Imperator Medicinæ Chimicæ amantiſſimus, ob ſingulares cauſas Clypeo *Michaelis Meyeri*, qui ſcilicet Adeptus erat, una cum duplici galea ſuperimpoſita, inſculptum voluit, conceſſis inſuper Privilegiis Palatinatus, ut vocant, & exemptionis fori Privilegiis, uti præter *Excellentiſſimum Hannemannum Miſcellan. Curioſ. Dec. II. A. V. Obſ.* 114. notat ipſe *Meyerus Hieroglyphicis Ægyptio Græcis*. p. 240. Aquila ſcilicet notat Lunam Philoſophicam, vel potius ex affinitate aquam, quæ, ut pennæ aquilæ aurum facile aſſumunt, ſi deaurentur, ita facile quoque fit aurea, (ſi nimirum ſuperinjiciatur auro in cupella fluido) materia ſcilicet hæc fugax & volatilis inſtar aquilæ ad nubes ipſas evolat, & ſolis radios in oculos immittit, uti docte citat. Meyerus in Symbolo auri Menſ. p. 199. quia ſcilicet ſoli amicatur, & ejus lumen diligit & aurum ex mercurio ortum eſt, cujus aquila hæc philoſophica eſt particeps, quare etiam inde aurum non ſaltem Mathematici & per contiguas partes cum ipſis miſcetur, ſed etiam prægreſſa alteratione debita per partes continuas, inducto in extenſos poros dilatati auri fixo hocce ſpiritu, idque eo fortius & nobilius, quo ſæpius hæc aquila nidum

ſuum

ſuum involaverit, & denuo evolaverit; Bufo quid inde indicet etiam facile conſtabit, terram ſcilicet philoſophicam, ceu quæ volare neſcit, ut naturæ fixæ & firmæ, cui veluti baſi & fundamento domus aureola ſuper ædificatur, unde *Kunckelius Obſervat. Chimic. p. 26.* Fixa & volatilia non differunt, niſi ratione conſiſtentiæ & prout plus vel minus terræ habent, & alibi; eo redigenda terra in auro, quæ alba eſt & vitrum lacteum præbet, ut ſpirituali quodam modo ingreſſum obtineat, & aliis quidquam communicare poſſit. Quare juxta *Grummettum de Nitro ſive ſanguine Naturæ* alæ hujus aquilæ ſolius ſolem inſpicientis comburendæ ſunt & figendæ, Dianaque noſtra candida, ita in ſudorem diſponenda, ut tandem penitus ſanguinea evadat. Ne vero fabuloſe hæc eſſe quis ſibi imaginetur, & doctrinam hanc ſine cognitione materiæ proximæ & cauſæ efficientis fundatam eſſe, en Conteſtationem *Autoris Vetuſtiſſimi Duelli Lapidis cum Auro & Mercurio vulgi.*

Per DEUM Omnipotentem, nec non animæ meæ ſalutem notum facio indagatoribus hujus artis excellentiſſimæ, ex fideli mente & commiſeratione diuturnæ inveſtigationis, quod totum opus noſtrum ſit ſaltem ex una re & in ſe ipſo perficiatur, nec plus neceſſe habeat, quam ſolutionem & reinſpiſſationem, idque fieri debet, ſine ulla re aliena ſicut glacies in ſicco vaſe ſuper ignem collocata, in calore aqua fit, ita etiam Lapis noſter non pluris indiget quam auxilii artificis per ejus manualem operationem nec non ignis naturalis, per ſe ſolum enim hoc non poteſt, quamvis æternum jaceret in terra, quo circa juvandus eſt, minime tamen res peregrinas & contrarias ei adhibendo, ſed potius ut frumentum in campis a DEO nobis datur, nosque id molere & pinſere oportet, ut panis fiat, ſic & hic DEUS creavit nobis hoc æs, quod tantum recipimus, ejus corpus crudum & craſſum deſtruimus, nucleum bonum interiorem colligimus, ſuperfluum removemus, & ex veneno Medicinam paramus: ſolutio ſcilicet fit in proprio ſanguine, dum extrahitur aqua a terra & iterum ſuper terram demittitur. Sicut enim, ait *Laurentius Ventura* Venetus, aqua non ſubito, ſed paulatim a terra adſcendit, & ſecum animam extrahit, ita etiam non ſubito, ſed paulatim ſuper terram reducitur, quia non ſimul tota cum terra ſua coagulatur & deſiccatur ſed per partes, ita quod aquæ qualitas magis magisque per tempora diminuitur, quousque tota deſiccetur, ut in pulverem convertatur. Quæ vero ab ejusmodi diſruptione corporis ſive terrenarum partium dilaceratione & diviſione phœnomena emergant, vel

ſola plumbi calcinatio & vitrificatio monſtrat, dum ex atomorum inverſione, & luminis reflexione modificata varii colores conſpiciuntur; pariter namque hoc in opere ſigna mortis & putrefactionis & vitæ ſive reſurrectionis ſe produnt, illius quidem color niger, odor fœtidus, & ſubtilitas pulveris, hujus vero color albus ad modum marmoris relucentis & ſalis albiſſimi & odor ſuavis: odor ſuavis ait, doctiſſime *in fortuitis Tollius p.* 188. inſtar aromatum Arabiæ felicis in hoc opere a miſellis deſtillatoribus expectatur in aludelibus, in quibus neſcio quas terras virgineas digerunt, ſed credant hi boni viri, nunquam ſe reperturos hunc odorem quamdiu utentur vitris circulatoriis; Circulatio hæc interna eſt in ipſa materia & odor ſuavis veris Chimicis eſt abolita immundi Sulphuris corrodente malignitate depurati Mercurii Philoſophici vis penetrativa. Alborem quod attinet, ne quid impoſſibile eſſe quis exiſtimet, aurum fulvo colore ſuperbiens alba veſte indui poſſe, teſtimonium adducemus tum Doctiſſimi *Georg. Hieronymi Welſchii Hecatoſt. Obſervation. Medicar. II.* 74., *tum Geſneri in Evonymo p.* 221. Prior p. 45. ait: Cum multa ex argento Medicamenta ad Epilepſiam vulgo celebrentur, nos hic ex auro quoque argenteo reddito ſeu albificato reliquis omnibus præferendum remedium referemus, eo candore, quo olim *Joh. Rumlerus a Carolo Weidmanno Poliatro Auguſtano Chemices* peritiſſimo acceperat, ex capite ut vocant corvi nigri præparatum: Sic vero dicitur terra illa nigra, quæ ab auro in primam ſuam materiam reducto a ſublimatione in fundo fixa reſidet; non ignoramus noſtra adeo nuper ætate haud levem controverſiam de iſta metallorum in ſua principia & Mercurium inprimis reductione agitatam, nec loco iſthoc cenſuram interponimus, ſed libere atteſtamur, Autorem hujus Medicamenti aurum non aliter quam addito hydrargyro ſolviſſe; Corpori ſic ſoluto, ut vocabat, deinde addebat corporis calcinati par pondus, in vitro bene obturato, ne quid exſpirare poſſet, igni cineritio committebat, (aliter procedere potuiſſet, ſolum in teſtula liquefaciendo,) tamdiu donec materia omnis adſcenſu & deſcenſu frequenti ſublimata ad feces relapſa, cum iisdem fixa remaneret in fundo, nihilque ulterius ad ſuperiora emitteret: Hanc terram ſeu maſſam nigram, Caput Corvi philoſophicum dictum deinde ſic dealbare ſolebat; ſiccatam & calcinatam cum ſolutione propria denuo toties ſublimare pergebat, donec in fundo plane nivei coloris ſubſtitiſſet. Non eſt cur exponamus, notanter inquit, quid illa fecerit in coloribus metallorum exaltandis: hac ipſa ad Epilepſiam in

Oo pul-

pulverem redacta cum ſucceſſu utebatur: plane eodem modo, quo hodie Eſſentiam Lunæ ſiccam adhibent; ratio ſane non repugnat, ſed etiam efficaciorem, quam illa eſt, docere poteſt, nec hydrargyrum, ſi quid ejus reſtiterit in compoſito, taxari meretur, quia Mercurio dulci ſimilis eſt, non aliter ſane, ac iſtud caput Melanocoracis ſublimatione parato. Qui minore idcirco labore ſe expedire voluerit, Mercurium dulcem, cum aureo Vellere Weidneriano aut alia quacunque ſolutione copulatum adhibeat, quod non ita pridem Celeberrimi Medici Arcanum fuiſſe accepimus.

Datur cum Syrupo florum Poeoniæ, primulæ veris, & aquis Antepilepticis. Huc ſpectat illud Poterii Obſervationum Medicarum p. 67. Magneſia Saturnina & Luna terreſtris, ſi ſudorifica reddantur, affectus cephalicos, ut paralyſin etiam inveteratam facillime expugnant, imo etiam albuginem oculorum nullis aliis medicamentis cedentem aſſentit *Antonius de Abbatia Archipresbyter* Epiſtola Mſta. de transmutatione metallorum. „Dico vobis, inquit, quod „feci & credidi facere aurum & feci argentum album ſicut nix, „quod habebat judicium auri in omni examinatione niſi in colore.„ Erudita ſunt, notatuque digniſſima, quæ apud Geſnerum loco citat. habentur; Diſſolutionem auri, quod ea arte chimica perfici poſſet, plerique affirmant, ac primo quidem nobis perſuadent, autoritate & libris Venerandæ Antiquitatis, deinde vero oculari noſtri temporis Virorum Celebrium inſpectione & operatione confirmant. In hanc ſententiam ſcribit, vir quidam eruditus & naturalis Philoſophiæ ſtudioſiſſimus ad Geſnerum: Fuerunt, inquit, apud me duo, qui aurum puriſſimum ita tractarunt, macerando, deſtillando, putrefaciendo, ſolvendo, deſiccando, ut in liquidiſſimum humorem redegerint; in eo opere occupati fuerunt ſeptimanas octodecim a nona Junii usque ad decimam quintam Octobris diem, tantaque diligentia egêre, ut nunquam eo tempore extinctus ſit plane ignis, eo tamen admodum lento uſi ſunt, in quo video præcipue peccare & errare noſtros Alchymiſtas; adfuere operi perpetuo, noctu vigilias partiti ſunt, & vaſa & inſtrumenta pauca adhibuere: Quod ſi quis Liquor auri potabilis bene præparati eſt, hoc modo præparari poſſe, aut debere crediderim, ut ab his quibus ſpectator adfui, parabatur; atque ut id credam, facit primum, quod aurum eo redigunt, ut ſuæ aquæ innatet, quaſi puriſſima nebula imbrifera: idem tranſit in recipientem lento igne, & quod maxime ſum miratus, tingit aureus iſte liquor colorem aureum reddens, chartam, lanam, aliamve rem admo-

admotam, qui color ita penetrat, ut minima guttula aliquot folia in Pindaro meo Græco penetraret; præterea quod etiam ipſum veræ reſolutionis indicium eſt, albus auri ſoluti color eſt. Noli autem mirari, ait, ingenioſe *Tackius* Chryſogen. Mineral. p. 29. qualiter aurum coloris purpurei tandem ſub illo colore appareat, ſæpius enim videre licet ex acidorum concurſu res purpura rubicundiores albeſcere, notaturque hoc apud Sendivogium Tractatu de Sulphure, dum ex conflictu Salis & Sulphuris loco ſanguinis vidit effluere aquam, ut lac candidiſſimum, & in magnum flumen creſcere, ſicque ex nemore Nymphæ Veneris egredi Dianam, quæ tamen ulteriori dein coctione, Sulphure jam occultato paulatim poſtea emergente, in ruborem converſa fuit. Acidum hac in re maximas ſibi ſumere partes, hincque diſcipulos ad piſtores relegandos eſſe, ut fermenti notitiam ſibi acquirant, merito expetit, *Moebius Præfatione Luminis mercurialis*: Bene enim *Kunckelius* Obſervationibus Chimicis P. II. p. 25, ne quidquam aliud Mercurio vulgari frenum injicere poſſe, perſuaſum ſibi habet, quam acidum; & alibi: Mercurius nequit ſubſiſtere aut figi, niſi acidum aliquod & ſubtilis terra metallica ipſi opituletur. Sapienti ſatis. Huc facit, quod vitrum quoddam mercuriale facilius liqueſcat, quam vitrum vulgare, & ſi diutius in igne moretur, fuliginem quendam, Sal ſcilicet acidum volatile floris inſtar emittere, indicio adhuc illud aliquid ſubſtantiæ humidæ volatilis in ſe habere, facilius enim liqueſcit, ob ſalis acidi copiam, paucitatemque terræ, quæ quia in vitro vulgari abundat, difficilius id funditur. Quare etiam Cinis Philoſophicus, ſi cum vera calcinatione ad mundificationem deductus careat fuſione & ingreſſione, videlicet ſi ſuper aliquod metallum projectus eſſet, illud nec tingere, nec ingredi poſſet, ob magnam ſiccitatem, fuſilis ille faciendus foret, reddendo illi humiditatem mercurialem, & plus de ſpiritu fixo mercuriali ipſi interponendo, ut terra metallica ſufficienter ſale temperetur, imbibatur, & per minima ipſi permiſceatur, cujus cauſa & ſolida appoſitione materiæ ejus gravitas reſultat: Doctiſſime *Cramerus de Metallorum transmutatione Cap. II. §. 5.* Sicuti nullæ rerum virtutes ſpecificæ ſuppetunt, niſi in ſpiritibus inſitis verbo DEI jam in principio in certum fixitatis gradum ſeu quoddam centrum redactis, ita quoque ſpiritus, quo compactior eſt, eo majores etiam reconditas collectasque in unum virtutes habet, præ iis longe excellentiſſimas & efficaciſſimas, quæ in ſpiritu naturali expanſo adhuc diſperſæ, ideoque di-

minutæ latent. Hinc ſi ſpiritus crudus lapidis calaminaris cupri rubedinem extendit in flavedinem Orichalci, ſpiritus fixi per artem exaltati firmiorem & fixiorem Tincturam quoque largientur; & ſi fumus plumbi crudi ſulphureus velut in momento coagulat Mercurium, eadem proportione fumus hic ejusmodi, ſi non ſit plumbeus ſed aureus, non crudus ſed coctus, non albus ſed rubeus, non volatilis ſed fixus, non ſulphureus ſed mercurialis, juxta has differentias alterabit Mercurium, ſcilicet in aurum, quod conſtat omnibus his proprietatibus. Eſt enim Tinctura corporalis ſpiritus & ſpirituale corpus, tertium quid ex volatili & fixo reſultans: Nam per ſpiritum crudum, ait *Treviſanus in Epiſtola:* Philoſophi ſpiritum digeſtum extraxerunt de corpore ſoluto, & remanſit iis cinis ulterius diſſolvendus, ac tandem ſubtilis ſubſtantia ſpiritualis corpora metallica penetrans & colorans, unde nullum dubium, quod is qui corpus ad hoc perduxit, quod efficiatur Gummi permixtibile ceteris corporibus imperfectis, invenerit maximum naturæ ſecretum, tum enim in projectione pars una gummoſo ſalina alteram ſequetur, in poros metallorum dilatabit, tantamque unionem excitabit, ut nunquam a ſe invicem ſeparari poſſint, & uti hæc medicina in metallis ſanguineam velut complexionem excitat; ita in corporibus hominum dotes ſuas prævalentes non minus demonſtrabit, unde *Denſtonius in Panſophia Encheiretica* §. 98. Lux tam copioſa in metallis ac nullibi alias in corporibus ſublunaribus, ſi in motum concitari poſſet, ut ideam metallicam involveret, & aliam evolveret, utpote Salino Sulphuream abjecta viſcoſitate aquæ, mirum quantum eſſet omnium animalium medela, & §. 49. In auro copioſa lux eſt, & quidem ſubtiliſſimo Sulphure & Sale a terra una cum aquea viſcoſitate invicem temperatis, inviſcata eſt, foras prorumpere cupiens, ut ſolo ſui aſpectu Solem cœleſtem imitetur, animam ſenſitivam confortet & recreet. Quid igitur ſi compages corporis totius ita diſponatur per artem, ut particulæ auri poſſint ſe corporis humani particulis miſcere, & ſic lux luci obviet, & deperditam ex corpore reſtauret, & corroboret, ad vegetantiorem motum faciendum, excrementisque expurgatis, ſperabimus, qualis ſit illa Medicina.

IV. D.

IV.

D. EMANUELIS KOENIGII OBSERVATIO DE VITRIFICATIONE METALLORUM.

ELegantia ſunt, quæ de Vitris ſtillatitiis, ut & Anaclaſticis in Ephemeridibus Naturæ Curioſorum Dec. I. & II. tum a Viro *Illuſtri Franciſco Redi*, tum *Roſino Lentilio*, tum *Morbofio* erudito Orbi exhibentur, quibus tamen meo judicio, quoad inſignem utilitatem, quam in Alchymicis & re medica præſtare poterunt, longius antecellunt Vitra Metallorum, qualia, ut & mineralium, Lapidum omnium facillime & citiſſime absque fixis ſalibus, absque ullo addito plumbo ſe in fornace compendioſe exſtructa in vitra redigere poſſe, libere ſcribit *Theodorus Gummert* Epiſtola divulgatoria ſpeciali Anno 1677. Dresdæ edita, in qua præter dictam vitrificationem etiam de certa purificatione Vitrioli, mercurificatione ferri & cupri, peculiarique proba Mineræ cujusdam Bohemicæ, candide mentionem fecit, neminemque hactenus fuiſſe aſſerit, qui hujus Vitrificationis meminerit, præter *Iſaacum Hollandum*; quonam vero loci hic in ſcriptis ſuis de hisce tractet, minime ſiſtit; *Libavium* vero dum evolverem, offendi hunc, ex Hollandi operis Mineralis Capite 76. & 91. hæc adducere verba, Syntagmate Arcano Chymico de transmutatione Magiſterii L. VII. Omnia Me-

talla abſque additamento in vitrum abeunt, excepto auro, quod per ſe nullis ignibus in vitrum verti poteſt, argento combuſto, ut fit in examine Cinnabaris examineque ejus facile vitreſcente longe facilius metallis cæteris, unde figuli ex marte flavum conflant, ex Venere viride lucidum vel obſcurum, ex ceruſſa ſtannea lacteum, ex Lazurio argenti & Biſmuthi cœruleum, quod ultramarinum vocant, &c. Et quam varia mineralia vitream naturam accipiunt in conflatoriis Venarum officinis, in quibus ſpumæ & lapides vitrei de liquatis detrahuntur, qui denuo liquati elegantius & purius vitreſcunt, & materia ſunt vitreis vaſis. Id refert Cap. ſequ. XX. quod Iſaacus ex Calce Lunæ cœruleum conflet vitrum, ex Solis vero rubrum, quanquam Capite XCI. negaverit Solem vitreſcere poſſe, qui (non negat Hollandus, niſi de auro ſine additamento tractato) vere calcinari nequiret, (ni forte hoc notum fuerit Moyſi Vitulum aureum comburenti & populo Iſraelitico potandum offerenti) & tamen non ſit tranſitus ex metallo in Vitrum niſi per calcem tanquam medium inter utrumque: Vitrificationis ſcilicet medium eſt terra fuſilis, cinerea, calciformis, cui omne humidum viſcoſum igni ablatum eſt, vel pauciſſimum hujus remanet, & cujus ratione poſtea quoque Vitrum (ut Saturni) pinguedinis nonnihil exhibet. Quare ſi conſideremus Metallorum & Mineralium ortum, reperiemus primariam eorum Baſin eſſe terram calciformem, lapidiformem, teneram, & tractabilem, ſive calcem & Lixivium Gilgil Arabis apud Albertum, unde inferre eſt, quod Mineralia & Metalla, quo plus hujusmodi terræ poſſident, & minus de vaporibus unctuoſis mercurialibus ſulphureis, eo etiam facilius in vitra redigi poſſent, ſi ſcilicet prius decenter in calcem redactæ ſint partes eorum ſulphureæ, immundæ aliæque impuriores, quas in mineris nactæ ſunt; pinguedine enim Sulphurea combuſta, ut Hollandus loquitur, combuſta fex Sulphuris tam ſicca fit, ut metallum in terram aut calcem facile convertatur: de hac vero terra plurimum participare Antimonium, vel facilis Vitri ipſius per ſimplicem exhalationem Sulphuris arſenicalis conficiendi ratio docet, ſtannum enim multum hujus terræ in ſinu recondere patet, quod metallis admixtum mox ea fragilia reddat & duritiem ſingularem & tantum non vitream ipſis conciliet, velut ejus beneficio cuprum facile in ſpecula metallica efformatur, cujus ratione commendamus fuſionem ſimultaneam Jovis Opti-

mi

mi ℥xii. Reguli Antimonii martialis ℥j. Veneris rubri ℥ij. ut & jucundiſſimum opus parabolice exhibitum a *Glaubero Oper. Mineral. P. III.* quo ſtanni transmutationem via facili ſiſtit, quam dives, generoſa, pulchra & glorioſa ſit in ſuis receſſibus natura edocet. Alia metalla quod ſpectat, ut cuprum & ferrum, horum mineræ terra ejusmodi lapidiformi propria plenæ & metallurgorum ſolita caſtratione haud privatæ per ſe quoque in vitra abire poſſunt, ceu in liquatione eorum lapides vitrei in ſcoriis apparent.

Notabilia vero ſunt verba citati *Gummerti* dicentis: „Materia Univerſalis reſpectu metallorum & mineralium talis ſit oportet, „qualis requiritur ad lapides, & quartios in cryſtallos redigendos.„ Hinc prout ad radicaliter ſolvenda metalla, præſertim perfectiora, requiritur mercuriale penetrantiſſimum, igne magico prægnantiſſimum, (cujus nimirum præparatio, fit ope reguli antimoniati ſtellati & Lunæ de quo *Anonymus Philalctha* in *Experimentis de præparatione Mercurii Sophici*, & *Autor Anonymus* penes nos *unda Tagi*, nimirum *d'Eſpagnet* in *Arcano Hermeticæ Philoſophiæ opere*) quo velut glacies in aqua liqueſcant, & primo opere regiminis quod eſt Mercurii, penitus diſſolvantur, ſic quoque ad lapides & quartios vitrificandos talis erit materiæ velut amor, ut ſtrictiſſime invicem combinata una in cryſtallum & Nitrum abire poſſint; qualiter vero ejusmodi materia obtineatur, modo dictus Analogiſmus & conjecturæ, quas ſuggerit Epiſtola divulgatoria Gummerti, innuunt, nimirum quod ſit metalli calcinati terra calciformis puriſſima, quæ ſuper Porphyrite vel marmore terenda eſt, cum aqua ſalſa impalpabiliter, & poſtea aqua communi limpida abluenda, donec aqua a calce munda & pura defluat, quæque rurſus ut prius terenda, donec nullæ amplius ſordes terreæ defluant: Hoc ergo modo, ſi debite procedatur, nullatenus dubitandum, quin inſignia Amauſa (forte a Muſaico vel Muſivo opere, quale Venetiis in Templo Divi Marci videre eſt, ita dicta, (*a*)) & elegantiſſima cryſtalliformia corpora obtineri poſſint: v. g. ex calce Veneris ita uſta inſigne Amauſum viride, ex calce plumbi ac etiam ferri vitrum flavum, ſtanni album, argenti cœruleum, Solis rubrum, (in cujus tamen defectu, ſi magnum opus Philoſophicum quis conficere ignoraverit, quod ad hoc requiritur, Lectori commendamus Purpuram Auri ope liquoris Jovis obtinendam; (*b*)) quo

quo quidem expertus Chymicus hic in vicinia in vico Stauffen, Vitrum rubrum elegantiſſimum conficit) vel ſi mixti colores alii expetantur, ex mixtis his invicem obtinebuntur.

Qualiter autem metalla prius calcinanda ſint, ut in Crocos Vitrificationi deſtinatos commode cedant, in regno Minerali diximus, fieri ope Salis Tartari & pauci Sulphuris communis, quibus invicem fuſis facile metallum lamellatum in crocum ſolvitur: Verum juxta elegantem procedendi modum Hollandi & Gummerti, calces ejusmodi prius depurandæ ſunt, ut vitrum fiat multo ſpecioſius & præſtantius Amauſum, id quod innuit Gummertus, dum purificationes Vitrioli ſingularis, qua omnes omnino partes ejus metallicæ ſequeſtrantur, mentionem facit, quo ad coloranda vitra ex ſilicibus fuſis præſtari queant ea, quæ exempli gratia, e calce veneris in viridi, martis in flavo, argenti in cœruleo & in compoſitione horum habentur. Elegans certe ſummeque delectabilis eſt hic vitrificandi modus Gummerti, quo facillime nigerrimos, rubicundos, & albidos craſſos lapides in Cryſtallum trans parentem, Saphyrum, Smaragdum, (qualem artificialem duplicatum novies mille ducatis quendam Mediolanenſem fraude diu tecta, vendidiſſe Merretus in Nerium refert) Amethyſtum & quorumvis colorum alias gemmas fundere poteſt, dum nempe debita præceſſit depuratio, & ſequeſtratio particularum, quæ opacitatem inferre poſſent, calcesque non impolitæ, ſed debite mundificatæ ſumuntur: mundificantur autem metalla, urendo, & reverberando aut calcinando, (ubi ſi deſit fornax compendioſa Gummerti, illa cæmentatoria Glauberi præ Venetorum Vitriariorum inſervire ad hoc poterit) ac calces itentidem lavando, aut calces denuo in corpus reducendo, actum denuo calcinando, atque iterum abluendo aqua communi, donec nullæ amplius feces proveniant; Sic enim repetitis his calcinationibus & depurationibus impediri quoque poterit ſolita alias efferveſcentia & materiæ effluxus, qui contingit ex mutua actione partium acidarum in ſilicibus in partes calcinatas alcalicas, juxta communem vitrificandi modum, de quo tantum conqueritur Glauberus. Quantum vero utilitatis ex ejusmodi præcedanea depuratione obtineri poſſit, Hollandus & Gummertus eleganter monſtrant, ex reductione Amauſorum, quæ etſi per ſe longe majoris ſint pretii &

plures

pluris æſtimanda quam metallum, quod in ſe depuratiſſimum & nobiliſſimum fovent, tamen inſuper anſam exhibent, judicandi, quid lucri obtineri poſſit ex frequenti vitrificatione & reductione calcium metallorum, de cujus utilitate ſumma jam quædam in Appendice *Ludovici enucleati* propoſuimus, ac etiam ipſum Magnum Opus Philoſophicum ad hanc claſſem tandem reducendum eſſe diximus; Non enim, ut *Philaleta in Vademecum Philoſoph.* loquitur, facile fluit primi ordinis pulvis, nedum quamdiu pulvis manet alterius cujusvis ordinis, niſi cum corpore ſuæ ſpeciei perfecto fundatur, prius vero tum in vitri metallici tincti formam redactus, inſtar ceræ fluit ſuper metalli lamellam calefactam mercuriumve projectus: unde & Turba. Comburite æs noſtrum igne fortiſſimo. Cæterum modus reductionis Amauſorum ſeu Vitrorum Artificialium exquiſitorum, quæ Principum vaſa exornabant olim, ab Hollando proponitur talis, isque conſideratione digniſſimus. Sume & pulveriſa Amauſa ſubtiliſſime, & ſume bonum acetum deſtillatum, in quo Sal ammoniacum ſolutum fuerit, in ſingulis libris aceti unciam ſemis Salis ammoniaci, cum eo contere pulverem ſuper lapide, tam tenuiter, ut ſi pictor eo uteretur, ac illum contritum vitro inde, aut Amphoræ lapideæ, ac bonam quantitatem aceti deſtillati ſuperfunde ac pone in balneo, ac balneo ignem ſubde, ut bulliat, ac move quater aut quinquies de die ſpatula lignea, atque hoc pacto retine per dies quatuor, tum ſinas frigefieri, ac funde feces aceti deſtillati in mundam Amphoram lapideam, ac ſuper feces denuo acetum recens funde, ac fac ut prius, idque tertio reitera, ac ſemper acetum primo adde, tum corpus illud omne ſolutum eſt, ex fecibus illis aut ex vitro, tum acetum evapora, aut per alembicum deſtilla, ac in fundo corpus metalli permanebit, in corpore ſubtili, cum eo aliquantum borracis permiſce, ac crucibulo inde, ac liquefacito in igne vehementi cum corpore. Si fuerit Mars ac Venus munda ac pura ſunt, ita ut non amplius ſitu & rubigine infeſtentur, ac a ſuis fecibus vacua ſint: Si vero Jupiter ſive Stannum, fœtor ac ſtridor ei ademtus, eſtque mundus ac fortis ut Luna, ſi Luna, fixa eſt, ſi Sol, Medicina, ac ſi Saturnus ſeu plumbum fuerit Luna eſt: Quoad Plumbum notatu digniſſimum eſt, quod *Auctor Artis fuſoriæ fundamentalis & experimentalis* docet, quod ſcilicet Plumbum vitrificatum & in cupella ſive teſta reductum, ſemper aliquid argenti elargiatur,

giatur, imo etiam auri aliquid, ſi præſertim flava, fuſca, nigra arena, qualis circa ripas Rheni & aliorum fluviorum in Helvetia & alibi reperitur, cum calce Saturni, vel minio vitrificetur, & cum Sale alcali fruſtulisque ferri reducatur, de quo legi meretur *Glauberus* in Novo Lumine Chymico, ut & Operis Mineralis P. III. quo in loco aſſerere haud veretur calcis ferri, cupri, vel ſtanni Libram ope Vitri plumbi ſilicum additione facti dimidium, vel etiam integrum auri Lotonem, ſi res rite tractetur, reddere poſſe, præſertim ſi Sal Tartari, aut Cineres clavellati adhibeantur, & crucibula ad manus ſint, quæ non tam cito perterebrantur, id quod fit, quia plumbum denuo calcinatum, pinguedine & mole corporis ſui poros ejusmodi vaſorum occludit, & impedit, quo minus ignis in metallum agat, qua actione impedita, vis omnis in vaſa Argillacea vertitur, ut hæc collabeſcere neceſſum habeant. Apertius tamen hoc in negotio ſe declarare videtur cit. *Glauberus Pharmacopœia ſpagyrica*, *Parte VI.* ubi loco crucibulorum vulgarium ferrea in uſum trahenda ſuadet, imo loco Saturni nemini non noti ipſum Saturnum Philoſophorum ſecretum, ſcilicet plumbum, quod per ſe eſt purum & præſtabilius auro, commendat: Regulum ſcilicet Antimonii optime depuratum, ceu aptiſſimum ſubjectum cui ſe aurum ſilicum embryonatum combinare poſſit, ut ſic ex iis, quæ ſeparatim actu metallum non ſunt, poſt ſui conjunctionem in perfectam auri & argenti craſin convenire poſſint, haud aliter ac rotæ horologii disjunctæ horologium minime conſtituunt, conjunctæ vero harmonia decenti, quam optime elegans Automaton efficiunt. Hoc igitur in negotio experiri quis poterit ſumendo, Calcis ſtanni ℔iij. Reguli antimonii martialis ℔j. Arenæ Danubii, Rheni, Emmæ vel alterius ℔iij. & fundendo invicem in maſſam vitro æmulam, quæ in crucibulo vulgari, vel ferreo cum Salis Tartari ℔j. reducta, repetitione aliquoties inſtituta, auri & argenti ſatis dives evadet, quo facto aurum ab argento aliisque admixtis præcipitatione ſingulari per fuſionem ſolam obtineri poterit, ſi cui notus erit modus taliter ſeparandi aurum ab argento, quem ſe communicare poſſe harum rerum ſtudioſis, refert *Clariſſimus Cardilucius in notis ſuper Erckerum*, quemque Comites, Barones, Nobiles, ſumtibus haud exiguis a ſe expetiiſſe, ad nos perſcripſerat.

Qualiter autem ope vitrificationis Lunæ, hujus fixitas obtineatur elegans itidem operandi modus eſt, innuens juxta ea, quæ ex animali & vegetabili regno demonſtrari poſſunt, qualiter ex deſtructis corporibus ea meliora & glorioſiora reſurgant, haud aliter ac ex putrefactis & incineratis cadaveribus humanis elegantius & clarius opus reſuſcitabitur, e quo anima die noviſſimo ſplendida lucebit, ad modum ſcilicet lucernæ per laternam elucentis, idque omne juxta beneplacitum DEI. Eleganter de hisce in Apocalypſi Johannes Evangeliſta Cap. XXI. vers. 11. & 21. Ipſa civitas (nova ſcilicet cœleſtis Jeruſalem) ſimilis erat Nobiliſſimæ gemmæ, claro Jaſpidi, & plateæ civitatis erant purum Aurum & ſimiles vitro puro, nimirum pelluciditate, velut Aurum philoſophicum pellucidum arte fit. Hic vero Johannes Evangeliſta, ſi fas eſt allegare *Verba Lucernæ Salis Philoſophorum, Autore filio Coſmopolitæ, Michaele Sendivogio*, etiam ab *Avicenna dictione prima Libri de Anima* inter poſſeſſores Lapidis Philoſophici ſuosque Inſtitutores, qui ſcilicet Avicennam artem hanc docuerint, numeratur, quod veriſimile ſit, eo quod Eccleſia priſca, autore *Adamo a Sancto Victore*, die Divo Johanni Evangeliſtæ Sacro, Menſe Decembri in Hymno incipiente; *Gratulemur ad Feſtivum*, &c. Sic in ejus honorem cantet;

Cum gemmarum partes fractas
Solidâſſet, has diſtractas
 Tribuit pauperibus;
Inexhauſtum fert Theſaurum
Qui de virgis fecit aurum
Gemmas de lapidibus.

Ut vero ad fixitatem Lunæ deveniamus, quæ omnium elegantiſſime vitrificationis beneficio obtinetur, illa ſequenti modo peragitur, prout nimirum opus hoc Tacki manus aliquoties effecerunt: Sumitur ſcilicet Argentum ope Saturni decenter lotum & depuratum ad uncias duas, idque in aqua forti per argentum clarificata &

præcipitata, ut decet ſolvitur, poſt præcipitatur, argentum ſolutum cum muria, ſive aqua ſalſa, & poſt digeſtionem per dies duos in cineribus calidis calx argenti debite ſiccatur & edulcoratur, & tandem funditur cum Borrace in Vitrum. Argentum vero ejusmodi Vitrificatum, ut reducatur cum fructu & compenſatione laboris, miſcetur cum Salis gemmæ & calcis vivæ de natura alcalium ana uncia una, viride æris uncia ſemis, Sacchari Saturni depurati uncias duas, faciendo S.S.S. in pyxide cementatoria, vel duobus tigillis perlutatis, & poſt quatuor horarum cementationem per gradus inſtitutam tandem e vitro denuo obtinebitur Argentum, ſed non quale prius, ſed ſufficienter tum vitrificationis ope, tum admixtione Salium, tum Viridis æris & Sacchari Saturni aureum redditum. Salia enim quid hic poſſint, præſertim Sal gemmæ eleganter illuſtratur *experimento Kunckeli in Obſervationibus Chymicis* p. m. 154. quo rite inſtituto quempiam anni ſpatio neceſſaria vitæ præſidia, vel fructum ſaltem honeſtum obtinere poſſe, aſſerere haud veretur. Sumendo ſcilicet Sal gemmæ, vel etiam commune minutim contuſum, idque cum foliis argenti cupellati S.S.S. faciendo in pyxide cementatoria per duodecim horas, in friabilitatem ſepties cementando, & poſtea denuo in conum fundendo, aquaque forti ſeparando, quo pacto argentum ſufficienter auro imprægnatum obtinebitur; Unde & non mirum, quod ad particularis illius Chymici proceſſum, in *Aureo Vellere*, p. m. 92. Argentum fundatur cum Sale communi & Amiantho (alii etiam aliquid de Vitro Veneto addunt, de quo *Beccherus Concordantia Chymica*. p. 547.) quo tandem ex imprægnatione ulteriori Sulphuris Martis & Veneris aurum perfectum obtineri poſſit; Huc ſpectant ea, quæ de natura Mercurii ingenioſiſſime proponit *Beccherus de Minerva Arenaria perpetua* p. m. 76. quod ſcilicet Mercurius ſit revera pura puta eſſentia Salis marini, nempe Sal Sulphureum totum analogum Sulphure Salis communis, unde etiam ſuam originem traxit, per deſtillationem ſcilicet Salis marini in terræ cavernas, ibidemque per ſublimationem & commixtionem ſubtilis cujusdam terræ, unde opacitatem acquiſivit, poterit tamen in Diaphaneitatem reduci, nempe in liquorem Diaphanum, ceu talem ſibi notum eſſe, qui Mercurio in gravitate æqualis ſit, Beccherus refert, innuens hunc liquorem, vel de compoſitione pluris terræ Diaphanæ, ſive Salis lucentis, vel extractio-

ne

ne terræ opacæ ex Mercurio obtineri, eo quod Mercurius ex Sale communi augmentetur, & ſæpe augmentatus in Diaphanam acqueitatem tendat. Talis vero liquor forte & ille fuit, quem quidam Venetus a Græco factum vidit, cujusque medio ope quintæ eſſentiæ decenti digeſtione multiplicatio Lapidis inſtituta eſt, uti legere eſt in *Manuſcripto quodam Celebris Monaſterii Murenſis in Helvetia p.* 185. Ad confirmationem horum facit, quod *Leurſen in Prodromo Theatri Chymici p.* 29. refert, poſſe ſcilicet additione vilis cujusdam ſubjecti Sal commune in Mercurium currentem reſolvi, tacendo jam Sal commune nonnullos effectus producere, Mercurio proprios tam in poteſtate Medica, quam Phyſica & Chymica, ipſumque Aurum per Mercurium in Salem communem converſum fuiſſe, ſcribente Becchero.

Quantum vero utilitatis prædictæ Vitrificationes in operationibus Alchymicis præſtare queant, patet vel maxime ex natura Vitri, quod ſcilicet hoc omnibus rebus ingreſſum largiatur, metalla in fluxu conſervet, Volatilia, & vapores minerales figat, præſervet ab igne, ne adurantur corpora, multaque alia utilia præſtet, præſertim in auro arte facto, utpote adhuc tenero, cui fixationem & exaltationem dat. Hinc etiam Magnum ſubeſſe Arcanum ingenue fatetur Beccherus in illo vitrificationis modo, quem ſiſtit in Chymiſchen Glücks-Hafen p. m. 547.

℞. Materiæ illius, unde aurum lotione extrahitur, Germanice Goldſchlich, Sulphuris & Nitri ana, miſceantur probe, & in olla terrea deflagrent, addendo poſtea Vitri Veneti ana: Subacta probe indantur tigillo S.S.S. faciendo, & in ſummitate denuo Vitro Veneto tegendo, vaſe perlutato fluant probe, ut abeant in vitrum rubrum, e quo pulveriſato ope aquæ regiæ extractio & abſtractio inſtituatur, ad remanentiam maſſæ rubeæ in fundo, cui adde Vitrum Saturni parum argenti nobilitatum, & commiſceantur argento fuſo, quo hoc ope Vitri Veneti & Saturni decenter in poris ſuis dilatetur iisque aureæ particulæ ſufficienter ſe infigere poſſint. Alius ejusmodi proceſſus quo ope Vitri

Saturni ingreſſus in Lunam facilitatur, reperitur in aureo vellere, p. m. 47.

℞. Mercurii Saturni, vel ſaltem vulgaris decenter depurati uncias tres calefacto in tigillo, adde auri optime lamellati unciam unam ut fiat Amalgama, cui affunde Sulphuris fuſi uncias duas, & continua agitatione in Lapidem velut nigrum redigantur, hunc pulveriſatum inde phiolæ hermetice ſigillatæ, & digeratur per quatuor ſeptimanas, ut obtineat pulverem punicei Coloris, quem ſequenti aqua fixatoria imbuat.

℞. Auripigmenti, Salis ammoniaci ana uncias quatuor, Sulphuris Nitri ana uncias ſex, Cinnabaris uncias duas, deſtillentur ad inſtar aquæ fortis, quæ ter Pulveri prædicto affundenda, & denuo abſtrahenda, igne ſub finem fortiſſimo, maſſam pulveriſatam, Lunæ in fluxu ſuperinjice, & ejus ingreſſum promove ope Vitri Saturni, & ſic obtinebis poſt ſeparationem Aurum puriſſimum.

Finitis

Finitis nunc Scriptis ad illuſtrandam materiam de Tinctura Univerſali collatis, Tuum Curioſe & Honorande Lector, judicium æquiſſimum de cunctis mihi expeto, ſperoque: Si paginæ hæ Tibi utilitatem quandam afferant, animitus lætor; ſin vero certiora & meliora de hac materia Tibi innoteſcant, ad ſummi hujus Univerſi Creatoris & Rectoris Gloriam amplificandam, proximique commodum promovendum, eo, quo hæc communicata ſunt candore, publico ſiſtas, mihi vero ad quævis officia paratiſſimo, porro faveas enixe rogo,

Vale.

TANTUM.

Ad Kœnigii de Vitrificatione Metallorum Obſervationem.

(*a*) MUſaicum vel Muſivum opus vocatur, teſſulatum lapillis variorum colorum, ex quibus arte compoſitis & coagmentatis omne genus imaginum redditur. Vid. de Amauſis Chriſt. Meretti Notas in artem Vitrariam Neri. Lib. V. cap. 75.

(*b*) Fit ſequenti modo:

℞. ♃. Anglici puriſſimi, q. v. injiciatur ſenſim in aquam Regiam; uſque dum hoc ſolvens viſcoſum evadat ſaturate flaveſcens, ſic per aliquot dies ſolutio hæc in aere libero relinquatur, ut gas illud Sylveſtre aquæ regis evaporet. Tum fiat ſolutio Auri (Drachma una circiter) in aqua regis, & in Vitrum ſatis capax amplo orificio præditum, largiſſima aquæ communis copia infundatur, & in hanc aliquid ſolutionis Jovis & paulo poſt tantundem ſolutionis auri infundatur, & fiet curioſa præcipitatio auri colores tres cardinales in aure extraverſos oculis exhibens, flavum nimirum, cœruleum, nigrum, qui paulo poſt in purpuram eleganter rubentem abeunt, ſupernatante nubecula ſalina. Uſus hujus ſecundum *Caſſium de Auro* peramplus eſt, indubitatum enim eſt præcipitato hoc ſolari vel purpura Auri expertum & habilem Chymicum multa elegantia præſtare poſſe, imo cum Liquore ipſo Jovis etiam. Inſerviet enim non ſolum pro magnetico contentorum in multis Mineralibus, Lapidibus, Granatis, Arenulis &c. exploratore, ſed inſuper pro colore ex vegetabilibus etiam extractione, ejus enim medio omnis generis colores exaltantur, atque in viſcoſo ejus corpore melius detinentur, hinc non pauci tinctorum pannis ſuis pulcherrimam Coccinellæ (vel ſicut alii artifices vitris Coccinellæ aureæ) purpuram ejus ſolum ope inducere norunt, ut nihil dicatur, quantum in tingendis ſilicibus, cryſtallis, emaliis item purpureis efficiendis poſſit.

INDEX
RERUM LOCUPLETISSIMUS, IN SCHEDIASMATE DE TINCTURA UNIVERSALI, CONTENTARUM.

A.

ACetum verum Philoſophorum fit ex conjunctione aceti Vitrioli & ejus Salis cum Spiritu Vini rectificato, eorumque putrefactione Pag. 207
Acetum deſtillatum in ſolutione & cryſtalliſatione Viridis Æris multas cupri particulas relinquit intactas, quæ non niſi Salis Ammoniaci acceſſu demum ſolvuntur 257
Acetum ad Arcanum Tartari deſtinatum, non debet in deſtillatione prius dephlegmari 16
& cur pag. ead.

Aceti phlegmatis a Sale Tartari abſtractio in vaſis clauſis deſtillando peragere, ſuperfluum eſt pag. 16
& cur pag. ead.
Aceti phlegma Wedelius ad depurandum opium adhibet pag. ead.
Aceti phlegma aquei menſtrui vires commode ſupplere poteſt, ſi per retortam deſtilletur pag. ead.
Aceti quantitas ad ſaturandum alcali in terra foliata Tartari decies circiter & quater, ſi forte & dephlegmatum fuerit, Salis pondus ſuperare debet 17
Aceti minor quantitas ſufficit, ſi Sal alcali, quod rectificatione Spiritus Vini aliquoties antea inſerviit, operi admovetur 17
Acetum fortiſſimum cur Lapis Philoſophorum dicatur 176
Acidum metallorum purum, & Sal metallicum purum, & volatile redditum cum ſuo ſpiritu, ſimplicem Liquorem Alkaheſt conſtituunt 200
Acidum Mineralium & purum ſalſum animalium & vegetabilium compoſitum Liquorem Alkaheſt conſtituunt 201
Acidi affuſio cum abſtractione phlegmatis in Proceſſu terræ foliatæ Tartari, alternatur 16
& cur pag. ead.
Acidum verum in alcali concentratum chemica arte reſuſcitari poteſt 19
Acidum fortius expellere e ſede alcalina aliud quod debilius, ex Halotechnicis conſtat pag. ead.
Æs Sophorum quid ſit 272
Æger quæ patiatur, quomodo quærat Medicus 10
Ægri de morbo, quo laborant, ex opinione potius quam ſcientia narrant 11
Ægri ea tantum ordinarie referunt, quæ ipſis magis moleſta, vel quoque periculoſa videntur, de reliquis quæ magis ad eruendum ſtatum eorundem conducunt, nil dicunt pag. ead.
Æger neſcit cauſam morbi, & ſæpe talem affert, quæ nullo modo ad morbum producendum apta eſt, imo ſæpe contrariam pag. ead.
Aer commodum eſt vehiculum Entis Univerſalis 122
Aer occultus vitæ cibus pag. ead.
Aer clarus communicat creaturis ſanitatem & ſtatum vegetum pag. ead.

Aer

Aer conſpurcatus hominibus & brutis calamitates morboſas, aliarumque rerum corruptiones & interitus affert: pag. 122. & pag. 135
Aeris Sal volatile retinaculi & corporis fixioris indiget 124
Aer quo tempore anni purior 129
Aeris aqua quomodo capienda 153. & ſeqqu.
Affectuum externorum ſanatio a Tinctura Univerſali immediate non expectari vel peti poteſt, mediate vero conſolidationem & reſtitutionem maturat 49
Agonizantium vitam confortantia ſuſtentant 37
Agricolæ Joh. Menſtruum Polychreſtum ad Auri omniumque metallorum & gemmarum Sulphura extrahenda 168
Agricolæ Minoris Sententia de Lapide Philoſophico 286. & 287
Alcalia remedia extirpant morbos ab acido præternaturali & nimio oriundos 117
Alcali unum pro altero longe magis attrahit acidum 19
Alcalia fixa, ſi volatiliſentur magnorum Pharmacorum poteſtates adæquant pag. ead.
Alcalia fixa volatiliſata efficaciſſima menſtrua ſunt ad Sulphura metallorum extrahenda, & cur? pag. ead.
Alcalium fixorum volatiliſatio ſecundum Helmontium fit per olea eſſentialia deſtillata pag. ead.
Alchymia quid ſit? 109
Alchymiæ Cultoribus illegitimis Dæmonem aliquando ſe immiſcere, certo modo conceditur 83
Alchymiſtæ abuſive & in genere a pluribus vocantur Athei, Scurræ, &c. 3
Alchymia ſine butyro & pinguedine mercuriali philoſophica, nec ad metalla transmutanda, nec ad vitam conſervandam & prorogandam, aliquid conferre poteſt 188
Amauſa, vide Vitra Metallica.
Analyſis Mathematicorum ſpecioſa ex datis & notis quæſitum & ignotum deducit, vel inveniri non poſſe oſtendit. 9
Analyſis Mathematicorum quibus abſolvatur pag. ead.
Anatomicum ſtudium tractaturus, ingreditur Augiæ ſtabulum 2
Anatomiæ ſcientia a Medico non abeſſe poteſt 8
Animalium ſumme perfectorum ſpecies in alias non mutari conceditur Kirchero 53. & 54
Animalis Lapis quem vocant laborem chymici 160. & ſequ.
Animalia in gravioribus morbis plenarium non afferunt auxilium 222

Animalia ex iisque præparata , morbis remotioribus in partibus frequenter hoſpitantibus, mederi non poſſunt & cur? pag. 222
Animalia transmutationi Metallorum non inſerviunt pag. ead.
Animale Regnum quædam ſuppeditat, quibus fruſtra inſudaverunt quidam, quaſi foret materia vera Tincturæ Univerſalis 116
Anni tempora balſamica , v. g. æquinoctia , Menſis Martius &c. plurimum conferunt colligendæ materiæ Univerſali 129
Antimonii Tincturæ variæ, genuinarum titulo gaudentes 39. 40. 41
Antimonialia dantur remedia, quæ critice modo per hoc modo per aliud excretorium operantur 49
Antimonium facultatem medicinalem, ad tria regna ſe extendentem, in ſe continere, experimento illuſtratur 248
Antimonium ſummam Sympathiam cum Mineralibus habet 249
Antimonium eſſe humidum radicale metallorum concentratum multi credunt pag. ead.
In Antimonio concentrative reperiri omnia, quæ Mineralium ſunt Arcana potentiſſima Theophraſtus ſtatuit pag. ead.
Antimonium in morbis fere deſperatiſſimis, auxilia ſumma, irradiando quaſi corpus, ſuppetit pag. ead.
Antimonii Butyrum multi pro ſpiritu Philoſophorum agnoſcunt 252
Antimonii Butyrum, qui figere ſciunt, non in vanum ſemper inſtituunt operationes Philoſophicas 253
Antimonii Butyro Menſtruum Philoſophorum ad modum eſt ſimile, & quomodo præparandum pag. ead.
Antimonio nomina multa a Philoſophis attributa recenſet & explicat Berlichius 249. 250. & 251
Antimonii Chaos acidum & alcali utrumque fixum & volatile perficiunt 273
Antimonii Vitri facilis conficiendi ratio, unde 294
Antonii de Abbatia Archi-Presbyteri ſententia de Transmutatione Metallorum 290
Apoplectico catarrho correptus juvatur & ſuſtentatur refocillantibus 37
Aqua non nuda adhæſione plantas nutrit, earumque partes, ſed in ſingularum ſubſtantiam mutuatur, unicuique convenientem 22
Aqua Pluvia Martialis ut & tonitrualis vocari poteſt materia remota Tincturæ Univerſalis 131
Aquæ pluvialis tractatio chymica deſcribitur 156. & 157

Aqua Vitæ cur Lapis Philoſophicus dicatur pag. 175
Aqua permanens, aqua vitæ metallica, aqua foliata incorruptibilis, cur Lapis Philoſophicus dicatur 176
Aqua ardens & ignea cur Lapis Philoſophicus dicatur pag. ead.
Aquila volans per aerem & bufo gradiens ſuper terram quid 287 288
Aranea magna vitro capaci incluſa bene munito, decem ſeptimanas vixit ſine alimento ullo exhibito 132
Arcani Tartari Proceſſus D. Junckeri 17. & 18
Arcanum Tartari D. Teichmeyerus & D. Junckerus Diſſertationibus deſcripſerunt 14
Arcanum Tartari id potiſſimum vocatur, ubi ipſe ſpiritus vini Symbolum ſuum confert 15
Arcanum Tartari aur Arcanum vocatur 18
Archæus noſter non ſemper obtemperat medicamentis propinatis, ut illa juxta ſolitas qualitates operentur 48. 49.
Archæus vocatur ſpiritus, animæ organum, actionumque omnium patrator genuinus 216
Archæus pabulum ſuum ſingulis momentis ex aſtrorum ſpirituali, ſibique in ſubſtantia ſimili affluvio, attrahere ſolet 217
Argumentationem a particulari ad univerſale nullus Philoſophus concedit 57
Argumentandi ſumma audacia: quod ego ignoro, iſtud nemini cognitum eſt 266
Arnheimius Campi Mareſchallus Saxonicus poſſedit Lapidem Philoſophorum fere perfectum, ſed iterum perdidit 97
Arnoldi Villa Novani Compendium de Lapide Philoſophorum 284 & ſeqq.
Aromata cur non omnia ſub noſtro climate creſcant 136
Ars eſt æmula vel Miniſtra, non magiſtra Naturæ 134
Arteſius Philoſophus annos mille ope Mercurii Philoſophici vixit 194
Artiſta ad Helvetium, (ut iſte in vitulo aureo refert) ad Salinum corpus Medicinæ Univerſalis alludit 232
Aſtrorum influxus plurimum confert ad transmutationem metallorum, &c. 133 & 134
Autopſiam contra diſputare eſt inſipidi 103. & 134
Augurelli Poetæ Chymici aſſertum de multiplicatione Lapidis 203
Augurelli Verſus de Sale 232
Aurum incomparabilem vim balſamicam & reſtaurativam Archæi noſtri debilitati continet 116

Aurum in remedia particularia principem obtinet locum, hinc multi inde eo felicius adſcendi poſſe præ aliis omnibus ad univerſale, judicarunt pag. 116
Aurum & Argentum vulgare etiam certo modo addi poteſt in maturanda præparatione Tincturæ Univerſalis 151. 152
Quo tempore addenda 184
Auri Crocus 152
Auri Tinctura variæ 159. 160
Auri oleum Schrœderi 158. 159
Auri Tinctura Clauderi 167. 168
Aurum Potabile D. Emanuelis Kœnigii, ejusque uſus 282
Aurum & Argentum cum ſint in rerum natura, neceſſe eſt aliquid eſſe, ex quo fiant 171
Aurum & Argentum non creantur de novo a DEO ſed fiunt a natura ex certa & reali materia pag. ead.
Auri & Argenti ſemen metallicum ſeu materia, quæ & qualis exiſtat, qua ratione fiat & perficiatur 171. 172. 173
Aurum & Argentum vulgare adduntur Lapidi Philoſophico ut citius figantur metalla Lapidis volatilia, & ita citius perficiantur 179
Aurum & Argentum vulgare non extranea ſunt Lapidi Philoſophico pag. ead.
Aurum ſi liquidum eſſet & penetrabile, verum exiſteret Elixir ad vitam, & ad abſolutam perfectionem rerum omnium & metallorum 181
Aurum non poteſt naturaliter coctione in liquidam & penetrantem ſubſtantiam transformari, & cur? pag. ead.
Aurum & Argentum vulgare quare mortua dicantur, & qua via a mortuis reſuſcitentur 186. 187
Auri ſolutio per aquam Regiam facta, niſi illi inſtilletur Spiritus Vini, difficulter cryſtalliſationi paret 258
Aurum per admiſtionem trium partium Zinci, hujusque igne fortiſſimo ab auro ſublimationem, in calcem flaveſcentem ſplendore omni caſſam redigitur 261
Auri Spiritus, Joh. Oſiandri Præſulis Murbacenſis 261. 262
Auri & Argenti Analyſis D. Lucæ Oſiandri 262
Auri fixiſſimi colliquatio per grande Vitrum cauſticum 266
Aurum fulvo colore ſuperbiens alba veſte indui poſſe duplici teſtimonio probatur 289

Aurum ante cornuificationem prius volatiliſandum & præparandum pag. 267
Aurum purpurâ vitrum elegantiſſimum rubrum confici poteſt 295
Auri purpura quomodo fiat 304
Aurum per Mercurium in ſalem communem converſum fuiſſe Beccherus ſcribit 301
Argenti fixitas obtinetur ope vitrificationis 299
Argenti fixi Proceſſus pag. ead. & 300
Argenti vitrificati reductio cum fructu & compenſatione laboris 300
Argentum per Sal gemmæ, vel Sal commune ſufficienter auro imprægnatum obtineri poteſt pag. ead.
Autoris occaſio Schediasma de Tinctura Univerſali ſcribendi 1. & 5
Autores qui inprimis Sulphuris Metallorum mentionem fecerunt 266

B.

BAlneum cur Lapis Philoſophorum dicatur 176
Balneum per dies quadraginta ad putrefactionem Lapidis Philoſophici adhibendum 188
Batavia non tam vivaces homines habet, ac Italia 135
D. Berlichius quatuor modos Medicinam Uniuerſalem præparandi ſtatuit 231
D. Berlichii Experimentum cum auro & Sale Martis 233
D. Berlichio Beccheri Sententia de Columbis Dianæ dubia videtur 236
D. Berlichii Elaboratio Proceſſus Suchtenii, Ejusque eventus 236 & 237
Berlichius dubitat, an per Columbas Dianæ duæ partes argenti intelligi debeant, & cur? 237
Berlichius Columbas Dianæ per ſpiritus volatiles explicat pag. ead.
Berlichius Medicinam Univerſalem ex Vitriolo ſolo perfici poſſe ſtatuit 245. & 246
Berlichius elaborationem Medicinæ Uniuerſalis ex Sale & Sulphure Metallorum per Spiritum antimonialem cum aliis Philoſophis elegit 247
Joh. Joachimi Beccheri Sententia de Ente Univerſali 122
Beccheri Sententia de Columbis Dianæ 236
Beccherus Mercurium puram putam Salis marini Eſſentiam eſſe ſtatuit 300

Bezoar-

Bezoardica Tinctura componitur e Mixtura ſimplici Theophraſti Paracelſi pag. 89
Bilis materia quæ & qualis 24
Bilis ex ſanguine venoſo ſeparatur in hepate per fermentum proprium pag. ead.
Bilis in hepate ſeparata, transcolatur & cur pag. ead.
Bilis formaliter in ſanguine non hæret pag. ead.
Bilis a fermento in hepate hærente prius immutatio quædam & ſeparatio ſpecifica præcedere debet, quam filtratione ſeparari poſſit pag. ead.
Bilis ſine fermento ex ſanguine non ſecernitur, & ſine pororum & reliquorum organorum conſtitutione Mechanica non poteſt ſeparari pag. ead.
a Blauenſtein Salomon defendit Tincturæ Univerſalis exiſtentiam contra Kircherum 52
Bombyx mutatur in Papilionem 54
Borrichius Olaus, Hermetem ſeu Mercurium, Chanaanem eſſe probat 137. & 138
Borrichii Judicium de Hermetis Scriptis 138. & 139
Borrichii Epicriſis de Tabula Smaragdina Hermetis 139. 140. 141 & 142
Borrichii Obſervatio & Proceſſus de conficiendis ſalibus metallicis per trituram cum aqua deſtillata 263
Borrichii Proceſſus melioratus 264
Botanicus multum laboris impendere cogitur, antequam floſculos & herbas excolat, characteres eorum noſcat, debitoque tempore colligat, uſui ſervet, & harum virtutes experiatur 1
D. Boerhavii Elogium Salis Tartari fixi volatiliſati 20
Bragadinus Nobilis Venetus iniquus Poſſeſſor Tincturæ Univerſalis ſuſpendio pœnas luit 74

C.

CAchecticus fit homo per aliquot ſeptimanas hypocauſtum non deſerens & quare 135
Calcinata vere per reiterationem calcinationis & ſolutionis ſolvuntur, hinc omnia calcinata ad ſalium vel aluminum naturam approximant 260

Calcinatio clavis Laconicæ vices ſuſtinet in arctis metallorum repagulis reſerandis pag. 260
Calcinatio fit per ſolum ignem, vel per Salis acuitatem pag. ead.
Calcinationes auri, argenti, ſtanni, plumbi, quomodo fiant, & ex illis Sal per acetum deſtillatum extrahatur & purificetur pag. ead.
Calcinationes duriorum metallorum v. g. æris & ferri quomodo fiant, antequam Sal ſibi extrahi patiantur pag. ead.
Calcinatio corporum ad Elixir Sophorum requiritur 272
Calcinatio metallorum quomodo fiat, ut in crocos vitrificationi deſtinatos commode cedant 296
Calces metallorum quomodo prius depurandæ ſunt, ut vitrum metallicum, ſeu Amauſum fiat præſtantius pag. ead.
Calculus humanus deſtillaſtus dat ſpiritum acidulum, relicto capite mortuo friabili, cui ſi idem acidum, reaffunditur, novum coagulum oritur 87
Calor quid ſit 279
Caput Corvi, quid vocitent Chymici 148. & 289
Capita mortua Chymica plurima aëri expoſita primævam & innatam inde iterum adſciſcunt qualitatem 123. 134 135
Carbones fornaci injiciendos pro Tincturæ leni digeſtione Magnus Chymiater humectabat, ne ſubitanea flamma incenderentur
Caſſii Conſilium de volatilitate Salis Tartari nihili habendum 21
Caſſius pro mediatore in volatiliſatione Salis Tartari ſumit acetum deſtillatum, quod Sal alcali connubio oleoſo aptius reddat pag. ead.
Caſſius Aurum per Phlegma aquæ fortis & per Sal Marinum in cryſtallos rubicundiſſimas, violacei odoris nec ingrati ſaporis redigit 260
Caſtorei eſſentia & Spiritus Salis ammoniaci Nobilius medicamentum conſtituunt, ſi uniantur 4
Cauda Draconis Philoſophici quis? 190
Caudam ſuam Draconem devorare quid ſignificet pag. ead.
Cauda Pavonis Chymicorum quid? 149
Cauſa & effectus proportionem requirunt 133
Cauſæ cur ex plerisque Scriptis de Medicina Univerſali parum fructus ad hujus artis ſecretiſſimæ Studioſos redundaverit 212
Cauſa præcipua errorum circa materiam Medicinæ Univerſalis quæ? 220
Cauſæ quæ Sal fecerunt in ipſo coercentur & conſpiciuntur 174
Chaos cur Lapis Philoſophorum dicatur 177

 Chalybis

Chalybis Sendivogii Proceſſus pag. 166. 167
Chirurgia infuſoria & transfuſoria primum detecta, cui ſit imponenda corona triumphalis, lis adhuc ſervet 4
Chirurgia infuſoria jam dudum deſcripta a Libavio pag. ead.
Chriſtus ſanavit diverſis modis, quorum aliqui recentur 50
Chymia mediante Salium virtute cuilibet poſſibilitatem transmutationis metallicæ ad oculum hodie demonſtrare valet 133
Chymicaſtri nonnulli ex inſcitia aut malitia negant Tincturam Univerſalem 42
Chymicorum locutiones hieroglyphicæ & allegoricæ turbarunt & ſeduxerunt plurimos 115
Chymici etiam divites dantur, nec omnes ſunt pauperes 86
Chryſopœiam an calleat Reſpublica Veneta, & in quo conſiſtat hujus Chryſopœia 72. 73
Ceræ vel pinguedinis tenerioris oleum non indignum cenſetur olei titulo & cur? 275
Cinnabaris Metallica, vid. Sulphur Metallorum.
Cinis Philoſophicus cum vera calcinatione ad mundificationem deductus, caret fuſione & ingreſſione, hinc fuſilis faciendus 291
Ciniflones vagabundi & illiterati non debent manum admovere Tincturæ Univerſali 94
Circumſtantiæ in ſingulis ſubjectis aliter ſe habentes, curationem Medicam variant 6
Clavei verba de Sale Metallorum 265
Coctio Philoſophica ſola, ſublimationes, deſtillationes, calcinationes, cohobationes, putrefactiones, digeſtiones & alias Chymicorum operationes, comprehendit 185
Coagulatio Philoſophica quomodo fiat 276
Cœlum cur Lapis Philoſophicus dicatur? 175
Cognitio totius naturæ & rerum omnium ex Puro Naturæ dependet, omniaque ex hoc Puro fiunt 197
Colorum varietas ex aqua, ſale, & terra, oritur 277. it. 279
Color mutatur ſemper a Sale contrario abſque Sulphuris adminiculo 279
Compoſitio Sophorum quid ſit 272
Conjecturæ nomen unde 7
Conjecturæ Synonymia pag. ead. & pag. 8
Conjectura artificioſa quid ſit 8
Conjectura Medica quid ſit & cur ita vocatur 8

Ad

Ad Conjecturam Medicam recte faciendam quatuor potiſſimum requiruntur pag. 8
Conjecturæ Medicæ principia 9
Conjectura quomodo differat a demonſtrativa cognitione pag. ead.
Conjectura Medica à quibus incipienda pag. ead.
Conjecturæ principia variant pro cujusvis rei inquirendæ conditionibus pag. ead.
Conjectura artificioſa cum Analyſi Mathematicorum ſpecioſa convenit, & tribus abſolvitur 9. & 10
Conjectura artificioſa exercitatione obtinetur 8
Conjectura artificioſa non in Medicina ſolum, ſed in plurimis aliis nobiliſſimis artibus & ſcientiis neceſſaria eſt 14
Conjecturam Medicam artificioſam callens Medicinæ ſummum faſtigium attigit pag. ead.
Conjecturam artificioſam callens, ſi amitti poſſit demonſtrativa morborum aliarumque rerum cognitio, prompte eam denuo invenire & reſtituere valet pag ead.
Conjectura Medica, ut brevi expediatur, requiritur 13
Conſiliarii Magnatum obſtricti ſunt monere ſuperiores ſuos ut ſcrutentur Naturalia 93
Conjux cur Lapis Philoſophicus dicatur 176
Conjux Maritos ſuos omnes enecans & interficiens qualis 192. 193
Conteſtatio Autoris Vetuſtiſſimi Duelli Lapidis cum Auro & Mercurio vulgi, de veritate Artis Philoſophicæ 288
Coralliorum Tinctura 106
Corollaria ex Proceſſu Terræ foliatæ Tartari deducta 16. 17
Cornua, oſſa, teſtæ ovorum aliaque ſolida ſuam concretionem a Sale habent, & chymice reſoluta copioſum Sal præbent 87
Cornuificatio eſt vera intimior Metallorum reſolutio 267
Corpora mineralia, animalia & vegetabilia ſucco ſalino - acido largiter imbuta etiam ſubito & in inſtanti quaſi fere petrificari poſſunt 87
Cuprum vulgari aqua forti ſolutum, per ſpiritum urinæ vel Salis ammoniaci non præcipitatur, & ſi quid ab initio ad fundum ſecedit, protinus, majori copia hujus Spiritus inſtillata, iterum ſolvitur, & liquor elegantiſſimum Sapphirinum colorem acquirit 259
Cupri ſolutio per aquam fortem vulgarem, non facile in cryſtallos ſimilis coloris cogitur pag. ead.

Cupri ſolutionis, ſimplici evaporatione inſtituta abſtractione, mox perit amœnitas coloris Sapphirini, & magma remanet Salinum viridiuſculum, difficulter coagulabile, & inſtaurari fulminantis cum periculo diſplodens pag. 259

Cuprum ope ſtanni in ſpecula metallica facile efformatur 294

Crocus ſub noſtro climate creſcens eſt tantum analogus Croco orientali, non vero æquali virtute operatur 136

Croci ſoluti exemplo actio Tincturæ Sophicæ illuſtratur 274

D.

DEnſtonii judicium de Luce & virtute Metallorum 292

DEUS cur non jamdiu patefecerit, nec jam patefaciat plura arcana 5. 164. & 165

DEUS cur non in ſpecie Tincturam Univerſalem patefecerit, cum cedere poſſit in plurimorum commodum 103

DEUS quibus concedat Tincturam Univerſalem 56. 88. 91

DEUS indignis & abutentibus iterum aufert Tincturam Univerſalem 89. 90

DEUS pro meritis noſtris ſua dona dat & aufert, horumque varia exempla e Sacris pag. ead.

DEUS ad majora & ardua opera penetranda elegit ſæpe ſpretos & humiles 96

DEUS omnia cunctis æqua lance non diſtribuit, quemlibet tamen ad certum munus in ſocietate hominum obeundum deſtinavit, dotibusque ad res gerendas exornavit 211

DEUS cum omnia uſibus humanibus deſtinaverit, ſibi ſolam reſervavit gloriam, & grati animi Celebrationem 216

Diabolus ſe immiſcet quandoque Alchymiæ Cultoribus illegitimis 82

Dieterici Conrad. Locus de Caſibus difficillimis, ejusque cauſis in curatione Medica occurrentibus 6

Digeſtionem humidam præfert Petrus Johannes Faber ſiccæ digeſtioni, in Tincturæ Univerſalis labore 150

Dippelii Sententia de Vianodyna Salium Metallorum 265

Diſciplinarum, ſcientiarum & artium alia cæteris omnibus palmam præripit 215

Diſcipli-

Diſciplinarum dignitas non ex objecti in quo explicando verſantur præſtantia, nec a cognitionis certitudine, nec ex ſcientiæ ſubtilitate, ſed ex ſola vera utilitate evincenda eſt 215
Divitiarum remotio petitur Proverb. Salomonis Cap. 30. qua conſcientia igitur ſine legitima vocatione hisce inhiari poterit per Tincturæ Univerſalis elaborationem 100
Draco cur Lapis Philoſophicus dicatur 177
Draco Philoſophicus caudam ſuam devorans quis ſit & qualis? 189

E.

Effectus & cauſa proportionem requirunt 133
Ellychnii igne quidam uſus eſt in Tincturæ digeſtione 151
Elementa quæ in materia Lapidis Philoſophici reperiuntur confuſa & diſtincta, convertuntur & fiunt unum elementum igneum & ſiccum 178
Elementa convertenda in unum alterius eorum in Elixirio Sophorum, & cavendum ne fugiant, nec comburantur, per nimium calorem 273
Ex elementis & cœlo fit ſemen minerale & metallicum, ut ſemen animale & vegetabile 172
Ex Elementis & cœlo qua ratione fiat ſemen metallicum 172. 173
Elixir album quid vocitent Chymici 31
Elixirii albi uſus 33
Elixir album quando eſt perfectum 149
Elixir album non eſt Tinctura Univerſalis proxime tamen ad eam accedit 149
Elixirii Proprietatis Inventor eſt Paracelſus 89
Elixir Rubrum quid vocitent chymici 31
Elixirii rubri uſus 33
Elixir Sophorum ex puriſſimis metallicis principiis ſolum perficitur quæ ſolummodo effectione & ſublimatione haberi poſſunt 183
Elixir Sophorum quid ſit 272
Elixir Sophorum ex quibus conſtat pag. ead.
Elixirii Sophorum quinque propriæ & neceſſariæ qualitates 273
Elixirii Sophici perfectio, in quo conſiſtat 277. 278
Emphiteuticâ arte arbor deponit naturam innatam aſſumitque qualitates ſurculi immiſſi 54
Ens metallicum cur Lapis Philoſophicus dicatur 177

Enchireſis notatu digna circa Vitrioli martis conficiendi Methodum pag. 258
Erbinæus a Brandau expeditam ac concinnam ſatis Aurum, Argentum, & Mercurium in Salia Vitriolica redigendi Methodum proponit, in denen zwölff Grund-Säulen der Natur und Kunſt pag. ead.
Eſpagneti effatum de Elixirio Sophorum 273
Eva cur Lapis Philoſophicus dicatur 176
Experimentum ex Mixtura aquæ & olei ad demonſtrandum ſecretionem a diverſa figura pororum dependere, adhibitum, non ſuccedit 23
Experimentum practicum genuinum unicum, plus habet ponderis, quam centum rationes philoſophicæ ſpeculativæ 55

F.

FAbri Petri Johannis Manuſcripti Encomium 170
Ejusdem Proceſſus Chymicus contractus & illuſtratus 208. & ſequ.
Febure ex Marte cryſtallos rubentes per aquam fortem pauxillo nitri alteratam, obtineri tradit 266
Fera nigra in Sylvis, quæ dum nigredinem deponit mira albedine induitur, quid ſit? 194
Ferdinandus III. Imperator poſſedit Numiſma ex Auro arte chymica parato 64
Fermentatio ſpecifica & ſeminalis in quavis corporis humani parte, quid? 22
Fermentationi ſtructuram viſcerum & ſanguinis ac humorum naturam contrariari, & mechanica ratione explicari poſſe, quæ fermentis alias attributa fuere, hodie multi Medicorum ſtatuunt pag. ead.
Fermenta ſpecifica & ſtructura partium mechanica ſimul ſtare poſſunt 22. 23. 24. 25. 26
Fermentum diverſum, diverſum producit humorem 23
Fermentum peculiare, peculiarem motum ſanguini advenienti inprimens, in viſceribus ſingulis hærere, odor, ſapor & color manifeſte diverſus in ſingulis viſceribus docet 23
Fermentum ſecretioni dicatum, a primo ortu ſtatim ſingulis partibus fuit implantatum pag. ead.

Fermentum non idem numero ſemper permanet, ſed eſt multiplicativum ſui pag. 23
Fermento renum ſpecifico immutatio ſeri in renibus fit, non ſtructura mechanica 24
Fermenti uterini natura 25
Fermentum, quod ſanguinem menſtruum turgeſcentem reddit, eo tempore vix alibi producitur ac in utero pag. ead.
Fermentum morboſum quid in Pathologicis notet pag. ead.
Fermentum morboſum non ſolum in abſtracto motus morboſus immutativus, ſed & humor tali motu præditus vocatur pag. ead.
Fermenti morboſi cauſa quæ pag. ead.
Fermenta morboſa quæ producant? pag. ead.
Fermentum Philoſophorum quid & quale 188. 189
Figulorum vitra 294
Fimus cur Lapis Philoſophicus dicatur 177
Fodinas metallicas deſcendenti quid obſervandum 224. 225
Fodinas metallicas qui cum fructu viſitare cupit, prius probos libros legat de re metallica 225
Forma rerum naturalium eſt veluti lux quædam, aut ſubſtantia luci corporum cœleſtium ſimillima 218
Fulmen Theophraſti in Cœlo Philoſophorum deſcriptum, qua proportione miſceri debet 251
Finis mundi hujus & rerum omnium qualis 180

G.

D. GAnzlandii Mercurius antimonii 107
Geberus Philoſophus in Sole & Sale Naturæ eſſe omnia dixit 232
Generatio rerum omnium ex quo, & quomodo fiat, & perfici ſoleat 121
Generatio Lapidum & petrefactio ſubitanea unde? 86. 87
Generatio Tartari vini & calculi in corpore humano 87
Generationes variæ & infinitæ fiunt, poſtquam omnia reducta ſunt, in primam materiam 174
Geſneri in Evonymo Sententia de ſolutione Auri ejusque colore albo: 290. 291
Glaſerus in Chymiſchen Weg-Weiſer Lib. II. ex ſtanno pari methodo ac ex plumbo Sal per acetum deſtillatum elici poſſe, negat. Aſt vera methodus docetur 258

Glauberus Sedimenta in variis metallorum ſolutionibus ac digeſtionibus ſecedentia, diligentius examinanda docet pag. 257
Glauberi Methodus Vitriolum Lunæ, per oleum Vitrioli, vel aquam fortem paratum, ope ſpiritus urinæ vel Salis ammoniaci corrigendi 259
Glauberus ſtanni transmutationem via facili ſiſtit 295
Glauberi Proceſſus maſſæ vitro æmulæ auri & argenti ſatis divitis 298
Geoffroy Chimicus Gallicus cum Sale Tartari volatili Tincturam auri & aliorum metallorum præparat 20
Gummertus Theodorus metalla, mineralia & lapides omnes facillime absque fixis Salibus, & absque ullo addito plumbo in fornace in vitra redegit 293

H.

D. HAnnemannus inter Poſſeſſores Lapidis Philoſophici varios Celebres Theologos refert 283
Harveus multum temporis impendit in dilucidando generationis animalium negotio, ac in invenienda Circulatione Sanguinis 2
Helmontii Baptiſtæ Johannis, Spiritus Salis Tartari volatilis 20
Helmontius totius œconomiæ corporis effectus fermentatione & fermentis viſceribus innatis explicavit 22
Helmontius per Spiritum Salis ammoniaci acidum metalla cohobando ſuper alembicum ducit, & ex hoc croco Sulphur cum Sale Tartari volatili extrahere geſtit 268
Helmontius diſſuadet elaborationem Tincturæ Univerſalis 101
Helvetius idem facit 102
Hermetis Triſmegiſti Tabula Smaragdina eſt communis operum Chymicorum Cynoſura 130
Hermetis Triſmegiſti Tabulæ verba pag. ead.
Hollandi Iſaaci encomia aceti deſtillati 259
Homo Homini Diabolus, hoc proverbium adhuc ſuo gaudet valore 3. 13
D. Hoffmanni Friderici judicium de Tinctura Auri Clauderi 168
Hombergii Experimentum acidorum notitiam augens 18. 19
Homeri Aurea Catena terram foliatam Tartari deſcribit 14
Hollandi Iſaaci duplex Calcinationis methodus 260
Theobaldi ab Hoogelande deſcriptio Hiſtoriæ Bragadini 86
Humorum corporis humani diverſi Secretionis modi 22

Humo-

Humores ſecernendi non ut partes in ſanguine hærent, ſed ex eo immutatione facta generantur pag. 23
Humorum excernendorum immutatio & generatio optime explicari poteſt per producta ex aliis liquoribus, eorumque modo pag. ead.
Humores in ſe habentes principia fermentationi apta, ſola fermentatione in aliud plane ens abeunt, ut liquores potulenti ſuccus uvarum: &c. 23
Humorum diverſitas unde pag. ead.
Humorum continue immutatio & ſeparatio ſpecifica fit, & ſemper ſimul producitur, reſtituitur & conſervatur fermentum 24
Humores in viſceribus juxta eorum ſtructuram aliquo modo morantur, & hac mora naturali immutationem cum fermento ſubeunt pag. ead.
Humores corporis non ſunt ſimplices, ſed mixti 26
Humores principia conſtitutiva activa, Sal, Sulphur & Mercurium, quam paſſiva, terram & aquam in ſe continent pag. ead.
Hydra chymica ſeptem habens capita qualis & quæ? 191. 192

I.

JEſuitæ non omnes pro fraudulentis & ſceleſtis habendi, licet olim Gallia & Dominio Veneto expulſi 57
It. licet Petrus Jarrichius impia de illis referat pag. ead.
Ignis frigidus & humidus chymicorum 151
Ignis regimen cardo exiſtit præparationis Tincturæ Univerſalis 149
ab Ignorantia ad negationem non licet argumentari 43. 266
Impiis dies vitæ abbreviantur 36. 90
Impiis ac indignis Tincturam Univerſalem DEUS non concedit 56. 88
vel iis eam iterum aufert 89
Inferiorum & Superiorum Conſenſus ac Analogia infringi neutiquam poterit 58
Inſcriptio breviſſima Tabulæ Smaragdinæ Hermetis ſimillima 142
Johannes Evangeliſta inter Poſſeſſores Lapidis Philoſophici & Inſtitutores numeratur 299
Ejusdem Apocalypſeos Cap. XXI. v. 11. & 21. explicatur pag. ead.
Iridem quid vocitent chymici 148. 149

Iris cur Lapis Philoſophicus dicatur pag. 177

K.

Kircherus Athanaſius ob rariſſimas eruditionis dotes commendatur 51. 52
invehitur in Alchymiam 52
Lapidis Philoſophici exiſtentiam negat pag. ead.
ſed refutatur pag. ead.
operationibus chymicis manum ipſe procul dubio non admovit 53
Tincturæ augmentationem negat 55
accurate & nervoſe deſcribit Materiæ Univerſalis Materiam plane inſcius 119. & 120
D. Kœnigii Emanuelis deſcriptio Arcani Philoſophici, & Auri Potabilis 282
Kunckelius teſtatur Electorem Saxoniæ Auguſtum cum Uxore & Filio Chriſtiano I. Lapidem poſſediſſe 72
Kunckelius Limaturam martis longa reverberatione tractatam in ſubtilem crocum efflоreſcere tradit 261
Kunckelius ſalibus metallicis virtutem mercurium conſtanter figendi adſcribit 264
Kunckelius principia corporum, Aquam, Salem & terram, ſtatuit, eaque quoad Elixirii Sophorum compoſitionem conjungere docet 276. 277
Kunckelius ſtatuit calorem & frigus pugnam eſſe inter acidum & volatile, quæ in fermentatione inæqualiter prædominetur 279
Kunckelii Sententia de ortu tumorum, tuberum, aliorumque incommodorum in corpore humano pag. ead.
Kunckelius nullam æqualitatem, ſed mixturam quandam ſemper & inæqualitatem, tam in terra quam in hominibus inveniri ſtatuit pag. ead.
Kunckelii præparatio Salis metallici 280. & 281
Kunckelius, nil quicquam Mercurio vulgari frenum injicere poſſe, quam acidum, ſtatuit 291

L.

Laboratoriorum Chymicorum inventa & operationes non menſuranda ad ulnam Philoſophicam 53

Laboratorculi illiterati non aggrediantur arduum Laborem Tincturæ Univerſalis pag. 94
Lac Virginis cur Lapis Philoſophorum dicatur 176
Langelotti Proceſſus Mercurii antimonii 107
Langelotti Proceſſus melius ſuccedit, ſi Sal Tartari e capite mortuo Tartari immediate paratum ſemioleaginoſum adhibetur pag. ead.
Lapis Philoſophorum non eſt Tinctura vel liquor ſic dictus 31
Lapis Aquilæ cur Lapis Philoſophorum dicatur 175
Lapidis Philoſophorum exiſtentia defenditur 171
Lapis Philoſophorum eſt materia ſeu ſemen ex qua fit aurum, argentum & reliqua metalla 172
Lapis Philoſophorum aliud corpus habere nequit quam Salis 173
Lapis Philoſophorum ſubjectum unicum eſt in rerum natura, quod in ſe ipſo habet, quicquid illi neceſſarium eſt ad perfectionem ſuam ultimam & abſolutam obtinendam 177
Lapidi Philoſophorum ſuperflua tantum demenda ſunt, ſcilicet fæces ſuæ, quæ non ſunt ejus naturæ pag. ead.
Lapidis Philoſophici fecibus ſeparatis coctio tantum neceſſaria eſt perennis & continua ad ultimam perfectionem acquirendam pag. ead.
Lapidi Philoſophorum nec Sol nec Luna vulgaris addenda ſunt ad perfectionem; habet enim in ſe Solem & Lunam quæ ipſi in centro ſuo conjuncta ſunt, & inſeparabilia in ipſo ſunt 178
Lapidis Philoſophici ſubjectum eſt verus Mercurius pag. ead.
Lapis Philoſophicus unde Trinus & unus pag. ead.
Lapis Philoſophorum ubique reperitur in omnibus naturæ mixtis 180
Lapidi Philoſophorum ter aut quater aut pluries coagulato, additur Mercurius ſuus & cur 182
Lapis Philoſophorum liqueſcit in oleum fixum liquabile, & nunquam coagulabile in ſubſtantiam firmam & duram pag. ead.
Lapis Philoſophorum incorruptibilis eſt, & ex metallico regno deſumendus 197
Lapidis Philoſophorum intima cum ſint perfecte cocta & matura & fixa, fixatione perfecta, figunt, coquunt, & maturant ea, quæ non ſunt omnino cocta, neque fixa, & omnino matura 179
Lapides ignobiliores mutantur in pretioſos 34
Lapides in locis Salinis tantum & e materia Salina proveniunt 87
Lapides vitrei in ſcoriis minerarum ferri & cupri apparentes unde 295

Lapis in limo inventus prope Caſſellas & Numburgum cujus ſit virtutis pag. 126
Lapis Philoſophorum ex puro Naturæ conficiendus 196
Lapidem Philoſophorum ſolutiones & coagulationes ſæpius iteratæ augent & multiplicant, quantitate, virtute, & proprietate 203
Levi Johannes, tempore Caroli Magni 500. & ultra annos auxilio Lapidis Philoſophici vixit 194
Leo alatus & ſine alis, & ex duobus Leonibus unum fieri debere quid ſit? 195. 196
in Lethalitate vulnerum inquirenda præter ſenſus externos, apertio & inciſio cadaverum requiritur 10
Linckenii Lipſienſis experimentum argenti facti e Mercurio currente, per parvam quantitatem Salis cujusdam metallici 256
Liquor Alkaheſt quid & qualis ſit 199. & 200
Liquor Alkaheſt juxta Paracelſum quid ſit? 199
Liquor Alkaheſt eſt ſimplex vel compoſitus, & tamen unum & idem conſtituunt 200
Liquor Alkaheſt eſt purus putus ignis naturæ incorruptibilis & inalterabilis 201
Liquor Alkaheſt omnia reducit in primam materiam ſine ulla diminuta ſua actione 201. 202
Liquor Alkaheſt eſt ſeparandus ex metallis a liquore Alkaheſt diſſolutis, ut citius figantur 203
Liquor Alkaheſt habet in ſe Sal, Sulphur & Mercurium Philoſophorum, quibus omnia in materiam primam reducit & vere diſſolvit, absque fecibus ullis relictis pag. ead. & 204
Lipothymiam patienti cordialibus approperandum 37
Lixivium cur Lapis Philoſophicus dicatur 176
Ludovici XII. Regis Galliæ Cuſtos nemorum, invento liquore in terra ſepulto, corpore eo liquore perunᴄto vixit annos 300. ab omni morbo liber 194
D. Ludovici Medicus, ex alumine cum Sale Tartari ſociato, Sal volatile Tartari propellere docet 21
Idem a mente Helmontii in Sale Tartari Volatili perficiendo longe recedit pag. ead.
Lullius Salis Tartari & alcohol vini connubium vocat: ſanctam Eſſentiam vini, unctuoſum Spiritum Vini Philoſophicum, Cœlum Vinoſum pag. ead.

Luna

Luna cur Lapis Philoſophicus dicatur pag. 176
Luna fixa, vide Argentum fixum.

M.

MAli ſurculus curioſe inſeritur in cydoneum 54
Magneſia, Mater, Materia omnium formarum cur Lapis Philoſophorum dicatur 176. 177
Maria Rante Angla prædixit Lapidis Philoſophici cognitionem An. 1661. in vulgus fore notiſſimam 162
Matrimonium Philoſophorum verum & legitimum quomodo fiat? 206
Medicina plurima noviter inventa noſtro ſeculo habet 5. 6
Medica ſcripta quoque diſſidiis diverſas Religiones excolentium exponuntur 5
In Medica Vinea inſtat fortaſſis 9. aut 11. diei hora magni illius Patrisfamilias 5. 106
Medici boni non fiunt ſed naſcuntur 8
Medicus Logicæ veræ peritiſſimus ſit 8
Medicus Philoſophiam inſtrumentalem & Practicam cognitam habere debet pag ead.
a Medico Anatomiæ, Chymiæ & Matheſeos ſcientia non abeſſe poteſt pag. ead.
Medicus mente ſibi proponat quæſtiones de rebus expiſcandis, ut felicius veritatem indagare queat 10
Medico in curatione morborum plura inveſtiganda ſunt, quamvis æger nil ſæpius requirat, quam curationem ipſam pag. ead.
Medicus ſollicitus eſſe tenetur de principiis ſeu ſignis, quibus ad id pervenire licet, quod intendit pag. ead.
Medicum oportet, ut ſigna manifeſta morborum, & ſibi manifeſta reddantur, quia nec ab ægris, nec ab adſtantibus, nec aliis ſufficienter ſponte recenſeantur pag. ead.
Medici inveſtigatio peragitur ſenſibus propriis, vel concinna interrogatione pag. ead.
Medicus quæ ſenſibus percipere valet abſque difficultate deprehendit, ſi machinæ humanæ, vel rei indagandæ ſtatum naturalem habeat probe cognitum, & in arte exercitatus eſt pag. ead.
Medicus quæ interrogatione colligat pag. ead.
Medicus quomodo quærat, quæ æger patiatur pag. ead.

Medicus omnium actionum naturalium, vitalium, & animalium conſtitutionem, & ſymptomata ſingulo, eaque, quæ bene ſe habent probe obſervet, & ceu ſigna colligat pag. 11
Medicus nexum cauſarum, ex quibus morbi provenire poſſunt, probe cognitum habeat pag ead.
Medicus de cauſis quærat, quæ ægroto certo conſtant, quamvis æger neſciat, quod cauſæ vim habeant pag. ead.
Medicus morborum cauſas mediatas remotiores ſingulatim reſpicit & percurrit pag. ead.
Medicus quænam cauſæ remotiores morbum prægreſſæ fuerint, interrogatione diſcit pag. ead.
Medicum cuncta, quæ demonſtratione nota & manifeſta evaſerunt ante noſſe oportet, quam ad Conjecturam Medicam accedit 12
Medici caveant ſummopere ne præjudiciis & ſimilitudinibus decipiantur, & quomodo hoc evitent 13
Medicina gaudet principiis firmis, certis ac demonſtrativis in omnibus, quæ inventa ſunt pag. ead.
Medicis nonnullis cur adeo vitio quaſi non ſit habendum, quod hactenus Tincturam Univerſalem pro Non ente habuerint 31
Medicis operibus manum qui applicat aggreditur res inter mundanas magis arduas 143
Medicus eſt Miniſter Naturæ non Dominus imperans 49
Medici Dogmatici qui ſint & eſſe debeant 43
Medici non ſolum credere debent, quod Veteres crediderunt, ſed iis etiam nova addere 91. 113
Medicorum noxia invidia 3. 4
Medicamentorum particularium unumquodque agit in ſibi contrarium 117
Medicamenta non ludicre, fruſtra & inutiliter exhibentur ægrotantibus 38
Metallorum transmutatio poſſibilis 30. 54. 55. 133
Metallorum transmutatio a nonnullis negatur 30
ſed refutantur pag. ead. 54.
Metalla imperfecta vertuntur in Aurum vel Argentum per Tincturam Univerſalem 34
Metalla conſentiunt cum variis Lapidibus 54
Metallis proprie non competit anima & vita 55
Metallis omnibus multi fruſtra inſudaverunt pro Tincturæ Univerſalis materia 116

Metalla

Metalla inter ſe differunt ſaltem gradu pag. 55
Metallorum transmutationem quomodo perficiant Salia proprie conſiderata 133
Metallorum transmutatio magna non poteſt fieri ſine influxu & concurſu Aſtrorum, aut Salis aerei 133. 134
Metalla quæ materiæ Lapidis Philoſophici intima, ac illi materialiter juncta & implantata ſunt, ſufficiunt ad perfectionem ſuam 178
Metalla perfecta ſi Mercurio Philoſophico nec in principio, nec in medio, nec in fine addantur, Mercurius Philoſophicus coctione perenni & continua non deſiſtit ſe terminare in Sulphur primo album, & ultimo rubrum 184
Metalla perfecta in principio coctionis Mercurii Philoſophici cur addenda 185
Metalla in pinguedine Philoſophica ſepties rectificata, diſſoluta, copioſo ſpiritu & vitali ſemine iterum donantur, & copioſius quam in fodinis 186
Metalla vulgi non eſſe recipienda ceu mortua, & accipienda tantum Philoſophica ceu vitalia, duplici via explicari poteſt 187
Metallicum & Minerale purum quomodo præparandum & habendum ſit 198
Ex metallis, in metallis & per metalla multi proximiorem viam ad opus Philoſophicum quærunt 210
Metalla nihil in fluxu radicaliter ingreditur, niſi mercuriale & metallicum ſit 222
Metallorum formæ potior ſedes reperitur in principio præcipuo metallorum, Sulphure 223
Metallica principia qua proportione in præparatione Medicinæ Univerſalis conjungi debeant 253
Metallorum ſolutiones per menſtrua acida vix citra manifeſtam particularum heterogenearum ſeceſſionem contingunt 256
Metalla per iteratas Mercurii ab illis abſtractiones & ſublimationes intimius penetrantur & recluduntur, & ad Salia metallica extrahenda apta fiunt 261
Metallorum compoſitiones in terra quomodo fiant 278
Metallorum intimior reſolutio cur non levem operam ac laborem acutumque judicium poſcat 266
Metallorum pars volatilior mercurialis vel phlogiſton cum fumo abit, Sulphurea autem cum Salino in vitrum conflatur 266

Metal-

Metallorum ſolutio in oleis vel alcalibus cum volatiliſatione horum corporum fixorum conſtat pag. 266
Metalla omnia præſertim fixiora neceſſario prius ſubtiliſanda, recludenda & volatiliſanda ſunt, antequam menſtrua benigniora ex iis Sulphur ſeparare valent 268
Metalla non ſolum in aquam Mercurialem, primævumve fluorem reſolvenda ſunt, ſed & ſic mercurificata recongelanda & figenda 281
Metalla tantum in ſe continent Mercurii, quantum accedunt ad pondus auri pag. ead.
Metalla omnia absque additamento in vitrum abeunt, excepto auro 294
Metallorum & mineralium primaria baſis eſt terra calciformis, lapidiformis, tenera & tractabilis 294
Metalla & Mineralia unde facilius in vitra redigi poſſent pag. ead.
Menſtruum Philoſophicum aqua ſicca vocatur, quod plures de Mercurio manus non madefaciente explicant, ſed potius de Sale intelligendum 231
Menſtruum Philoſophicum butyro antimonii admodum eſt ſimile, & quomodo tractandum 253
Menſtrua ſicca ad Sulphura metallica extrahenda ſex ceu optima recenſentur 270
Menſtruum ſiccum in omni liquore ſolubile pag. ead.
Menſtruum ex Sale ammoniaco & Mercurio ſublimato ex vitris metallicis Sulphur fixum extrahit, & metalla fixiſſima volatilia reddit, & recludit pag. ead.
Mercurialia parantur remedia, quæ critice modo per hoc, modo per aliud excretorium operantur 49
Mercurius cum auro vere fixatus & præcipitatus eſt medicamentum particulare præcipuum 99 107
Mercurius in Sulphur fixum converſus omnia perficit & verum vitæ eſt balſamum, &c. 178
Mercurius Philoſophorum qualis ſit 180
Mercurius Philoſophorum & vulgaris differunt qualitate pag. ead.
Mercurius Philoſophorum nullo modo ex vulgari Mercurio educi poteſt 180
Mercurius Philoſophorum eſt tantum humidum radicale metallicum, quod in Lapide Philoſophorum reperitur pag. ead.
Mercurius Philoſophorum eſt humidum aeris caliditate mixtum pag. ead.

Mercurius & Sulphur Philoſophorum ſunt unum & idem in eodem ſubjecto, nec poſſunt ſeparari pag. 181
Mercurius Philoſophorum ſolo & unico ſuo Sulphure maturitatem acquirit & perfectionem pag. ead.
Mercurius Philoſophorum fugat per ſe, quamvis auro & argento non impraegnetur, omnes defectus, & curat omnes infirmitates animalium & vegetabilium 184
Mercurius Philoſophorum ignem & aquam in ſe continet, quae inter ſe praeliantur, hinc operationes chymicae peragendae, donec ignis & aqua Mercurii ſe conjungant & amica fiant 185
Mercurii Philoſophici ignis & aqua, igne leniſſimo & molli conjunguntur pag. ead.
Mercurii Philoſophici ignis & aqua conjuncta coqui & digeri inter ſe debent, ut tandem invicem in vas recipiens tranſeant forma pinguedinis ſeu butyri albiſſimi pag. ead.
Mercurii Philoſophici butyrum Sal, Sulphur & Mercurium ſimul comprehendit 186
Mercurius Philoſophorum putrefaciendus eſt in balneo per dies 40. 188
Mercurius Philoſophorum quâ viâ ex tribus regnis eliciatur 199
Mercurius vulgaris per poros metallorum tranſeundo eos intimius humectare obſervatur 232
Mercurius vulgaris in terrae viſceribus ad metallicam praedeſtinatus fuit naturam, ſed vel fermento, vel calore deſtitutus, in fluida remanſit forma 234
Mercurii purgatio ad opus Philoſophicum antimonio inſtituenda eſt 235. 236
Mercurius calefactus, ſi antimonio vel ejusdem Regulo liquefacto injiciatur, tota maſſa incredibili tonitru & ſummo adſtantis periculo, in auras abit 236
Mercurii commixtionis per minima cum antimonio ejusque purificationis varii modi pag. ead. & 238
Mercurii purificatio per ceram fluidam 238
Mercurius dulcis ſolaris magnum Medici cujusdam Arcanum 290
Microcoſmus cur Lapis Philoſophorum dicatur? 175
Mineralia quaedam fruſtra pro Materia Tincturae Univerſalis adhibita fuere 116

Mineralia & Metalla in nonnullorum Territoriis occulta jacent, pretio ſuperantia ditionem illam, ſi venderentur pag. 93
Minerale & Metallicum purum quomodo præparandum & habendum 198
Minerale nullum nec metallicum quoddam imperfectum reperitur, quod non mercurialem intermixtum habet vaporem 234
Mineralium virtus concentrata Magnetica dici poteſt 278
Mixtionis chymicæ ancillæ ſunt trituratio & digeſtio 281
Mœbius præfatione Luminis Mercurialis dealbationem auri acido adſcribit 291
Morbi a diverſis oriuntur cauſis, ideoque iisdem diverſa opponenda remedia, quando procedat, & fallat 48. 49
Morbus univerſalis certo reſpectu præſupponitur Tincturæ Univerſali 58
Morieni effatum de opere Philoſophico 206
Joh. de Monte Snyders exemplum irriti & prolongati Laboris chymici 229
Ejusd. Elogium de Sale Solis 233
Id. Mercurium filiam Dianæ vocat 237
Id. per Saturnum Philoſophorum non plumbum vulgare, ſed antimonium intelligendum eſſe, declarat 248
Ejusd. Proceſſus ut metalla deſtruantur 250
Monte Snyderiana Methodo ex Metallis vix aliquid aliud quam nitida Vitriola obtinentur 261
Motus naturæ in omnibus generationibus de liquido in ſolidum fit 276
Motus hic ex principiis corporum patet pag. ead.
Motus naturæ erronei inveterati, non aliter quam per vera metallorum Sulphura tolluntur 271
Mundi Proceres in ſuis Territoriis, uti ſunt ſummi Epiſcopi, & Legislatores, ita & ſubditorum Suſtentatores & Nutritores 92
Iidem Curam Metallorum, Mineralium, & ſimilium rerum, phyſicarum a DEO datarum gerant pag. ead.
Multiplicatio Philoſophica quomodo fiat 275. 276
Muſaicum vel Muſſivum opus quid? 304

N.

N.

NAturalium ſcrutatori multæ obviam eunt difficultates in indagandis rebus Medicis pag. 1
Naturam ſcire quid? 206
Nexus inter quæſita & data intercedere debet, ſi quæſtio ſolubilis ſit 12
Nix vocari poteſt materia remota Tincturæ Univerſalis 131
e Nive Labor chymicus deſcribitur 157
Nominibus fictis & metaphoricis cur multi ſcripta ſua edant 115
Nubes cur Lapis Philoſophicus dicatur 175
Nutritionis Modi 22

O.

OBſtacula Autori Schediasma ſcribenti obvenientia 1. 2. 3. 4
Oculorum inflammationes, ſaccharo Saturni caute ſunt tractandæ 264
Olea deſtillata cum ſulphure fixo ſalis alcalici analogiam habent 20
Odor ſuavis veris Chymicis quid ſit 289
Opus Philoſophorum patientia & otio ſummo eget 170
Opus Philoſophicum qui perficere cupiunt, ſtudeant in ſalibus fixis & alcalibus faciendis & purificandis, hæcque fixa Salia, volatilia reddant 201
Opus Philoſophicum eſt perfecta dealbatio & perfecta rubificatio, quæ in putrefactione & mundificatione conſiſtit 206
Opus Philoſophicum multiplici & alterna ſolutionis & coagulationis reiteratione abſolvitur 274
Operis Chymici ex Vitriolo communi difficultas, ejusque cauſa pag. ead.
Orichalci Præparatio 28
meretur nomen Arcani pag. ead.
Ovum Philoſophicum igneo percutere gladio quid? 253

P.

PAnſpermia quæ fuerit pag. 119
Pantaleon humidum & ſiccum modum præparandi Tincturam Univerſalem ſtatuit 231
Paracelſus Salis Tartari & Alcohol Vini connubium Balſamum Samech nominat it. Quintam Eſſentiam Tartariſatam 21
— — an fuerit atheus 89
— — invenit Elixir Proprietatis & Mixturam ſimplicem pag. ead.
— — quo anno mortuus pag. ead.
a Paracelſo aufert DEUS Tincturam pag. ead.
Paracelſus cur non fuerit longævus, rationes phyſicæ 91
Particulares labores, quos vocant Chymici, non minus caute & legitima vocatione tractandi, ac Tinctura Univerſalis 95
Partes corporis in prima formatione omnes ex fluido conſtituuntur 22
Partium diverſitas unde? pag. ead.
Percolatio ſola non ſufficit ad ſecretionem Urinæ 24
Peruvianus flos mirabilis noſter, eſt Galapium Indorum 136
Philaletha recenſet Tractationem Mercurii ad ſummam Medicinam 235
Idem Purificationem Mercurii ſaltem cum Regulo martis procedere vult pag. ead.
Philoſophus per ignem quis ſit 69
Philoſophi Galli Delphinatis Anonymi Proceſſus ex Mercurio & Sulphure ſolis 239. 240. & ſeqqu.
Philoſophica Laboris Univerſalis proportio, in quo conſiſtat 147
Philoſophiæ pars de Tinctura Univerſali, ut bona pleraque mox ab incunabulis ſuos nacta fuit oſores 219
Philiatri non motu præpoſtero & ſine jactis fundamentis Medicis aggrediantur labores chymicos arduos & Tincturam Univerſalem 94
Pororum diverſa figura & magnitudo non efficere poteſt, ut potius lympha in renibus ſeparetur, quam urina 24

Poeſis

Poeſis laude omni major ob abuſum hodie ſpreta pag. 95
Pororum diverſa magnitudo pro ſecretionis modo conceditur, ſed in ea non acquieſcendum 23
Præſervative qua doſi Tinctura alba & rubra ſumenda 33
Principia conſtitutiva tam in ſtatu naturali corporis humani, quam in præternaturali quomodo deprehendantur 26
Principiorum conſtitutivorum nullum excludi poteſt ex morboſo ſtatu 26
Principia qui negat nec intelligit, contra illum non eſt diſputandum 44. & 51
Principium cognoſcendi morbum quæ conſtituunt 11
In principiis Medicis hodie diſſentiunt plurimi 2
Prognoſis Morborum ſigna mala & bona attendenda requirit 12
Purgans ſumtum aliquando ſequitur excretio per vomitum aut urinam, & cur 49
Purum Naturæ eſt vera materia Tincturæ Univerſalis 117
— — quid ſit? 118
— — quid, quale & quotuplex 197
— — in omnibus Naturæ regnis & potiſſimum in minerali & metallico reperitur pag ead.
Pura Naturæ ex tribus Naturæ regnis conjuncta Mercurium Philoſophorum conficiunt 185
Purum Naturæ in metallico regno ſolo incorruptibile reperitur 197
Purum Naturæ unde dicatur Animale, Vegetabile & Minerale pag. ead.
Progreſſus in infinitum non datur 174
Plumbum cur Lapis Philoſophorum dicatur 176
Piſces duo in mare natantes quid ſint, quidve & quale Mare? 190
Plantæ in gravioribus morbis plenarium cur non afferant auxilium 222
Principia metallica, qua proportione in præparatione Tincturæ Univerſalis conjungi debeant 253
Principia corporum Mixtorum vera, longe ſunt ſubtiliora, quam ut ſub Salis corporei Schemate ſiſti queant 255

Principia rerum chymicarum & præcipue metallorum, juxta Becherum & Stahlium optime explicanda pag. 256
Principii Salini in metallis deſcriptio pag. ead.
Polemanni Spiritus ad Sulphura metallorum extrahenda 268
Putrefactio ad Elixir Sophorum requiritur & qualis 273
Poterii Magneſia Saturnina ſeu Luna terreſtris, affectus cephalicos, & paralyſin inveteratam, imo & albuginem oculorum nullis aliis medicamentis cedentem, expugnat 290
Plumbum vitrificatum, & in cupella reductum, quomodo ſemper aliquid auri & argenti largiatur 297. 298
Plumbum cur Crucibula perterebret 298
Proceſſus particularis de auro & argento obtinendo 300
Pyrotechnia eſt filia Medicinæ 58
— — duobus initur fulcris ratione & experientia pag. ead.
Pyrotechni curioſi qui ſint 123

R.

RAtiocinatio eligens quid 12
— — — decidens quid pag. ead.
Ratiocinatio eligens promta eſſe debet 13
Rationes Phyſicæ & Theologicæ, quinam ſibi abbreviare poſſint vitam; eorumque Exempla 36
In renibus plerique ſecretionis modum in ſola percolatione quærunt 24
Renum ſtructura Anatomica ſecretionem urinæ percolatione fieri docet pag. ead.
Renum fermento ſpecifico immutatio ſeri in renibus contingit, non ſtructura mechanica pag. ead.
Rei, fidem mortalium ſuperantis exiſtentiam probare difficile eſt, difficilius multo probare contrarium, imo prorſus impoſſibile oſtendere rem nunquam extitiſſe 219

Regio-

Regiones peregrinando perluſtraturis quid agendum pag. 225
Reverberium diuturnum metalla penetrat & attenuat 261
Ros majalis materia remota Tincturæ Univerſalis vocari poteſt 130
Ros majalis egregiam auri ſolutionem præbuit Borello pag. ead.
Ros in Germania eſt minus aerei Salis ferax, ac in calidioribus Regionibus 136
Roris Labor Chymicus deſcribitur 157
Ros cur Lapis Philoſophorum dicatur 175
Roſencreuz Chriſtianus, in Tractatu die Chymiſche Hochzeit quatuor ad Tincturam Univerſalem vias inſcriptione quadam recenſet 230. 231
Rudolphus II. Imperator Medicinæ Chymicæ amantiſſimus, aquilam volantem per aerem, & bufonem gradientem ſuper terram, clypeo Adepti Michaelis Meyeri, inſculptum voluit 287

S.

SAccharum Theophraſti quid 246
Sal omne ſive animale ſeu vegetabile ſeu Minerale, eſt Spiritus aquæ congelatus, actione & energia Sulphurei Luminis 205
Salis Alcali poteſtas limitata eſt ad imbibendum aceti acidum 18
Salis alcali uncia una ſaturatur ex unciis 14. aceti optimi pag. ead.
Sal acidum propter partium hamoſitatem eſt Principium omnis coagulationis firmæ 87
Sal aëris volatile & Sal fixum terræ niſi per fermentationem perfecte uniri poſſunt 128
Salia e plantis aliisque parata, & moderata licet humiditate ſoluta, in cryſtallos ſolidiores & elegantiores concreſcunt, ſi iis ſpiritus acidus aſpergitur pag. ead.
Salis proprietates apprime conveniunt materiæ Tincturæ Univerſalis 123. 124

Sal centrale fixum in qua Terra potiſſimum reperiatur pag. 125
Sal centrale cur ita dicatur pag. ead.
Sal terræ fixum ejusdem eſt originis cum Sale volatili æthereo 127. 128
Salium virtute hodie poſſibilitatem Transmutationis metallicæ ad oculum demonſtrare Chymia poteſt, & quæ requirantur, ut hoc fiat 133
Salia per ſe non valent perficere metallorum transmutationem pag. ead.
Salia proprie conſiderata quid & quomodo agant in transmutationem metallorum pag. ead.
e Sale Terræ centrali fixo labor chymicus 158
e Salinis trium regnorum corporibus diverſis liquor egregius pag. ead.
In Sale omnia videntur elementa 173
Sal ad omnia generanda & procreanda proclivis & aptus eſt 174
Sal Philoſophorum Mercurium & Sulphur Philoſophorum perficit in Elixir 182
de Sale Philoſophorum Chymici antiqui tacuerunt, quia clavem artis patefacere noluerunt pag. ead.
Sal Philoſophorum eſt vera clavis artis, & absque illo nec Sulphur nec Mercurius patefieri poſſunt pag. ead.
Sal Philoſophorum, Cœlum, Solem & Lunam, omnesque Stellas & Elementa continet, & ſecum concludit, & una cum Mercurio & Sulphure coercetur in uno & eodem corpore pag. ead.
Salis & Sulphuris Philoſophici prælium circa fontem clariſſimum, Sendivogius deſcribit in Tractatu de Sulphure pag. ead.
Sine Sale Philoſophico nil in arte effici poteſt 183
Sine Salis Philoſophici effectione non poteſt habere nec Mercurius, nec Sulphur ad opus Philoſophicum perficiendum pag. ead.
Cum Salis Philoſophici effectione, volatilia facimus, quæ in opere fixa ſunt pag. ead.
In Sale Sulphur & Mercurius Philoſophorum concluſa, ſine volatilitate non haberi poſſunt, & niſi ipſa volatilia habean-

beantur, ipſa depurari nequeunt, nec Elixir perfici poteſt pag. 183
Sal Philoſophorum difficile ſolvitur pag. ead.
Salis Philoſophici ſolutio in tota arte difficile & laborioſum eſt pag. ead.
Sal Philoſophicum ſine putrefactione confici nequit, & prius debet putrefieri, quam ſolvitur pag. ead.
Sal Philoſophicum ante putrefactionem ſummopere purificari debet pag. ead.
Salis Philoſophici purificatio, ſolutio, & in perfectum Mercurium Philoſophorum mutatio pag. ead.
Sal Philoſophorum puriſſimum per ſe coctione perenni & perpetua figi poteſt in Sal fixum permanens quod eſt verum Elixir 184
Salis Philoſophici Tractatio in projectione & mutatione metallorum pag. ead.
Salis metallici clarificatio 252
Salium metallicorum exiſtentia a multis in dubium vocatur, & cur 255
Salium metallicorum exiſtentiam defendit D. Rothius pag. ead. & ſeqqu.
Salis titulus quali producto tribui poſſit 257
Salis definitio pag. ead.
Salium primarius character quis pag. ead.
Salia metallorum negantes, non negant tamen metalla quælibet per menſtrua commoda in Vitriola redigi poſſe 258
Sal ex plumbo quomodo facilius obtineri poſſit pag. ead.
Sal quomodo ex cupro fiat pag. ead.
Salium Vitriolicorum nauſeoſum ſaporem & ſepticam virtutem quidam mitigare tentarunt 259
Salium Vitriolicorum correctionem & exaltationem per additionem aliorum Salium multi tentarunt 260
Salia Vitriolica additione aliorum ſalium correcta, uſui medico quidem magis accommodari poſſunt, ob evidentiorem tamen Salium peregrinorum acceſſum tanto minus aliis arrident pag. ead.

Salia metallica ab aceto ſtillatitio ad extractiones adhibito non oriuntur pag. 263
Salium metallicorum uſus ad Tincturam ignobiliorum metallorum ſpectat 264
Salis metallici præparatio 280. 281
Sal metallorum eſt Lapis Philoſophorum pag. ead.
Salis vere metallici nota eſt, quod per tres dies & noctes continuos igne acerrimo, absque ſui imminutione calcinari poſſit ac debeat pag. ead.
Salia metallica nil aliud eſſe quam integrum metalli alicujus corpus per acidum corroſum ac ſolutum, nondum ſufficienter demonſtratum exiſtit 256
Sal metallorum nec odorem nec ſaporem exhibet 280. 281
Sal Jovis Mynſichti remedium ſpecificum Antihyſtericum exiſtit 265
Sal mirabile Glauberi ſi cum metallis ſociatur, ſpecificam vim medicam habet 233
Sal commune additione cujusdam ſubjecti in mercurium currentem reſolvi poſſe 301
Sal commune nonnullos effectus Mercurio proprios in Medicina, Phyſica, & Chymia producit pag ead.
Sal Nitri & petræ cur Lapis Philoſophicus dicatur 176
Sal Tartari quo propius in perficienda terra foliata ad Saturationem pervenit, eo plures feces nigræ & terreſtres in conſpectum veniunt 17
Salis Tartari ad terram foliatam unica tantum depuratio ſufficit pag. ead.
Salis Tartari & aceti deſtillati commixtio & evaporatio in Proceſſu Terræ foliatæ, in vitreis vaſis quam figulinis & ferreis melius poteſt peragi, & cur pag ead.
Salis Tartari Volatilitas in terra foliata affecuta, non in ſenſu ſtricto, ſed relative tantum eſt interpretanda 20
Salis Tartari volatilis Proceſſus vel noxii, vel fruſtranei, vel ſupervacanei deprehenduntur pag. ead.
Sal Tartari naturam alcalinam in terra foliata amiſit, & in Sal medium eſt commutatum 21

Sal Tartari volatile ſecundum Lullium præparatum, ſuper carbones candentes detentum, inſtar ceræ cito liqueſcit, & multum cærulei vaporis emittit pag. 21
Sal Tartari volatile acquirendi modus pag. ead.
Sal Tartari cum calce viva cæmentatum volatilius redditur pag. ead.
Sal Tartari volatile ex pinguibus oleoſis & alcalinis menſtruis ad Sulphura metallorum extrahenda, principem locum tenet 268
Sal Tartari ſi ante ſaturationem cum aceto deſtillato per repetitas cum calce viva cæmentationes in oleum incoagulabile convertitur, ſpiritum inde prolectum dat majoribus & igneis præditum viribus 269
Salis Tartari ſaturatio multo citius abſolvitur, ſi acetum deſtillatum ex generoſiori vino paratum ſit pag. ead.
Salamandra Chymicorum quæ & qualis ſit 193. & 194
Sanguinis menſtrui fluxus cauſam plurimi in ſola abundantia ſanguinis & vaſorum uteri mechanica conformatione ponunt 24
Sanguinis menſtrui excretio quomodo fiat 25
Sanguinis menſtrui fluxus apparentem & præſentem eo tempore ſanguinis turgeſcentiam ſeu fermentationem habet pag. ead.
ad Sanguinis menſtrui fluxum nec moles ſanguinis, nec conſtitutio vaſorum ſufficit; non enim ſemper eadem quantitas producitur, nec excernitur, & tamen ſtato tempore fluxus repetit pag. ead.
in Sanguinis menſtrui fluxu cum admittatur turgeſcentia, mirandum cur cauſa efficiens illam ſive fermentum rejiciatur pag. ead.
Sanguinis turgeſcentia cauſam aliquam & diverſam a Sanguinis copia ut habeat, neceſſe eſt pag. ead.
Sanguis in utero cur accumuletur eſt, ut ſuo tempore ad fœtus incrementum impendatur pag. ead.
Sanguis uterinus ſi non ad fœtus incrementum impenditur, tale quid in utero producitur, quod ſingulis menſibus ſanguini rarefactionem conciliat, ne moleſtus corpori fiat, ſi minus impendatur pag. ead.
Sanguinis menſtrui fluxus genuina & proximior cauſa pag. ead.
Sanguinem purificans ſi aſſumitur, ſequitur aliquando operatio excretoria per alvum, ſudorem, urinam 49

Sanguis cur Lapis Philoſophicus dicatur 176
Schwaerzerus Electoris Saxoniæ Chymicus de Salibus metallorum ſcripſit 264
Scorbutus varie eludit medicamenta, verus Vertumnus 2
Scripturiendi hodie pruritus plurium ſterilis & inutilis eſt 3
Secretum Artis Chymicæ eſt: cum materia volatili fixam materiam volatilem facere 195
Semen Univerſale quid ſit 119. 120
Semina in terram projecta, niſi ſæpius ab humido ex cœlo deſcendente humectarentur, difficillime putreſcerent, & germinare nequeant, niſi prius putreſcant 188
Semina quomodo per putredinem redeant in materiam ſuam primam, germinentur, & multiplicentur pag. ead.
Secretum Sophorum conſiſtit in ſale & oleo metallorum per reverberationem educendo 280
Serpens cur Lapis Philoſophicus dicatur 277
Sinenſes falſo ſibi perſuadent Tinctura Univerſali poſſe obtineri immortalitatem 81
Sinenſium nullus adeptus Tincturam præter Regem Hiaoum 103
Sinenſis Conſiliarii egregium Stratagema, quo Regi conceptam immortalitatis ſpem per Tincturæ aſſumtionem demeret 81. 82
Solis radii in pulverem purpureum præcipitati, mediante ſpeculo cauſtico 154
Solutionis veræ Philoſophicæ fundamentum 274
Species nulla in aliam mutatur quomodo procedat & fallat 53. 54
Solutio eſſentialis & naturæ conveniens: quomodo a corroſiva diſtinguatur 274
Sponſa cur Lapis Philoſophicus dicatur 176
Spiritus cur Lapis Philoſophicus dicatur pag. ead.
Spiritus Vini ſemel vel iteratis vicibus abſtrahatur ſuper terram foliatam Tartari, & quo ſcopo id fiat 18
Spiritus Vini abſtractionem a terra foliata Tartari quidam majoris purificationis ſcopo conjunctis filtrationibus aliquoties repetere ſolent pag. ead.

Spiritus

Spiritus Vini nimiam abſtractionem a terra foliata diſſuadet D. Junckerus, & cur pag. 18
Spiritus Vini acida corroſiva enervat & dulcificat 259
Spiritus mundi omnia vivificat 122
Spiritus Mundi eſt ſumme volatilis, inviſibilis, penetrabilis 123
Spiritus Mundi præcipue concurrit in Materia Univerſali 131
ex Spiritu mundi rara Medicamenta parari poſſunt pag. ead.
Spiritus ſeu Menſtruum Univerſale ex terra Nitroſa D. Sieboldi 136
Spiritus mundi quomodo capiendus 153
Spiritus Naturæ ex Sale Naturæ quomodo educendus & præparandus 205
Spiritum Philoſophorum in via humida ab antimonio procedere Theophraſti & innumerorum exempla affirmant 252
Spiritum urinoſum ſeu Sal volatile urinæ Salia Vitriolica corrigere poſſe dubitatur, aſt ſupervacaneum metum eſſe oſtenditur 259
Spiritus ex oleo Vitrioli & Sale ammoniaco combinatus præ aliis ex acidis menſtruis ad volatiliſationem metallorum, & ad Sulphur metallicum extrahendum commendatur 269
Spiritus Salis ammoniaci urinoſus & Spiritus Vini rectificatiſſimus Sulphura metallorum potenter ſatis extrahere & eſſentificare poteſt, metallis aliquatenus tantum præparatis pag. ead.
Spiritus e Sale ammoniaco per calcem vivam fixato, & Mercurio ſublimato in eo ſoluto, conſtans, perque cornutam deſtillatus, intimius reſolvit metalla, & Sulphura eorum extrahit pag. ead.
Spiritus Salis dulcis, ex acidis dulcificatis menſtruis, optime Sulphura metallorum, ipſiusque auri extrahit, ſi aurum debite prius volatiliſatum fuit pag. ead.
Sputum Lunæ cur Lapis Philoſophicus dicatur 176
Stannum & plumbum leni igne inter ſe coeunt, vehementi vero in cineres protinus fatiſcunt 261

Starckey terram foliatam Tartari cum bolo armena deſtillatam aceti radiati nomine laudat pag. 20
Stannum cur metallis admixtum ea fragilia reddat, & duritiem ſingularem eis conciliet 294
Stifferi Experimentum circa ſolutionem Vitrioli Cyprii 259
Stella ſignata cur Lapis Philoſophicus dicatur 176
Sulphur humorum quid ſit? 26
Sulphur & Mercurius Philoſophorum ſunt unum & idem in eodem ſubjecto, nec poſſunt ſeparari 181
Sulphur Philoſophorum eſt calidum illud radicale, quod ineſt Mercurio rebusque omnibus, cujus ope & beneficio res omnes ad maturitatem ducuntur & ad perfectionem abſolutam pag. ead.
Sulphur fixum album vel rubrum eſt perfectionis Mercurii finis ultimus & ſcopus chymicorum abſolutus 184
Sulphur album primo & ultimo rubeum, eſt ſanitatis noſtræ & prorogandæ Vitæ humanæ ſummum medicamentum pag. ead.
Sulphur ex quovis metallo, aut minerali, ad metallorum indolem propius accedente, & Sulphure metallico non minus ac ipſa metalla, imo magis turgido, ſecerni poteſt 224
ex Sulphure quarumlibet rerum, lux formalis palam poteſt educi, ſegregatis elementarium partium exuviis 223
Sulphur metallorum quid ſit? 265
Sulphur metallorum ex metallis elici poſſe cur multi negent 266
Sulphurum metallicorum ſeu Cinnabaris metallicæ veritas & realitas experimento ſublimationis cum Mercurio in argento, plumbo, ferro & cupro, adſtruitur 266
Sulphuris Metallici extractio recenti ſi ſemper menſtruo repetatur, omnis Sulphurea pars metalli extrahi, & ex reſiduo Sal metalli elici poteſt 267
Sulphur metallorum ſeu Cinnabarim metallicam non eſſe Mercurium a concentratis Salibus coloratum & tinctum, probatur pag. ead.
Sulphuris metallici per Mercurium ſublimatum a Mercurio quomodo liberetur, modi varii 267, 268

Sul-

Sulphura metallorum ceu pinguia & oleoſa illorum principia, optime in pinguibus oleoſis & alcalinis menſtruis, tanquam ſui homogeneis, diſſolvuntur pag. 268
Sulphurum metallicorum uſus vel Alchymicus eſt, vel Medicus 270. 171
Sulphura metallica virtutem anodynam, nervinam, cordialem, confortantem, alexipharmacam &c. poſſident pag. ead.
Sulphurum metallicorum electio inſtituenda pro diverſiate morborum 271
Sulphuri metallico pro diverſitate menſtrui, diverſa quoque indoles inprimitur pag. ead.
Sulphurum metallicorum operatio non a ſolis menſtruis pervenit pag. ead.
Sulphur Philoſophorum virtutes ſuas in corpus humanum per calefactionem exſerit 274
Sutoris ultra crepidam ſapientis jucunda hiſtoria 44
Sylva Chymicorum quid ſit 194
Syrupus Granatorum cur Lapis Philoſophicus dicatur 176

T.

Talenti concrediti magna erit ratio reddenda 5
Tartari ſola deſtillatio oſtendit, Mixtum aliquod etiam citra ultimam in vere prima principia Analyſin, in partes a ſe invicem reverâ diſtinctas, dirimi poſſe 256
Tempus ante omnia etiam obſervandum in materiæ Univerſalis præparatione, & quodnam hoc ſit 129
Terra pinguis ſub nigra, nitroſa, eſt commoda materia ad Tincturam Univerſalem 125
Terra circa mineras ſolis in Hungaria, Transſylvania &c. conducit etiam Tincturæ Univerſali ſi haberi poteſt 126
Terra circa fluvios auriferos in India occidentali reperta etiam conducit Tincturæ Univerſali 127
Terra foliata Tartari recte olim deſcripta a Locatello, Sennerto, Zwœlffero &c. 5
Terra foliata Tartari addito Vitriolo Martis Tincturam exhibet elegantem pag. ead.

In

in terra foliata Tartari quando melior fit unio Salis alcalici & Spiritus acidi 16
Terræ foliatæ Liquor multa ſollicitudine depuratus, non impedit, quo minus Sal ſub exſiccatione novas nigras feces ſeponat 17
Terra foliata Tartari modico igne ſiccata & absque additamento igne fortiori tractata, dat 1.) ſpiritum fortiſſimum acidum. 2) vapores, 3) oleum verum, 4) feces nigerrimas cum ſale vere alcalino acerrimo pag. ead.
Terra foliata Tartari cur pro volatili venditetur? 20
Terra foliata Tartari cum bolo Armena ad obtinendum Spiritum Salis Tartari volatilem Helmontianum, deſtillatur pag. ead.
Terram foliatam quidam cum Sale vel Spiritu volatili urinoſo conjungunt, & ſic ſublimare annituntur pag. ead.
Terræ foliatæ quidam per menſtruam imo diutius protractam circulationem cum Spiritu Vini rectificatiſſimo volatilitatem conciliare ſtudent pag. ead.
Terra foliata minime alcali volatiliſatum appellari poteſt 21
Terra auſtralis incognita cur non detegatur per laborioſiſſimos mercatores, nautas &c. 105
Theologiæ Myſticæ cum arcaniori ſcientia naturali conſenſum ejus Doctores ſtatuunt 283
Tincturæ Terminus varie ſumitur 38
Tincturæ deſcriptio juxta Wedelium pag. ead.
Tinctura Univerſalis commendatur 26
Ejusd. Nomina & quid per eam intelligatur 27
Ejusd. Definitio 28. & 216
Tincturæ Definitionis explicatio 29. & ſeqqu.
Tincturæ effectus 28. & 118
Tincturæ modus operandi 27. 29. 34. 35. 48. 58. 59. 118
Tincturæ effectus quamdiu duret 29. 58
Tincturæ effectus quoad metalla 29. 30. 33. 118
Tincturæ ſigna 30. 31. 32
Tincturæ Univerſalis cognitio Apex exiſtit humanæ ſapientiæ 215. 216
Tinctura Univerſalis eſt rariſſima 31

Tinctu-

Tinctura, quoad figuram externam, in quo conſiſtat pag. 31. 32
Tincturæ ſigna externa explicantur pag. ead.
Tinctura ut plurimum pulveris ſalini veſtem induit 33
— — aliquando etiam oleum eſt & liquor pag. ead.
Tincturæ finis & uſus pag. ead.
Tincturæ portiuncula unius granuli ſufficit operationi perficiendæ pag. ead.
Tincturæ unum tantum granum in vino vel juſculo ſingulis in hebdomadibus ſumendum 191
Tincturæ albæ & rubræ uſus & doſis ad præſervationem pag. ead. & curationem pag. ead.
Tinctura rubra Elixir Philoſophici unde 279
Tincturæ energia rariſſima in regno minerali 34
Tinctura extrahit e perlis veram Eſſentiam pag. ead.
Tincturæ energia mirabilis in regno vegetabili pag. ead.
— — — — a luce ejusque effectu deducitur 217 & 218
Per Tincturam vita humana invito DEO non prolongatur 35
Tincturâ cur utamur 35
Tinctura non ludicre, fruſtra & inutiliter, ſed maximo commodo exhibetur ægrotantibus 38
Tincturæ exiſtentia a variis diſputatur 41. 42
Tincturam negantium rationes recenſentur & refutantur 42. 45. & ſeqqu.
Tincturæ exiſtentiam dubiam faciunt aut ſolide, aut ſtolide negantes 42
Tincturæ poſſibilitatem præ aliis acerrime Kircherus infringit 51. & 52
Tincturam cur non aperte tractent poſſeſſores, ſed lateant incogniti 46. & ſeqqu. it. 75. 76. 77
Tincturæ exiſtentiam non tollit diſſenſus chymicorum, veluti chriſtianiſmus non tollitur diſſenſu Theologorum 56
Tincturæ exiſtentiam & veritatem Philoſophorum ſcripta verificata, probant 220
Ob Tincturam oſtentator quidam alterum occidit, & profitetur Tincturam aperte Venetiis, ſed malo ſucceſſu 47. 48
Tinctura paratur e rebus primis & univerſalibus 48
Tinctura mediate quoque medetur affectibus externis 49
Tinctura non fruſtraneam reddit creationem aliorum medicamentorum 50

Tincturæ augmentationem & multiplicationem negat Kircherus, exemplis quæ autem I um Virorum ingenuorum probatur pag. 55
Tincturam cui concedat DEUS pag. ead. 88. 91
Tincturam DEUS tantum pauciſſimis piis concedit pag. ead.
Tincturam quærentibus ſeptem potiſſimum occurrunt impedimenta 228. 229
Tincturam cur non pluribus DEUS concedat 103
Tincturam DEUS non vult divulgatam ob cauſas occultas 164
Tincturam DEUS indignis & abutentibus iterum aufert 89. & ſeqqu.
Tinctura Univerſalis & aurum in oleum reſolutum non ſunt plane unum, fiunt tamen ex uno principio 62
Tinctura Univerſalis probatur ratione & exemplis 58. 59. & ſeq.
— — — probatur teſtimoniis

1. Sperlingii 60
2. Caſp. Bartholini pag ead.
3. Mart. Delrionis pag. ead.
4. Roberti Fludii pag. ead.
5. Heinr. Salmuthii 61
6. Cornelii Martini pag. ead.
7. Franciſci Oswald. Grembs pag ead.
8. Joh. Schrœderi 62
9. Petri Borellii pag. ead.
10. Heinr. Kunrath. pag. ead.
11. Sereniſſimi Landgravii Haſſiæ e Domo Homburgica pag. ead.

Tinctura Univerſalis probatur autopſia atque variorum experimentorum hiſtoriis v. g.

1. Helmontii 63
2. Joh. Zwœlfferi 64
3. Joh. Tackii 65
4. Joh. Frid. Helvetii 66. & ſeqqu.
5. Joh. Riſtii }
6. iterum Riſtii } 69. & ſeqqu.
7. Joh. Kunckelii 72
8. Ottonis Tackenii pag. ead. & ſeqqu.
9. Anonymi cujusdam Archiatri 74

10. Alius

10. Alius Anonymi Philalethæ pag. 76
11. Chriſt. Adolphi Baldüini 77
12. Amici cujusdam Vienna reducis pag ead.
13. D. Adam. Gottlob. Berlichii 78
14. Sinenſium 81, 82
15. Kircheri 82
16. Rudolphi Imperatoris 85
17. Anonymi cujusdam primatis Germaniæ 164

Tincturæ Univerſalis præparationem ut juvet Diabolus, non eſt præſumendum 82, 83

Tincturæ Univerſali præſupponitur certo reſpectu morbus Univerſalis 58

Tincturæ granum unum aliquot uncias imo libras mercurii transmutat in aurum verum 63

Tincturam fere abſolutam continens cucurbita ex incuria rumpitur, & a materia contenta diſploſa totum conclave inauratur 71

Tincturæ uſu Rex Sinenſium obtinuit ſine morborum inſultibus canitiem, ſed neutiquam immortalitatem 82

Tincturæ Poſſeſſores Sereniſſimus Saxoniæ Elector Auguſtus it. Ejusdem Conjux, & Filius Chriſtianus I. fuere 72

in Tincturam immediate inquirere an ſit Chriſtiano conſultum 88

Tincturæ frequentior ac largior doſis vitam abbreviat 91
& cur 191

Tincturæ præparatio immediate competit Medicis 91
— — — mediate competit Magnatibus, divitibus & curioſis 91. 92

Tincturæ præparatio non competit iis, qui legitimam vocationem non habent 94

Tincturæ proceſſum qui laborat, raro omnem perdit operam 92

Tincturæ operator, licet non ſemper primarium finem obtineat, invenit tamen alia medicamenta egregia, crumenæ proficua 93
98. 99. 144. 153

Tinctura non ſemper perfici potuit, & quare 96. 97. & ſeqqu. 144

in Tincturæ Arcanum, quod non liceat omnibus involare, exempla 96. & ſeqqu.

& perſuaſiones Chriſtianæ 1.) Autoris 99. 100. & ſeqqu. 143
144. 162. 163

2.) Helmontii, Helvetii & Zwœlfferi 101. 102

Tincturæ univerſalis tractatio ob abuſum plurium, hodie adeo contemta pag. 95
Tincturæ Augmentatio 152
Tincturæ Univerſalis materia prolixis & perſpicuis verbis proponitur 108. 121
de materia Tincturæ diverſi, diverſa ſcripſerunt 114
Tincturæ materiam diverſi diverſam ſibi elegerunt 219
Tincturæ nomina allegorica aliorum varios eam tractantes ſeduxerunt 115
Tincturæ materia remota & remotiſſima 116
Tincturæ materiam veram quidam obtinuerunt, ſed tamen aberrarunt & quare 117
Tincturæ materia duobus verbis nominatur & explicatur pag. ead.
Tincturæ materia deſcribitur 118
Autores varii, qui de materia Tincturæ ſcripſerunt, allegantur 119
Materiam Kircherus inſcius deſcribit pag. ead. & ſeqqu.
Tincturam Univerſalem indaganti, Metallorum & Mineralium Cognitio perneceſſaria eſt 224
Tincturam Univerſalem præparaturus, quid antea facere debeat 108. & 112
— — — — anhelans a pietate ſuum auſpicetur ſtudium 213 214
Tincturæ præparationem cum perſpicue doceat Autor, quare ſibi ipſi & ſuis non prius conficit 109. & ſeqqu.
Tincturæ præparationem non attingit, qui ſal volatile cum fixo non conjungit 130. 131
vel ſi alia admiſcet pag. ead.
& quare pag. ead.
in Tincturæ præparatione, ſi vel una omittitur enchiriſis, oleum & opera perditur 144
Tinctura quomodo ac qua methodo præparetur 145
ad Tincturam præparandam quantum temporis requiratur 144. 145
Tincturæ materiæ feſtinans & ſuperficiaria tractatio in cauſa eſt, ut multi fruſtra laboraverint pag. ead.
Tincturam univerſalem cur manifeſtaverit Autor 109. 110. 112
Tincturæ manifeſtationem diſſuadent quidam & quare 112
Tincturæ univerſalis præparationem ubi didicerit Autor 110. 111
Tinctura univerſalis ſuas operationes non perficit, veluti alia medicamenta 117

Tinctura quo ſenſu in variis Alchymicorum libris vocetur opus mulierum & puerorum pag. 144. 145
Tincturam qui ex metallis parare volunt, medio opus habent e materia Univerſali, ad metallorum corpora ſolvenda 210
Tincturam quidam ſpeciatim quærunt in ſingulis tribus regnis 160
Tincturam quidam ex Sole & Mercurio confici poſſe exiſtimant 234
Tincturam plures Philoſophorum ex ſale & ſulphure Metallorum per ſpiritum antimonialem perfici poſſe volunt 247
Tincturam ex Vitriolo ſolo perfici poſſe Pantaleon negat, Berlichius affirmat 245. 246
Tincturæ exemplum e regno Animali ponitur 160. & ſeqq.
Tinctura e terra Solari Hungarica D. Michaeli cucurbitam inauravit 126. 127
Tincturæ univerſalis labor in partem priorem & poſteriorem diſtinguitur commode 146
Tincturæ præparatio conſiſtit in hoc, ut materiæ pars fixa volatiliſetur, & volatilis figatur pag. ead.
Tincturæ deſtillatio inſtituatur per retortam vitream lutatam, cum terream penetret ſal volatile 147
in Tincturæ labore poſteriori quæ apparent 148. 149
Tincturæ univerſalis compoſitionem nihil extranei aut alieni ingredi debet 131
Tincturæ ex Mineralibus menſtruo Philoſophico extractio & præparatio 224
Tinctura Nephritica vel Solaris dicta 163
Ej. modus præparandi 163. 168
Ej. Uſus pag. ead.
Ej. rubedo per canalem ſimul in deſtillatione tranſiens 164
Tincturæ Veneris modo viridis, modo cæruleæ, modo rubræ ortus unde 279
Treviſani Judicium de Tinctura Philoſophorum ejusque efficacia in projectione & Medicina 292
Treviſanus deduxit in epiſtola quadam, Mercurium vulgarem, ſi Philoſophice purgetur, ad opus Philoſophicum ſufficere 234
Trithemii effatum de Alchymia 221. 222

V.

VEgetabilia in cellis repoſita non tam vegetam vitam vivunt, quam in hortis, & quare pag. 135. 136
Vegetabilium ſalia fixa extrinſece depurant metalla, radicaliter non ingrediuntur 222
Vegetabilibus quibusdam fruſtra pro materia Tincturæ univerſalis quidam inhiarunt 116
Venenum cur Lapis Philoſophicus dicatur 175
Veneris dealbatio hactenus anxie quæſita 5
Veneris albæ malleabilitas ſine fractura 14
Venerem albam naſutuli ſi norunt parare, putant ſe habere Tincturam univerſalem 31
Venereus ſpiritus in aquis perſiſtens materiam lapideam indurat & coquit in mediis aquis 174
Venus alba paratur per ſalium penetrabilitatem 133
Venus Naturæ cur Lapis Philoſophicus dicatur 176
Veneta Respublica Chryſopœiam an calleat, & in quo conſiſtat 72
Veritas quæ per conjecturam Medicam invenitur, qualis 14
Veritas ſitum aut cariem non contrahit 59
Veritas a Medico per conjecturam invenienda, ad tria pertinet 14
Veritatum per conjecturam artificioſam inveniendarum Methodus 12. 13
in Vinea Domini per aliquot luſtra plus eſt foſſum in rebus phyſicis, ac antea in tot ſeculis 106
Vina vappeſcentia vi Tincturæ univerſalis renovantur 34
Vinum unum idemque pro diverſitate complexionum potatores reddit furibundos, timidos, hilares, venereos &c. 59
Vinum in dolio legitima cultura diu a vappa præſervatur 59
Viperæ vitro capaci bene ligatura munito incluſæ, vitam ſuſtentare poſſunt 123
Vita humana invito DEO per Tincturam univerſalem non prolongatur 35
Vitæ terminum an poſſit homo transgredi pag. ead.
Vitæ terminnm quomodo DEUS poſuerit pag. ead. 36
Vitæ filum quinam poſſint abrumpere pag. ead.
Vitæ terminus poſitus neceſſitate conditionata 37

Vitæ terminus poteſt tranſcendi extraordinario DEI juſſu & permiſſu pag 37. 38

Vitæ terminum plurimi non attingunt ob mores impios, errores diætæ, &c. pag. ead.

Vitis ope & vi Tincturæ univerſalis ſtatim Menſe Majo producet racemos 34

Vituli albi & puerorum urina cur Lapis Philoſophicus dicatur 177

Vis Mechanica in animantibus quidem adeſt, ſed ſubſtat Vitalitati, quæ mechanicam longe ſuperat 25

Vitriolum eſt Ens metallorum primum & cur 246

Vitriolum ſeu Sal fuſile & purum ex omnibus metallis educi poteſt, quod verus Lapis Philoſophorum, in hoc ſolo ſunt Sol, Luna & Mercurius Philoſophorum ſimul conjuncta & viva 207

Vitriolum dulciſſimum albicans & vireſcens maxime in fodinis auriferis Hungariæ reperitur 246

Vitrioli Mineræ pleræque ſub ſulphureo aureo, vel arſenicali argenteo ſplendore refulgent, & quare pag. ead.

Vitrioli oleum omnem Lithiaſin & alios morbos Tartareos ex fundamento curare poteſt pag. ead.

ex Vitrioli ſpirituali parte quomodo Tinctura Univerſalis præparanda docet Baſilius Valentinus in Tractatu de Univerſali totius mundi 247

Vitrioli martis relicta materia limoſa, nigricans primum, per exſiccationem vero in pulverem gryſeum leviſſimum faceſſens, non eſt terra inutilis, ut vulgo habetur, ſed ferri portio magis Sulphurea ab acido Vitrioli, intacta relicta 257

Vitrioli martis reſiduum ſiccatum, ſi cum pari quantitate Mercurii vivi diligenti tritura ſubigatur, & ſublimationi committatur, major Mercurii additi pars cum Sulphure hoc coaleſcens, in Cinnabarim martialem elevatur pag. ead.

Vitriolorum quorumlibet vires & uſus 264. 265

Vitra

Vitra Metallica ſeu Amauſa inſignia unde obtineri poſſint pag. 295
Vitrorum metallicorum reductio ſummæ eſt utilitatis 296
Vitra metallica longe majoris ſunt pretii quam metallum, quod in ſe depuratiſſimum fovent 297
Vitrorum metallicorum reductio ſecundum Hollandum pag. ead.
Vitrificationis medium quid 294
Vitrificatio reſurrectionem corporum humanorum glorioſam declarat 299
Vitrificationis in operationibus Alchymicis utilitates natura vitri patefacit 301
Vitrificationis arcani modi pag. ead. & 302
Vitrum mercuriale facilius liqueſcit, quam vitrum vulgare, & Sal ſcilicet acidum volatile floris inſtar emittit, ſi diutius in igne moretur 291
Vitrum cœruleum fit ex calce Lunæ 294
Virtutes ſpecificæ rerum nullæ dantur, niſi in ſpiritibus inſitis verbo DEI jam in principio in certum fixitatis gradum, ſeu quoddam centrum, redactis 291
Umbra cur Lapis Philoſophicus dicatur 176
Uranogæa dicitur Materia tincturæ univerſalis 117

W.

D. WEdelii, Georg. Wolffgang. Judicium de Tabula Smaragdina Hermetis 142
Id. ex Volumine 1560. Norimbergæ de Alchymia excuſo longe rariſſimo Verba Tabulæ Smaragdinæ recenſet, in fine Introductionis ad Alchymiam 137

Z.

ZWœlfferus, Joh. defendit tincturæ univerſalis exiſtentiam contra Kircherum 52
Id. diſſuadet elaborationem tincturæ univerſalis 102
Ejusd. ſententia de ſolutione auri 281

FINIS.

Cantor: Vortrag
Charta chymica
über älteren Schriften in
Heidelberg S. 61. [illegible]